Katolik

VITÆ PRÆSULUM

Poloniæ
Magni Ducatus Lithvaniæ
Res præcipuæ
Illorum temporibus gestæ
Ad Annum MDCCLX.
Origo Ecclesiarum Cathedralium
Quatuor Libris
COMPREHENSÆ
Operâ
P. FRANCISCI RZEPNICKI
è *Societate JESU*.
Luci publicæ
Cum permissu Superiorum
PROPOSITÆ

TYPIS POSNANIENSIBUS
Clari Collegii Societatis JESU.
1761.

TOMUS PRIMUS
Librum Primum continet.

JESU CHRISTO
in
Lege Gratiæ
Summo ac Primo
Pontifici
in
SANCTIS MARTYRIBUS
ADALBERTO
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
STANISLAO
CRACOVIENSI EPISCOPO
Aliis Poloniæ Præsulibus
Vitæ probitate
Insignibus
GLORIOSO
DICATÆ

Isti in generationibus Gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.

Ecclesiastici 44. ver: 7.

PROTESTATIO
AUTHORIS.

INsistendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII. profiteor: non alio sensu, quidquid in his Libris refero in laudem alicujus, quod speciem sanctitatis aut miraculi habere videatur, accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Beatorum Catalogo adscripsit.

FRANCISCUS
KOZMINSKI
Præpositus Provincialis Societatis JESU
Per Majorem Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur. *Vitæ Præsulum Poloniæ &c. Quatuor Libris comprehensæ Authore P. Francisco Rzepnicki S. J.* aliquot Ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro LAURENTIO RICCI Societatis Nostræ Præposito Generali facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has Litteras manu mea firmatas & sigillô munitas dedi Posnaniæ anno 1761. die 16. Februarii.

FRANCISCUS KOZMINSKI S. J.
mpp.

(L. S.)

THEODORUS
DUX
In Klewan & Zukow
CZARTORYSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ.
EPISCOPUS POSNANIENSIS
Et VARSAVIENSIS.

OPus sub titulo. *Vitæ Præsulum Poloniæ &c Quatuor Libros comprehendens Authore ARP. Francisco Rzepnicki S. J.* multiplici eruditione, & sana doctrina facundum, clare facta Antistitum Regni ex antiquioribus authoribus collecta illustrans, svaviterq; Lectoris animum occupans, ac in decus Infularum posteros ad imitandum alliciens per aliquot ejusdem Societatis JESU Theologos revisum; nec dubium? quin litterariæ Reipublicæ magnam afferat lucem & utilitatem; dignum hinc, ut sicuti omnium oculis, ita & præli sudoribus committatur, censuimus, & facultatem imprimendi authoritate ordinaria damus & concedimus. In quorum fidem &c Datt: in Cancellaria Curiæ Episcopalis Posnaniensis Die 11. Mensis Martii Anno Domini 1761.

STEPHANUS SKRZEBOWSKI

Canonicus Cathedralis Posnaniensis

Auditor Generalis & Judex

(L. S.) *mpp.*

AD LECTOREM.

DE origine Ecclesiarum, quæ usitato nomine Cathedrales vocantur, & earum Præsulibus in Polonia, scripserunt multi. Niesiecki primô suô Tomô omnium initia describens seriem Episcoporum, qui illas moderabantur, adjunxit: vitas verò nonnullorum in suis operibus complexus est. Nec mirum; Author hic totius Nobilitatis Polonæ insignia & stirpes magnô studiô luci publicæ dum proposuit, ut intentioni laboris satisfaceret, satis habuit gloriosa cujusvis Episcopi acta sub suo stemmate, aut Familia connotare. Plures alii vitas variorum Antistitum tractârunt. Primus Naramowski in Facie Rerum Sarmaticarum L. II. omnium Episcoporum in Polonia & Provinciis annexis facta non exiguo labore collegit, ac orbi proposuit; sed nonnullorum ordinem immutavit, aliquos prætermisit.

Ut itaq; Vitæ Præsulum Poloniæ, res præcipuæ illorum temporibûs gestæ ad manum haberi possint, propositi mei est. Inserui quidem illis præter variorum Religiosorum Ordinum, etiam Virorum è Societate JESU acta; id nec mirare, nec vitio verte Lector benevole; quis enim in se parcus, dum in alios liberalis est? præterea hi Præsulum gratiîs, liberalitate introducti in Poloniam, dotati, omnibus ferme in locis nutriti, Eorum laboris fuere socii minimi.

Et quia ex probatissimis Poloniæ Historicis, in suis operibus seriem omnium Antistitum collegit Niesiecki, Vir de antiquo & præsenti sæculo optime meritus, eum sequi placuit. Verum quidem, quòd exiguo calamô descriptas aliquorum Præsulum vitas habebis; sed hunc defectum non Scriptori, at desidi Antiquitatis manui attribue; ea enim indoles veterum Polonorum fuerat, ut dexteram ferro magis, quàm pennæ aptaverint: à mea etiam professione alienum est, commentis narrationem supplere; ea solùm, quæ ex probatis authoribus colligere potui, hic annoto: multa sunt,

quæ

quæ miraberis, plura quæ imiteris; Repetita quidem aliqua in nonnullis locis advertes, illa non oblivioni Scriptoris, sed rerum circumstantiis adscribe. Fidelitatem Historicis debitam servare curavi, quare severitatem us judicium non metuo, illud etiam si forte obvenerit, novi me nec primum, nec postremum ad ejusmodi jacula.

Fateor me ea prætermisisse, quæ cuipiam labem appingere possent; in hoc secutus sum sensum Braunii, acerrimi plurium Scriptorum Censoris: qui in suo opusculo sub Reinholdo Kurike p. 278. scribit: *Ego nullum vitium Historici in eo positum esse, reor, quòd quædam crimina regentium in civitate aliqua sileantur, bene enim Plutarchus in proëmio Cimonis: Illas, inquit, quæ ex Reipublicæ temporibus offensas, & vitia non nimium esse diligenter notanda, sed potiùs rubore humanæ sortis, quæ nihil boni, sinceri, neq; mores ad virtutem eait planè inculpatos, dissimulanda.* Adducit & Polybium exagitantem ideo Philarchum Mantinensem, & concludit: *Eo autem pacto omnis historia quid esset? nisi omnium scelerum & vitiorum narratio? quæ tamen inventa est, ut sit Providentiæ Divinæ commemoratio.*

Oratores in dicendo, Historici in scribendo suæ latinitatis authoritatem & ornatum ab antiquitate culta quærunt: & rectè; hac enim ut sermo, sic paginæ commendantur. Cæterum non video rationem, cur hujus ævi latinitas abhorreat à vocibus præcipuè dignitatum, in aliquo Regno vel propriis, vel ab antiquo usitatis. Certè, si quispiam describeret Imperium Turcicum, non abstineret à nomenclationibus: *Bassa, Vezirius, Effendi, Reseffendi, Aga, Janczaraga*, & aliorum plurium. In descriptione Galliæ reperies vocem *Connestabilis*: quas omnes ignoravit vetus antiquitas. Quare cùm describam Vitas Præsulum Poloniæ, res peculiares illorum temporibûs gestas, in hoc opere reperiuntur dignitatum nomenclationes non tantùm statui Ecclesiastico, sed etiam profano communes & propriæ. Non mirare

itaq;

itaq; (quia censerer rerum & dignitatum ignarus; & in Patria peregrinus) si utor nominibûs in Polonia usitatis, & in stylo Curiæ Romanæ, utiq; Latinæ & antiquæ adhiberi solitis.

Quantum ad voces alias, perlegere Te velim proëmium ad Thesaurum Polono Latino Græcum Gregorii Cnapii S. J., Viri de purâ Latinitate utiq; non male meriti. *Idem sentito mecum* inquit ille *Lector de peregrinis, seu barbaris, & à quibusdam recentioribus Scriptoribus, novatis verbis. Quid enim agas, cùm res priscis Latinis ignota, nominanda est? sane ineptum est, semper ad periphrasim confugere, quæ sæpe longissima esse deberet. - - - - - Neq; enim si reliquus sermo sui sit similis, vocabula quædam rariùs perspersa, quæ vel necessitas temporis, vel usus emollit, figuram universam corrumpere ac depravare poterunt. Multi proinde docti Viri voces in veterum scriptis non extantes ad aliarum illis usitatarum analogiam conformatas usurpant. Possem afferre plurimos, & nostri & superioris ævi Scriptores, Latinæ puritatis amantissimos, qui similiter verba prudenter novârunt plurima, sed brevitatis causâ prætermitto.* Hactenus prædictus Author. Monet Te & Quinctilianus suô ævô præcipuus artis litterariæ Præceptor, *Institut: Orat: L. VIII. C. III.* inquit ille: *In tractu talia sunt, qualia apud Ciceronem, beatitas & beatitudo, quæ dura sentit esse, verumtamen usu putat posse molliri* Et paulo infra. *Dura quædam admodum videntur, ut ens & essentia, quæ cur tanto pere aspernemur? nihil video, nisi quod iniqui judices adversùs nos sumus, ideoq; paupertate sermonis laboramus. Quædam tamen perdurant, nam, & quæ vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, & quædam in usu perquam recentia.*

Habes itaq; Lector Optime opus hoc non exiguô studiô & operâ collectum: illud si oculum Tuum non merebitur, Scriptoris saltem intentio non displiceat.

AUTHORES

Ex quibus Libri hi collecti sunt.

Acta Castren: Posnan:	Acta Metrices Regni
Acta Castren: Sochaczov:	Acta Terr: Petric:
Acta Castren: Varsavien:	Annales Ecclesiastici.

Balbinus
Barletius
Baronius
Beierlinck
Bielſki.
Buydecki
Bzovius
Conſtitutiones Poloniæ
Cracov: Coll: S. J. Hiſtoria
Cromerus.
Damalewicz
Decius
Długoſſius ſeu Longinus
Drews
Dubrawſki
Fredro
Frydrychowicz
Geographia Łubienſcii
Gvagninus
Hagecius
Harnocht.
Herburt
Hoſius Cardinalis
Humieccii Relatio de Cameneco recepto.
Juvencius
Kadłubek
Karnkowſki
Kircher
Kobierzycki
Kochowſki
Koiałowicz
Kraſzewſki
Kwiatkiewicz
Łubienſki
Miechovita
Monologium S. J.
Nakielſki
Naramowſki
Neugebaver
Nieſiecki
Nieſzporkowicz
Nowowieyſki
Okolſki
Olſzowſki
Orzechowſki
Paprocki
Paſtorius
Petrico: Coll: S. J. Hiſtoria
Piaſecki
Piſtorius
Platina
Poſnan: Coll: S. J. Hiſtoria
Poſzakowſki
Potocki
Pruſſiæ Hiſtoria
Pruſzcz
Pułaſki
Raynaudus
Rudawſki
Sacchinus
Sarnicki
Skrobiſzevius
Spondanus
Stargardus
Starowolſki
Suſza.
Treterus
Tylkowſki
Vadingus
Vaſſembergius
Vita B. Joſephi Calaſſantii
Vita B. Joſephi à Copert:
Warſzewicki
Zalaſzowſki
Załuſki

LIBER PRIMUS

Breviter de initiis Poloniæ, de Epiſcopis in communi, de Archiepiſcopis Gneſnenſibus, Leopolienſibus tractat. Et quia Cracovienſis Cathedralis Eccleſia, etiam Metropolitana quondam dignitate fulgebat, huic libro primo annexa eſt.

CAPUT PRIMUM

De Initiis Poloniæ.

Licet non Poloniam pro objecto laboris habeam, non abs re tamen proceſſurum me arbitror, ſi Epiſcopatus, Vitas Præſulum, res præcipuas illorum temporibus geſtas, deſcribens, Poloniæ initia brevi calamo attingám, membra enim enumerans, corpus prætermittam?

Communi Hiſtoricorum, ſenſu, orás iſtas, poſt confuſionem lingvarum in Babylone, diſperſis per univerſum Noemi familiis, à Japheti (cui Europa in exdiviſione Orbis inter Fratres contigit) ſucceſſoribus cultas fuiſſe conſtat. Negno Sclavoniæ Protoparens, juxta Długoſſium Lib: 1. poſſedit Pannoniam. Ejus

Filius Vandalus, natu maximus, Regionem, circa flu-
vium ad præſens Viſtulam, elegit, & tam hunc, quam
populum à ſuo nomine, Vandalum dici voluit: qui in
magnum numerum auctus, quam iniquus & injurius
Romanis, aliisq; Gentibus fuerit? non eſt meæ ma-
teriæ. Poſt abitum Vandalorum e ſuis ſedibus in Ro-
manas & alias ditiones, nonnulli Sclavorum inter Sauro-
matas enutriti, terras, ubi ad præſens Polonia, Sileſia,
Bohemia, Iſtrum prætergreſſi, Pannoniam, Dalmati-
am, Sclavoniam, Croatiam occupârunt.

Lechus & Czechus Fratres, illius populi Duces
non poſtremi, diſcordiarum, quæ inter gentes illas jam
intercesserant, pertæſi, arce ſua hæreditaria, Pſary di-
cta, egreſſi, præcipuis viribus in Sclavonia, Croatia,
Dalmatia, collectis, ad regionem, quam Moravia, Egra,
Albis, Multania (a) alluunt, pervenerunt; Arriſit
Czecho natu minori ora illa, quæ nunc Bohemiá voca-
rur, quare apud Lechum natu majorem eam pro ſe &
ſuis ſucceſſoribus impetravit. Lechus Fratre bene va-
lere juſſo, cum ſuis familiis, & non exiguo exercitu,
ſuperatis montibus, circa 550. annum, juxta Gvagni-
num et alios Scriptores, in latiſſimos ad Viſtulam cam-
pos pervenit, & devictîs loci iſtius populîs, ſibiq; pa-
rere juſsîs, novi Regni jecit fundamenta, ejuſq; fines
dilatavit, ac plures urbes erexit, inter quás Gneſnam à
nido aquilarum dictam, loci amænitate delectatus, emi-
nere, quaſi Metropolim fecit. Ab illo Regio hæc vo-
cata Lechia, hucuſq; etiam hoc nomen retinet; unde
Rutheni ac Moſchi Polonos corrupta voce Lachos no-
minant.

Quo verò tempore, & ex qua ratione Polonia di-
cta eſt? diverſi ſunt Authorum ſenſus. Paprocki eam
nomenclationem Genti huic, nunc primum cum fide
Chriſtiana obveniſſe aſſerit: ſcribit ille: Bohemi Sacer-
dotes cum turmatim Chriſti ſacra amplectentes ſacro
fon-

(a) *Dlugoſſius l. 1. Moldava ſcribere debuit.*

fonte tingerent, ut certitudinem baptizatorum habe-
rent, quærebant ex illis nativa lingva *iezeli ſą polani* ſeu,
utrum eſſent aqua perfuſi? reſpondentibus illis: *żeśmy*
polani, id eſt ſumus perfuſi, nativo idiomate *Polency pola-*
ni, poſtea Poloni dicti ſunt. Hic ſenſus Paprocii u-
trum convincat? decidat Lector benevolus. Kadłu-
bek in ſua Hiſtoria lib: 1. inquit *Polonia Regnum ſpecio-*
ſiſſimum a polo Arctico nominatur, quod in Sequentia de S.
Stanislao canitur: Ut res geſta proteſtatur, verax nomine e-
loquatur, a polo Polonia. Dicitur etiam Polonia à caſtro
Pole, quod in finibus Pomeraniæ ſitum fuerat antiqui-
tus. *Idem ibidem* Aliorum ſcriptorum teſtimonio, no-
men hoc à campi latitudine, & amænitate, qui vernacu-
lo idiomate *Pole* dicitur, ſortita eſt Regio hæc, (juxta
Orichovium Annali 1. non à nomine *Pole* ſeu planitie
Polonia dicta, *ſed ab eo* inquit ille: *quod quoniam durius fu-*
erat prolatu, pro Polachia Polonia commodiore nomine eſt
appellata) in ſuis primordiis à Lecho in ordinem diſpo-
ſita.

Succeſſu temporis, cum variæ Provinciæ, ſive ju-
re belli, ſive motu proprio, præcipue Lithvania acceſ-
ſiſſent Poloniæ; in duas præcipuas Gentes, Polonam &
Lithvanam diviſa hæ vero in tres Ordines (b) videli-
cet Regium, Senatorium, & Equeſtrem, diſtinctæ ſunt.
Hi Ordines corpus Reipublicæ componunt, de illius
integritate, in publicis Regni congreſſibus (Comitia Po-
loni vocant) conſulunt: exceptis fatis Regiis, hæc e-
nim ubi intercedunt, Interregnum (c) per Regni Pri-
matem (qui InterRex tum dicitur) promulgatur, & eo
tempore, donec Rex novus electus fuerit, Senatorius
& Eque-

(b) *nomen eſt dignitatis, & poteſtatis in Polonia.*

(c) *in Polonia, uſitato nomine Kaptur vocatur. Unde ju-*
dicia illius temporis (promulgato enim interregno, omnium
Judicum ceſſat juris dicendi poteſtas, & nunc primum con-
ſtituto Rege aſſumitur) Kapturalia dicuntur; quæ habentur
per Judices in Palatinatibus electos.

& Equestris Ordo bono Regni providet, in fœdus (d) coit, quo suas libertates, internam pacem, limitum securitatem, cum exteris amicitiam, fovere & tueri obstringitur.

Ordo Regius ipsum Regem continet. Senatorius componitur ex Præsulibus, Cracoviensi Castellano, Palatinis, Castellanis, Samogitiæ Præfecto. (e) Ad hunc Ordinem pertinent utriusq; Gentis supremi Mareschalci, supremi Cancellarii, supremi Thesaurarii, Mareschalci Curiæ, Procancellarii, dicuntur hi, etiam Vice Cancellarii: qui Ministri sunt status. Horum Ministrorum munus descripsit Naramowski peculiari opusculo. Ego, cum nomenclationes istæ in Polonia præcipuæ, & his dignitatibus propriæ, sæpius hic contingent, de illis breviter innuo.

Mareschalcorum officium est: Regem electum, à Primate nominatum, promulgare, scipionem Regibus præferre, locum Comitiis præparare, Legatis, ab exteris venientibus, stationes providere, Iis accedendi Regem, Senatum, legationesq; suas expediendi, potestatem dare, Nuncios Comitiorum ad Senatum introducere, Senatorum sententias exposcere; & si quis extra ordinem, vel ex equestri Ordine in Senatum veniens, mentem suam vult exponere, nonnisi petita prius à Mareschalco dicendi facultate, loquitur. Tumultus præcipuè Comitiorum tempore, & in Regis præsentia compescere, delinquentes pro qualitate delicti corripere, & punire. In loco, in quo Rex subsistit, rebus pretia imponere. Hoc munus obeunt Mareschalci Curiæ; si absentes fuerint supremi Mareschalci. Di-

(d) Confœderatio generalis Ordinum dicitur. Porro, præter hanc, contingit sæpius confœderatio exercitûs in Regno hoc, (utor termino in Polonia usitato & communi) estq; fœdus, quo miles Polonus electo è medio sui Mareschalco, ex cussa quandoq; Regi, & suis Ducibus obedientia, agit pro suis stipendiis, ac libertatibus, persæpe magis temerè &, licentiosè, quam provide. (e) *Constitutio* 1569.

Dignitas Cancellarii, Ejusq; nomenclatio non soli Poloniæ peculiaris est. Nota est illa Imperio Romano; Electorem Archiepiscopum Moguntinum habet Germaniæ Cancellarium, Coloniensis Archipræsul, Elector, Cancellarius Italiæ est, Trevirensis, Galliæ. Aliis Regnis, Academiis omnibus, & Ecclesiis Cathedralibus communis est.

In Polonia, quæ, & quanta est? attingo. Cancellarius præest sigillo Regio, quod quia binum est, tam in Regno, quàm Magno Ducatu Lithvaniæ, unum majus, alterum minus, primo Cancellarius, alteri Pro Cancellarius (aliter Vice Cancellarius) præficitur. Hi nominibus distincti, in multis munere, & potestate æquales sunt. Diplomatibus, edictis, mandatis, Epistolis, aliisq; litteris Regiis, conscribendis, atq, signandis præsunt. Interpretes sunt mentis Regiæ, & Regum nomine respondent. Quibus de rebus consilium haberi debeat, in Senatu proponunt. Senatûs consulta, Regia, comitiorum placita, & decreta litteris mandant, ac in publicum edunt. Cancellarii cognoscunt, & decidunt nomine Regio, querimonias, provocationes ab urbanis & oppidanis, Præfectorumq; judiciis ad Regium Tribunal devolutas: decretaq; hæc Actis Regiis, (Acta Metrices vocantur) inscribendi, illorum officii est. Quare, uterq; habet suos Secretarios, Regentes, ad fidelitatem juramento obstrictos. Præterea sacelli Regii, illius Sacerdotum ac cerimoniarum, regimen habet Cancellarius, vel Pro Cancellarius, qui de Sacro Ordine est. In Regno enim unus illorum alternis vicibus ex Ecclesiastico statu semper est. (f) In Magno verò Ducatu Lithvaniæ ab utraq; hac dignitate Ecclesiastici alieni sunt.

Thesaurarii supremi ærariis Regni, & M. D. Lithvaniæ, eorumq; reditibus præfecti sunt. Præter horum administrationem accurratam, Regni Thesaura-

(f) *Statutum* 1507.

rius curam habet Insignium Regni (quæ sunt: Corona, sceptrum, pomum, gladius) pactorum, fæderum cum exteris, aliorumq; monumentorum publicorum. Quæ insignia & documenta, sub clavibus Thesaurarii, Castellani, Palatini Cracoviensium, ac Posnaniensis, Vilnensis, Sandomiriensis, Calissiensis, Trocensis Palatinorum, illorum sigillis obsignata conservari debent, (g) Dum vero novus Thesaurarius ærario Regni præficitur, designantur ex Ordine Senatorio, duo ex Majore, totidem ex Minore Polonia; qui omnia ex Indice tradunt recens creato Thesaurario, eidemq; unam rerum conscriptarum syngrapham, alteram Regi reddunt, tertiam sibi reservant (h) Plura de his vide in Geographia Lubienscii.

Tertius Ordo Equestris, Senatorum nidus, constat Ministris belli, seu Exercituum Ducibus, nisi hi Senatoria dignitate emineant; Viris, Officiis Regni, M. D. Lithvaniæ, aliarumq; Provinciarum Officiis, & honoribus, conspicuis, totaq; Nobilitate; adeoq; duobus primis Ordinibus numerosior est; quisquis enim Nobilitate gaudet, in hoc tertio complectitur. Officia hæc & dignitates describere longum est. Præterea non mearum partium id esse censeo, qui aliud laboris propositum habeo. Ea tantum innuo, quorum in libris sequentibus fit mentio.

Secretarii Magni, bini sunt, unus Regni, alter Lithvaniæ, uterq; legitur ex statu Ecclesiastico. Admittuntur illi ad intima consilia (i) *scribit Niesiecki Tom 1. fol: 255. adducitq; Karnkovium de Primatu*: Secretarii post obitum Regis, Cancellariorum vices obeunt. Dignitas hæc majorum gradus est. (k)

Referendarii à referendo dicti (nomen hoc & officium etiam aulæ Romanæ commune est) duo in Polonia, totidem in Lithvania: tam in Regno, quàm in hoc Ducatu, unus illorum ex Sacro Ordine assumitur.

(g) *Constituti* 1576. (h) *Constitutio* 1563.
(i) *Statutum* 1504. (k) *Idem.*

Illo-

Illorum officium est: Causas omnes, libellos supplices deferre Regi; cùm judicia Comitiorum tempore habentur, illi curant indicem negotiorum tractandorum, decretaq; his in causis lata subscribere, eorum munus est. Et quia incolæ villarum Regalium quandoq; suas lites habent, Referendarii has illorum controversias cognoscunt, & decidunt. In consiliis Regiis sententiam dicunt. *Constitutio* 1569.

Notarii (nomen scribæ exosum, & vile Polonis est) supremi Regni, & M. D. Lithvaniæ (qui ex statu Ecclesiastico semper sunt) Oeconomiæ Regiæ curam habuere, nunc Regum consiliis ad sunt.

Succamerarii, Judices Terrestres, Castrenses, Notarii. Plura sunt in Regno Poloniæ, Provinciisq; annexis Judicum subsellia; quorum distincta, & diversa est jurisdictio. Regis, cujus in judicando vices obeunt Cancellarii, quandoq; Pro Cancellarii. Hoc judicium vocatur post Curiale, aliter Assessoriale. Comitiorum; in his Senatores Regni, & Nuncii ex statu Equestri decidunt pro æquo & justo. Tribunalis, & ea dicitur Vice Regia. Porro Tribunal sub Stephano Rege, Anno 1578. per legem totius Regni institutum est: Ejus ordinatio variis temporibus emendata, novissime, anno 1726. in Comitiis Grodnensibus ad omnem justitiæ regulam circumscripta est. Ex quovis Collegio Episcopali in Regno, præter Varmiense, in Judices eliguntur Canonici (l) qui prima pars sunt judicii hujus. Ex Gnesnensi verò electi universo Judicum cætui præsunt. Primus, usitato in Polonia nomine, vocatur Præsidens, primum locum habet, primamq; in omnibus causis dicit sententiam, aut ille, qui vices Ejus supplet; nullus enim absq; Judice Ecclesiastico celebratur in judicando congressus: alter, Vice Præsidens. In Palatinatibus verò & Terris, eliguntur in Ju-

 dices

(l) *ex Gnesnensi, & Cracoviensi Canonicorum cætu, bini eliguntur Judices, ex reliquis unus.*

dices, Viri æquitatis amantes, & statutorum Patriæ gnari, è quorum medio, anno uno, ex Provincia Majoris Poloniæ, altero ex Provincia Minoris Poloniæ, per reliquos Judices eligitur Mareschalcus. Jurisdictio hæc, exceptis caussis duorum priorum subselliorum, omnes Palatinatuum Regni Poloniæ lites cognoscit, & decernit. Judicii Terrestris, quod ex tribus Judicibus componitur, Judice, Subjudice, Notario; Hi jus omne dicunt in proprio tantum Palatinatu, tempusq; judicandi lege universali definitum habent. Notarius sententiam Judicum & propriam ad formam juris suæ Provinciæ redigit, ac promulgat, Actorumq; Judicii hujus curam habet. Judicii Castrensis, vices gerit Præfectorum Castrensium, qui plurimi sunt in Polonia, & frequenti nomine dicuntur Capitanei. Castrense Judicium, aliter Officium, in decidendo circumscriptam legibus potestatem habet. *Succamerariorum* (non veniunt in hunc numerum *Succamerarii* Regni, & Prussiæ) qui controversias de fundis bonorum, eorumq; limitibus decernunt, Eorumq; fines terra in figuram rotundam elevata (scopulos vocant Poloni) determinant quibus imponunt lateres, carbones, ferri scoriam, vitrum: vocanturq; hæc in jure Polono signa metalia, ac si metam aliam fundi designantia. Si verò bona Regalia à bonis Nobilium limitibus distingvenda veniunt, ad expediendum hunc actum litteræ Regiæ (*m*) per Nobilem impetrantur, quibus designantur Judices (*n*) ad cognoscendas & decidendas fundi controversias: qui ad minimum quinque, juxta Statutum Regni actui huic adesse debent. *Herburt fol:* 95.

Alias

(*m*) *Commissio vocatur usitato per statuta Regni nomine.*

(*n*) *Per statutum Regni Commissarii dicuntur. Sub idem nomen veniunt illi, qui ex Comitiis Regni, aut per speciales litteras Regias ad expedienda Reipublicæ negotia assignantur. Quæ Commissariorum nomenclatio in Constitutionibus Regni obvia est.*

Alias dignitates & officia Ordinis Equestris, privilegia, totius Poloniæ statum, regimen, libertates prætermitto, idq; eam materiam tractantibus relinquo.

CAPUT SECUNDUM
De Episcopis & Ecclesiis Cathedralibus in Communi.

EPiscoporum dignitas & jurisdictio in Ecclesia Catholica ampla est; Præsunt illi in suis diæcesibus potestate derivata à Christi in terris Vicario. In tractandis verò rebus civilibus, in aliquibus Regnis satis magna, sed in Polonia, à suis statim primordiis fuit maxima. Illi, prima pars Senatûs sunt: illorum ad miniculo, (ut scribit Lubienski in vitis Episcop: Plocensium) cum olim soli Episcopi Senatoria dignitate fulgerent, paucíq; alii ad id munus arbitrio Regum adsciscerentur, constituti sunt per omnes districtus & regiones, Senatores majores, & minores, qui & in Provinciis jus dicerent, & Regi judicanti, quasi custodes libertatis adessent; ne hic pro sua libidine, sed Senatorum adscitis sententiis imperium exerceret (*o*) Non Senatûs celebrantur consilia, non universi totius Regni conventus, seu comitia congregantur, his omnibus adsunt Præsules, primumq; locum, & jus dicendi habent. Iis assentientibus leges cuduntur, concluduntur fœdera cum exteris, miles conscribitur, & quidquid Patriæ saluberrimum censetur, statuitur. Alternis temporibus designantur ad latus Regium, ut suis consiliis præsto sint Principi.

Polonia his temporibus duos Archiepiscopos numerat, Gnesnensem & Leopoliensem; numerabat antea

(*o*) *vide Zaluski Tom* 1. *Epist: famil: fol:* 948.

tea inter Metropolitanas Ecclesias, Cracoviensem; sed hæc quomodo redacta est in Suffraganeam? patebit infra. Haliciensem, cæterum ista Leopolim translata: Rigensem in Livonia, (quanquam hæc Provincia nondum erat juris Poloni) Præsules in suis ditionibus habet quindecem; habet præterea Archiepiscopos & Episcopos ritûs Græci, qui in Lithvania & Russia suas habent sedes: & Archiepiscopum ritûs Armeni, cujus sedes est Leopoli.

Cathedræ erectæ sunt à Regibus, ab illisq; & Principibus suas dotes nactæ sunt, nonnullorum auctæ à Præsulibus. Earum Canonici juxta statutum Joannis Alberti 1496. Alexandri 1505. Nobiles sunto: iiq; nobilitatem suam ex quatuor Familiæ suæ insignibus deducere, eamq; monumentis juridicis, Matris, & Aviæ binæ *reformationibus* (p) confirmare tenentur. Reperiuntur in eisdem Cathedris, firmatæ privilegiis, constitutionibus Canonicorum, non ex Ordine Nobilium, lectorum dotes; (sic anni ejusdem 1496. statutum loquitur. *Non minus necessitati, quam etiam honori & decori Ecclesiarum sufficientes, consulereq; scientes, decernimus ad mittendos plebeii generis Doctores, qui tamen non aliter suscipiantur per Capitula, quam quos Loci Ordinarii idoneos, & in facultatibus ipsis Declaratu dignos approbaverint*) Theologiæ, Juris utriusq; & Medicinæ Doctorum, qui licet pari cum Nobilibus honore gaudent, à publicis tamen functionibus, præcipue Tribunalis Regni alieni sunt.

Bona à primordiis conditæ cujusvis diæcesis, erant Episcopis & Canonicis communia; temporis successu divisa sunt, assignataq; est illorum pars Præsulibus, pars Canonicorum Collegio: omnium tamen Canonici hæredes sunt. Quare si lites, præcipue de eorum finibus intercedunt, ad perficiendum jure negotium Procuratores

(p) *terminus est juris Poloni, qua dos sponsæ in bonis sponsi inscribitur, & altera doti similis summa attribuitur.*

tores Canonici designantur, illudq; si adjudicatur Ecclesiæ, Procuratores illi, juxta legem Poloniæ in causis ejusmodi, juramento proprietatem fundi comprobant. Bonis suis Præsules disponunt, aut ad vitæ tempora (q) aut hucusq; donec se ad aliam sedem transferant. In illis mutare statum in perpetuum, nisi assentiente *Capitulo*, pro suo placito oppignorare, aut alienare nequeunt.

Fatis functo Episcopo, aut ad aliam sedem translato, Canonici è medio sui Administratorem Episcopatûs eligunt. Hic in spiritualibus jurisdictionem habet, ac pro necessitate, vel tempore solito, cætum convocat, illiq; præest. Bona Episcopalia Canonici inter se distribuunt, pro qua eorum administratione, pars una proventuum illis cedit, reliquum futuro Præsuli servatur. Hæc facultatum Episcopi dispositio, non eadem ubiq; est.

Ad annum 1460. Episcopos eligebant Canonici, sed hoc anno, post obitum Strzempinii, Cracoviensis Antistitis, cum Joannes Lutecus de Brzezie, electus esset, Casimirus Jagellonides Joannem Gruszczyński, Vladislaviensem Episcopum Regni Cancellarium, ad eandem sedem promovit, Pius vero II. Jacobum Sieniński designavit: qui ultimus plusquam duos annos rexit Ecclesiam; verùm potentia Regis prævalente, & bonorum Ecclesiæ, ac Canonicorum suas partes sequentium integritati consulente Sieninscio, Cracoviensis Cathedra cessit Gruszcyńscio. Ex eo tempore, non libera electio, sed Regum voluntas Præsules præficit diæcesibus, cerimonia tamen electionis relicta est; Canonici enim eum eligunt, quem Rex nominat.

Præsul quivis in primo suæ Ecclesiæ aditu, jura & statuta *Capituli* jure jurando confirmat. Gnesnensis, Leopoliensis Archiepiscopi, Cracoviensis, Vladislaviensis

(q) *Jus advitalitium vocatur in jure Polono, aliter advitalitas quam sæpius etiam conjuges mutuò sibi inscribunt. Herburt fol.* 14.

ensis, Posnaniensis, Luceoriensis, Plocensis Antistites, juxta Synodum Zubienscii, 1643. celebratam, & ab Innocentio X 1645. die 18. Decembris approbatam, aureum calicem suæ Ecclesiæ conferre obstricti sunt: Ad quod donum etiam alii Præsules invitantur ab eadem Synodo.

Et quia Episcopi *Annatas* (r) solvere tenentur, (has Pius V. cameræ Apostolicæ numerandas voluit pro alendis Missionariis, quos Roma in universum expedit) Polonia, cum sit antemurale Christianitatis contra Turcas, intendebat illas convertendas in hunc Christiani nominis hostem. Itaq; Sigismundus I anno 1544 in Conventu generali Petricoviensi statuit: Legatum expediendum Romam pro *annatis* impetrandis in usum Poloniæ. Sigismundi verò Augusti constitutio sanxit 1567, ne *annatæ* ex Regno eveherentur. Id ipsum 1607 sub Sigismundo III. confirmavit Res publica, absq; tamen derogatione juris Apostolici, & prædictas *annatas* ab Episcopis in Polonia, ærario Regni, in Lithvania, thesauro Magni Ducatus numerandas injunxit. Sed id hucusq; Roma non approbavit.

Cum Regni Comitia habentur, illisq; adsunt Episcopi, Canonicorum Collegia duos designant ad latus suorum Præsulum, qui, cum Antistites congregantur, post illos juxta gradum Cathedrarum, locum habent, ac provident bono status sui, si in Comitiis Nobilitas Ordini Ecclesiastico onera imponere intendit. *Zubieński in Geographia.*

Ab eo tempore, quo Reges Episcoporum electionem impedierunt, sibiq; eorum nominationem vendicarunt, reservarunt juri suo collationem nonnullarum dignitatum Ecclesiasticarum: has existentes Romæ Poloni à Suprema Sede obtinebant sæpius, ex eo per Constitu-

(r) *Statuti in Polonia nomen desumptum est à solutione annua à proventibus Episcopatuum, & beneficiorum Ecclesiasticorum.*

stitutiones Regni *Cortesani* dicti. Contra hos variæ leges latæ sunt: ut si quis ejusmodi dignitatem Romæ impetraret, is non solum facultatibus suis privaretur, sed è Regno ipso facto proscriptus esset. (s) Cæterum de jure Patronatûs Ecclesiastici facta est concordia Regni Poloniæ cum Sede Apostolica, & habetur Bulla 1525. Clementis VII, quam adducit *Piasecki in praxi Episcopali par* 2. *c.* 5. *art*: 2. Quòd illo tempore, præcipuè ab anno 1538. Polonia contra dispositiones Romanas leges tulerit, id ego non miror; hoc enim ævo, magna pars populi Poloni errores Lutheri, Calvini professa fuerat.

Eâdem pænâ affectos esse voluit Respublica, qui non juxta leges, & Constitutiones in Abbates eliguntur. Porro per statutum Sigismundi I. 1538. cænobiorum Antistites, natione Poloni, Nobiles esse debent. Si verò in aliquo cætu, nullus esset, tunc ex alio ejusdem Ordinis Religiosus Nobilis & idoneus eligendus est. In defectu autem Nobilis Poloni, plebejus aptus, sed Polonus constitui potest.

CAPUT TERTIUM.

De Archiepiscopatu Gnesnensi.

PRima in Polonia dignitas & Primatialis Cathedra hæc à Miecislao I, Duce (qui primus è Polonis Principibus fidem Christi amplexus est) anno 966. condita, ab Ægidio Cardinale, Episcopo Tusculano, Joannis XIII. Legato, nomine ejusdem Pontificis confirmata Gnesnæ; quæ urbs, ut dictum superius, a Lecho condita est. Dicebatur olim Lemisaletum, juxta Sarnici-

(s) *Statutum Alexandri* 1505. *Sigismundi I.* 1538. 1510. 1532. *Ejusdem* 1540. *Constitutio Sigismundi III.* 1588. *Ladislai IV.* 1641.

niccium in descript: Polon: hodie diciturGnesna, à pluribus aquilarum nidis ibidem repertis. Olim erat totius Poloniæ Metropolis, nunc Archiepiscopi Gnesnensis Sedes est.

Archiepiscopus Gnesnensis, ut honore, sic jurisdictione,& prærogativa,privilegiis,Romanis,Regni statutis&legibus firmata,supremus in Regno,MagnoDucatu Lithvaniæ,&Provinciis anexisAntistes est. Ditmarus asserit ab Ottone Imperatore,sepulchrum D. Adalberti M. invisente Arch præsuleam dignitatem Gnesnensi Antistiti collatam fuisse, sed jurisdictionem Ecclesiasticam conferre, non est laicalis potestatis. Baronius nunc primum Metropolitanam Sedem Gnesnæ suum initium habuisse, dicit anno 1084. adducit ille Epistolam Gregorii VII, cujus pars aliqua habetur in Vitis Episcoporum Plocensium apud Łubieńscium. Scribit prædictus Pontifex: *Illud nobis primo attendendum est, quod Episcopi terræ Vestræ, non habentes certum Sedis Metropolitanæ locum, nec sub aliquo positi magisterio, huc atq; illuc pro sua ordinatione vagantes ultra regulas & decreta Sanctorum Patrum liberi sunt absoluti.* Ex quibus litteris patet,in Polonia fuisse Ecclesiam Metropolitanam, sed non habuisse certam Sedem. Quantum ad Historiam: ex Długossio & Cromero, ac Łubieńscio, constat: In ipsis Christianæ fidei in Polonia principiis, à Miecislao DuceGnesnæ &Cracoviæ fundatas esse Metropolitanas Ecclesias. Długossius l. 2. inquit: *Itaq; Ecclesia Cracoviensis præripuit Gnesnensem, ne esset una, Gnesnensis vero præripuit Cracoviensem, ne esset prima.* Pro Metropoli Cracoviensi habetur & Epistola Benedicti IX. ad Aaronem Urbis hujusAntistitem data anno 1046. qua eundem Aaronem, Archiepiscopum & Metropolitanum instituit. *Pro reverentia B. Petri Principis Apostolorum, sub cujus velamento Te staturum constituisti, & pro amore Regis Poloniæ Caroli, alias Casimiri, Domini Vestri, Ejusq; Conjugis Mariæ, Eorumq; Filii, Bo-*

leslai

leslai, & pro honore totius Regni Poloniæ, statuimus, stabilimus, dicamus, & benedicimus in perpetuum, in Ecclesia & Civitate Cracoviensi esse Archiepiscopatum & Metropolim, cui subjicimus omnes omnium Episcopatuum, qui in toto Regno Poloniæ sunt, parochias, ut Archiepiscopali more præsideat universis, Tibi quoq; & successoribus Tuis pallium de corpore B. Petri sumptum concedimus. Post cujus obitum, cum Lambertus Zula, ejus in sede successor hanc Metropolitanam dignitatem impetrare neglexisset, Gnesnenses vero suam promoverent, nonnulli Gnesnensem, alii Cracoviensem, Metropolitanum agnoscebant. Quæ diversitas ne fidei noceret, & Sacris Canonibus esset contraria, Gregorius VII. definivit, suisq; Legatis commisit, ut Gnesnæ in perpetuum Sedes Metropolitana foret, illiq; reliquos Episcopos Poloniæ tanquam Suffraganeos subjecit. *Vide Niesiecki Tom I.*

Habet itaq; Metropolis hæc Suffraganeos Episcopos: Cracoviensem, Vladislaviensem, Posnaniensem, Plocensem, Luceoriensem, Samogitiæ, seu Mednicensem, Culmensem, Livoniæ, Smolenscensem. In Silesia, Vratislaviensis Ecclesia, quod sit Suffraganea Gnesnensis, suis litteris Roma declaravit. In ea materia exstat Breve Callisti III. anni 1438. Leonis X. anni 1521. Exstat & juramentum Petri Episcopi Vratislaviensis 1447. post sui consecrationem coram Joanne Episcopo Naturensi præstitum, quo se prædictus Petrus Beato Adalberto, Martyri & Pontifici, ac Vincentio, Archiepiscopo Gnesnensis Ecclesiæ,& Primati obedientem obstringit, liminaq; S. Adalberti, & Ecclesiam Gnesnensem singulis annis, per se, aut per certum Nuncium, nisi Metropolitani absolvatur licentia visitaturum, & ad Synodum venturum promittit. Habentur & litteræ 1619. Serenissimi Caroli, Archiducis Austriæ, Vratislaviensis Episcopi, ad Laurentium Gembicki, Archiepiscopum Gnesnensem, quibus

ad

ad prædictum ArchiPræsulem, tanquam ad suum Metropolitanum confugit in necessitatibus Vratislaviensis Ecclesiæ. Hæc adducit in suo opusculo de Archiepiscopatu Gnesnensi Andreas Olszowski Poloniæ Primas, qui diem ultimum obiit 1677. Ad eandem Metropolim pertinebant Camiensis, & Lubuscensis, Episcopi; sed primi Diæcesis in Pomerania gemit sub jugo hæresum, Lubuscensis quoq; Episcopatus, bona, primum avulsa à Polonia, & Ducibus Vratislaviensibus annexa, ab eorum Successoribus, Joanni & Ottoni, Marchionibus Brandeburgicis vendita, à quibus hæresi infectis, in laicalem jurisdictionem abiit integer Episcopatus. In aliquibus tamen locis Districtûs Lubuscensis, potestatem quamvis exiguam habet Episcopus Vladislaviensis.

Archiepiscopi Gnesnensis, juris est, Synodum Provincialem convocare, & illi præesse; cui Archiepiscopus Leopoliensis cum suis Suffraganeis, (patet id ex Synodis Provincialibus Gembicciana & Węzykoviana) Præsul Vratislaviensis in persona, aut per suos Legatos adesse tenentur. Sanxit id cap: IV, Gembicciana Synodus anno 1623. celebrata.

Archiepiscopi quoq; potestatis erat, electos Poloniæ Antistites confirmare, & consecrare. Hoc privilegium nactus est à Romano Pontifice Martinus Zabawa, ac Simeonem Gozdawa, à Capitulo Plocensi electum confirmavit. Duravit authoritas ista ad annum 1439. quo Vincentius Kot, Paulum Giżycki Plocensem Episcopum, electum approbavit & Cracoviæ consecravit: cujus Successor in Plocensi sede Stiborius, disponente Roma, ab alio consecratus jurisdictioni Metropolitani Gnesnensis præjudicavit; nam ab illo tempore Præsules Poloni etiam ab aliis Episcopis consecrantur; maxime autem ea prærogativa Archiepiscoporum cessavit, cum libera Episcoporum electio à Casimiro impedita, & fere sublata est. Digni-

Dignitas itaq; hæc prima est in Polonia, non tantum ex eo, quod Archiepiscopis Gnesnensibus Metropolitana jurisdictio annexa, jus Provinciales Synodos convocandi, & in illis præsidendi, attributum; sed etiam ex eo, quia ex illis quilibet, in hoc Regno, & Provinciis annexis Legatus Natus est. Honorem hunc obtinuit primus, Henricus Kietlicz in Ordine XVII. ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi anno 1215. impetravit præterea, ut illi Crucis simulacrum præferretur. *Olszowski c. 1. art: 9. scribit:* Crucem Archiepiscopis Gnesnensibus præferri etiam in præsentia Nuncii Apostolici cum facultatibus de latere, & Cardinalium. *Raynaudus & Damalevicius* asserunt: hunc favorem soli Henrico præstitum, nec ad ejus Successores extensum fuisse. Joannes Łaski, XLIV. in Ordine, cum adesset Concilio Lateranensi, Sigismundi I. Orator: istud munus Legati Nati à Leone X. obtinuit pro se & suis successoribus. Exstat Bulla hæc Leonis prædicti anni 1515. cum Constitutionibus Provincialibus, unà cum Synodis à Roma approbatis (*a*) Ex ea ratione decreta omnium Præsulum in Polonia, & Lithvania relaxare, vel approbare, cujusvis diæcesis, etiam Leopoliensis ac Suffraganeorum Ejus causas judicare potest (*b*) ab Ejus tamen judicio datur appellatio ad Tribunal Apostolicum Sacræ Nunciaturæ.

Præterea Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniæ & MD. Lithvaniæ, Primas est. Dignitas hæc decreto Patrum in Concilio Constantiensi anno 1416. Nicolao Trąba attributa. *Eodem anno* scribit Mathias à Miechovia c. 51. l. 4. *Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis à Concilio Constantiensi Primatem se Polonæ Ecclesiæ declarari per speciale privilegium obtinuit, ab eoq; tempore ipse, & sui Successores Archiepiscopum, & Primatem Eccle-*

sia

(*a*) *Olszowski c. 2. art: 1.* Niesiecki Tomo I.

(*b*) *Zalaszowski in Jure Regni Lib: 1, titul. 31. Vit: Præf: Tom I.*

ka Gneſnenſis ſe inſcribunt. Cæterum anteactis tem-
poribus, imo ſtatim ab initio, eo honore colebantur
ArchiPræſules Gneſnenſes. *Dlugoſſius*, ,quem ad
ducit *Olſzowſki cap: 1.* ſcribit: *Statim in primæva funda-*
tione Archiepiſcopatuum: Gneſnenſis, & Cracovienſis, & ſe-
ptem Epiſcopatuum, tributum à Miecislao Eccleſiæ Gneſnen-
ſi, ut apud illam decus Primatiale conſiſter.t. Et ſtatutum
Caſimiri M. anni 1369. expreſſe dicit: *Jaroslaus, Ar-*
chiepiſcopus Gneſnenſis, Bogoria dictus, authoritate Me-
tropolica, & Primatiali viſitans diæceſim Cracovienſem (c)
Porro, hic Jaroslaus longe Nicolaum præceſſit in Ec-
cleſia Gneſnenſi. Quare (ut advertit Nieſiecki,) Ni-
colaus antiqui juris ſui confirmationem obtinuit in
Concilio, ex ea ratione, (ut inquit Cromerus l. 18.)
quòd, cùm SynodoConſtantienſi adeſſet; Joannes Rze-
ſzowski Leopolienſis Archiepiſcopus Eliſabetham
Pilecka, Ladislai Jagellonis Conſortem, in Reginam
coronavit; metuens itaq; Trąba, ne factum hoc cum
præjudicio juris ſui & Succeſſorum in morem trahe-
retur, Primatialis dignitatis approbationem procuravit.

Et quia, juxta privilegium Caſimiri M. Poſna-
niæ 1360. datum, à Sigiſmundo Auguſto 12. Octo-
bris 1568. approbatum; Primi Poloniæ Principis gau-
det titulo; per privilegium Ladislai Jagellonis anni
1411, Vicarius Regni Poloniæ generalis dicitur; ſub-
ſellium primum in Senatu habet, & primus ſententi-
am dicit. Quare cum Sbigneus Cracovienſis Epiſco-
pus Cardinalis in Senatu primus eſſe vellet, Archie-
piſcopus verò Gneſnenſis, Ladislaus Oporowski id
non permitteret; Caſimirus Rex 1451. anno, Petrico-
viæ in conventu generali de conſilio Ordinum ſanxit,
ut alter eorum una die, & alius altera die Senatum in-
grederetur, nihilominus etiam abſens, requiſitus con-
ſilium daret. Eodemq, decreto ſtatuit, ne quiſpiam
Epiſcoporum, abſq; conſenſu Reipublicæ Romanam
Purpu-

(c) *Herburt fol. 132.*

Purpuram procuraret. Et dum Joannes Albrachtus Regius Princeps, Cardinalis creatus eſſet, Conſtitutio Regni anno 1633. lata eſt: *Quia dignitatem Cardinalis Joannes Albrachtus, Princeps Regius à Sede Apoſtolica obtinuit, præcavemus, ut eo nomine nullibi locum ante Regni Primatem ſibi uſurpet.* Andreas quoq; Bathoreus Cardinalis, per legem Regni anno 1588. pro Indigena Regni Poloniæ cum conſtitutus eſſet, eadem lex ſtatim cavit, ut in Senatu locum haberet, & ſententiam diceret, eo gradu, cujus Eccleſiæ Epiſcopus eſſet. Præterea in publicis congreſſibus nulli Principi, Fratri aut Filiis Regum locum cedit. (d) Veſtitu etiam ab aliis Præſulibus diſtingvitur; nam ex antiquo purpuratus incedit ad inſtar Cardinalium: patet id ex libro Rituum Italicè per Mareſcottum Nuncium in Polonia, poſtea S. R. E. Cardinalem edito, & Romæ 10. Julii 1699. ad Acta Secretariorum, necnon ad Archivum Gneſnenſe porrecto (e) Et quia uſus hic Purpuræ intermiſſus erat, illum Chriſtophorus Szembek innovavìt: Adamus verò Komorowski Primas, approbante Roma, eundem magis confirmavit pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus Bulla impetrata à Benedicto XIV. vide vitam illius.

Archiepiſcopus antiquo & præſcripto uſu, licet à Legatis Regum viſitetur, neminem in perſona ſua reviſit, præter ſolum Nuncium Apoſtolicum; Principem enim ſuum Pontificem, tanquam Ejus gratia Archipræſul, agnoſcit, ac revereri tenetur. *Olſzowski c. 4.*

Rex in ſuis ad Eum Epiſtolis titulum Reverendiſſimi Patris Eidem inſcribit. Regiam vero intranti, aliquot paſſibus obvius procedit: Mareſchalci verò utriusq; Gentis eum ad ſuperiores gradus præſtolantur, Alii vero variis dignitatibus diſtincti pompam

ingre-

(d) *Karnkowski de Primatu Senatoris pag: 12.*
(e) *Łubieński Geograph.*

ingredientis aucturi, ad infimum aulæ atrium deſcendunt.

Diplomata Comitiorum Regni, Archiepiſcopi manu ſubſcribuntur, Reſponſa publica & Epiſtolæ quoties nomine Reipublicæ vel Senatûs dantur, ſubſcriptione Primatis, & ſigillo muniuntur. (*f*) In abſentia Regis, Comitia, ſi opus eſt, indicere, poteſtatem habet Archi Præſul. Sic indixit Karnkowski abſente Sigiſmundo III. Gamrat abſente Sigiſmundo I. Comitiis Petricovienſibus præfuit, Senatûs Conſilia abſolvit, Conſtitutiones publicari fecit. Idem Rege infirmo Senatui præſidebat. Ladislao IV. ob ægram valetudinem decumbente, hocce munus obivit Wężyk. Ejus officii eſt, jura & libertatem tueri, Regem muneris ſui admonere, & ſi hic monito Primatis morem gerere nollet, Ordinibus eam Regis monitionem committere. *Conſtit: 1607.* Ita Mathias Łubieński, (ut alios prætermittam) Ladislaum IV. primum per litteras, tandem in Comitiis 1647. publico ore admonuit, & feliciter; nam Rex mentem mutavit, & a præconcepto contra leges Patrias bello, Turcis inferendo deſtitit.

Privilegium cudendæ monetæ, Vincentius à Czarnkow pro ſe & ſuis Succeſſoribus apud Ladislaum Ducem impetravit. (*g*) Quod Premislaus II. Majoris Poloniæ, anno 1284. ſpecialibus litteris Jacobo Swinka, confirmavit.

Poſt obitum Regis interregnum promulgat: litteras libertatis a pœnis infamiæ, proſcriptionis, ſalvi conductus, contra vim & potentiam, tutorias pupillis, aliaq; Juris beneficia, & remedia usq; ad Comitia Coronationis concedit: Nobilitatem convocat, tempus electioni novi Regis deſignat, illi præeſt, & nominatur Inter Rex. Eo tempore, ſi neceſſitas exigeret, Lit-

(*f*) *Olſzowſki c. IV.* (*g*) *Cromerus lib: VIII.*

Litteras expeditionis bellicæ (*b*) expedire poteſt. Sub tempus electionis Regem nominat, Ejusq; juris eſt, electum, & ſi connubio adſtrictus eſt, Reginam coronare. Hanc legem pro Archiepiſcopis Gneſnenſibus tulit Caſimirus III. in Comitiis Petricovienſibus 1451. Verba ſtatuti ſunt: *Quantum ad coronationes Regum, & Reginarum Poloniæ pertinet; ſtatuendo, decernimus & ſtatuimus, quod nullus alius ad hujuſmodi coronationem ipſorum Regum, & Reginarum ſe de cætero & in perpetuum intromittet, & coronabit, præter Archiepiſcopum Gneſnenſem pro tempore exiſtentem.* Idem ſanxit Conſtitutio Sigiſmundi Auguſti anno 1550. Bulla Sixti V. 1581. quam in jure Polono, adducit Zalaſzowski. Habetur & Decretum Congregationis, S. R. E. Cardinalium anni 1657. die 6. Decembris latum, quo deciſum eſt, Actum ſolennis coronationis ſpectare ad Archiepiſcopum Gneſnenſem. Et ſi Primas Regni è vivis excederet, aut impeditus eſſet, tempore Interregni obire Primatis munia, juris eſt Vladislavienſis Epiſcopi. Id Joannes Łaski in Coronatione Sigiſmundi Auguſti pro Vladislavienſi Antiſtite Mathia Drzewicki, contra Joannem Latalski, Poſnanienſem Epiſcopum ſtatuit: quod idem Drzewicki, poſtea Archiepiſcopus Gneſnenſis 1532. firmius fecit. Sic Karnkowski, adhuc Vladislavienſis Epiſcopus coronavit Stephanum, quia Uchański Primas Maximiliano adhæſerat. (Vide ea de re Olſzovium de Archiepiſcopatu Gneſnenſi, pag: 117.) Tylicki coronavit Reginam Conſtantiam, quod Macieiowſcio pro Archiepiſcopatu Gneſnenſi nondum veniſſet confirmatio Romana. Dąbski nominavit & coronavit, Auguſtum II. quia Cardinalis Radzieiowski, tuebatur partes Principis de Conti a nonnullis electi. Cæterum, Joannem III. Andreas Trze-

(*b*) *Poloni litteras Reſtium, ſeu Vici vocant, quibus omnis nobilitas evocatur ad ferendum Patriæ ſubſidium ſub pœnis lege præſcriptis.*

Trzebicki, Episcopus Cracoviensis, post obitum Floriani Czartoryski, Primatis nominavit in præsentia Joannis Gembicki, Vladislaviensis Præsulis, *Volumen Legum V. fol. 257.*

Aula Archiepiscopi Gnesnensis ad formam Regiæ composita est. Præter Cruciferum, qui publice, discedenti Primati, eques, pediti pedes crucem argenteam in Senatu & Regis palatio præfert, habet Mareschalcum Ordinis Senatorii, hic Archi Præsulem præcedit cum Scipione, eumq; coram solo Rege demittit: cæterum absentibus Mareschalcis utriusq; Gentis, scipionem etiam in Comitiis, Regi præferre potest. Habet Cancellarium, Referendarium, ex Canonicis Gnesnensibus à se institutos. Quando publica Regni necessitas per communem motionem evocat Nobilitatem, & Provinciæ status, ad ferendas Patriæ contra hostem suppetias; Archiepiscopus aliquos e Senatu, & Ordine Equestri ad latus suum eligit, qui manu Mareschalci Ejus annotati, liberi sunt ab hac expeditione bellica.

Archiepiscopus à quavis in jus evocatione ad Judicium quorumvis Judicum liber est; Exstat hujus rei privilegium Casimiri Magni anno 1343. Gnesnæ, Feria tertia post diem SS. Viti & Modesti MM. Jaroslao Archiepiscopo concessum: à Ladislao Jagellone, 1426. Sandomiriæ, Feria quinta infra Octavas Nativitatis B. MARIÆ Virginis, & Sigismundo I. 1548. Petricoviæ, in Conventu generali, Sabbatho postridie Epiphaniarum, confirmatum: *Nos igitur* (verba sunt Casimiri Magni) *in hoc non aliud, quam quod unicuiq; reddatur justitiæ plenitudo, affectantes, ne per frequentationem diversorum Judiciorum, & locorum, Archiepiscopalis dignitas vilescere videatur, & inter graves & universales, mediocresq; personas, differentia saltem habeatur aliqualis, vobis singulariter singulis superius scriptis, & generaliter universis, auctoritate præsentium præcipiendo, mandamus quatenus Dnum Archiepiscopum prædictum, per procuratores suos idoneos, cum instrumento, vel saltem cum litteris, suo Archiepisc: & Capituli Gnesnensis Sigillis de rarihabitione signato, vel signatis, quos ad causam, vel causas miserit, vel deputaverit, elegerit, aut duxerit eligendos, seu mittendos in quæstionibus hæreditariis, seu hæreditatem, vel hæreditariam quæstionem contingentibus, causis etiam magnis & parvis, in quemlibet licite, ac sine contradictione agere sua absentia non obstante permittatis. Sic quod etiam in similibus de se conquerenti, vel conquerentibus, modo simili respondere teneatur.* Nec privilegium hoc trahi potest ad causas præsentiam non exigentes; nam non procedit exclusive, sed terminis generalibus; præterea cum in controversiis præsentiam non exigentibus, cuivis privato Nobili agere per suum Procuratorem licitum sit, privilegium hoc concessum & confirmatum supervacaneum & nullum esset. Idem agendi per Procuratores suos, in quovis Judicio concedit Jaroslao Archiepiscopo, & Successoribus Casimirus prædictus 1357. Cracoviæ in Octava Cinerum. Accedit & lex Ordinum Reipublicæ Grodnæ in Comitiis 1718. lata, quæ jura antiqua, & decora Primatis conservanda sanxit.

Si quis Nobilium gravem Regis offensionem incurrat, refugium habet apud Regni Primatem, cujus officii est, ut suo interventu iram Regis leniat. Ita Mathias Łubieński, gratiam impetravit Georgio Lubomirscio, cum hic ob percussum Instigatorem Regni Zytkievicium indignationem Joannis Casimiri incurrisset. *Olszowski cap: IV.*

Archicapitulum Gnesnense, primum ut ordine, sic honore in Polonia, componitur ex Præposito, Decano, Archidiacono, Primicerio, (Cantores in Ecclesiis Cathedralibus vocantur) Scholastico, Custode, Cancellario, Canonicis Nobilibus octodecem, Doctoribus Theologiæ binis, qui munus Concionatoris in Eccle-

Ecclesia Cathedrali obeunt: Doctoribus utriusq; Juris duobus, & uno Medicinæ, præter Suffraganeum, qui ex tribus electis à capitulo, per Archiepiscopum confirmatur, & si ex numero Canonicorum sit, eos in consiliis Capituli loco & sententia præcedit. Abbas Tremesnensis Canonicorum Regularium S. Augustini, Præpositi Sacellorum Kołudzceiani & Łubienściani, de illorum numero sunt. Suos conventus solennes celebrat die festo S. Adalberti E. M. & Translationis illius.

Ex numero Nobilium eligit ad Tribunal Regni binos Judices, quorum primus juxta dicta superius, præsidet huic Polono Areopago, suumq; solennem ingressum Petricoviam (urbs est Siradiensis Palatinatûs, olim Comitiis Regni, ac Synodis Provincialibus, nunc judiciis Tribunalis Provinciæ Majoris Poloniæ, commendata) habet passim ex oppido Olborz Episcopi Vladislaviensis.

Archicathedralis Ecclesia, Gnesnæ in monte Lechi, sub titulo Assumptæ in cælum Virginis erecta. Hanc à Bohemis vastatam Martinus Zabawa augustius renovavit, varii postmodum Archiepiscopi comptiùs adornârunt, & plurimis beneficiis ditarunt.

Latitudo Archidiæcesis adæquat quinquaginta, longitudo quinquaginta octo leucas Germanicas. Continet in se Palatinatus: Calissiensem magna ex parte: Siradiensem, Lanciciensem, Ravensem, (aliqua hujus Palatinatus pars, est etiam juris Posnaniensis Episcopi) Cassubiam, Chęcinensem, Opocznensem Districtus, in Palatinatu Sandomiriensi. Jurisdictio Archi Præsulis Gnesnensis extendebatur olim in totam Prussiam; patet id ex privilegio Innocentii III. Henrico Kietlicz, dato. *Niesiecki Tomo I.*

Præter Cathedralem Gnesnæ Ecclesiam, Collegiatas Ecclesias duodecem numerat: Lanciciensem ad fluvium Bzura, quæ propter suam antiquitatem Archi-

chicollegiata dicitur: Loviciensem, multorum Archi Præsulum sepulchris celebrem: Calissiensem ad fluvium Prosna, Uniejoviensem ad fluvium Varta, Curzeloviensem, Vielunensem, Olboriensem, Camiensem, ad quas Vicarii in Spiritualibus Officiales sunt. Łascensem cum Præpositura Infulata, effigie Deiparæ Virginis Joanni Łaski, Archiepiscopo Gnesnensi à Clemente VII. donata, claram: Gnesnensem S. Georgii in Arce, Siradiensem, & Chocensem, hanc Prosna, illam Varta fluvii alluunt. Ecclesias Collegiatas Canonicorum Lateranensium tres: Calissiensem: Clodaviensem, & Mstovensem. Archidiaconatus septem Gnesnensem, Lanciciensem, Loviciensem, Calissiensem, Uniejoviensem, Curzeloviensem, & Camiensem. Ecclesias Parochiales, quarum Rectores curam animarum habent, anno 1628. recensebat in Archidiaconatu Gnesnensi 201. in Lanciciensi 106. Loviciensi 50. Calissiensi 99. Uniejoviensi 160. Curzeloviensi 112. Camiensi 135. In hunc numerum non veniunt Religiosorum Sacræ ædes, quæ plurimæ sunt in Archidiæcesi. Hæc de Archidiæcesi Gnesnensi & dignitate Archi Præsulis. Jam vitas Archiepiscoporum eo ordine, quo rexerunt hanc Metropolim, resq; præcipuas illorum temporibus gestas propono.

ORDO & VITÆ
ARCHIEPISCOPORUM GNESNENSIUM.

I.
VILIBALDUS
Lateranensis Canonicus, natione Gallus.
Cruce pro Stemmate insignis.

QUintum fluebat sæculum, à condita per Ducem Lechum Polonia; quæ licet in statu politico, quam-

quantum illa finebant tempora, ordinata esset, à veri tamen Numinis cultu aliena, falsos more vicinarum Gentium adorabat Deos. Nunc primùm Miecislaus (ab aliquibus Mieszko dicitur) Dux, Ziemomisli Filius, accepta in Sociam vitæ Dąbrowka, Catholica, Boleslai, Bohemorum Ducis, Filia, Ejus consilio, & hortationibus Religionem veram amplexus est. Cæcus ille natus, cum inter solennes ritus gentis, anno ætatis suæ septimo, subitò lumen aspexisset, ea de re consulti augures, responderunt: Filium magna luce totam Poloniam illustraturum. *Dlugosz l. 1.*

Hic Princeps non satis habuit, ipse Christo famulari; totam Provinciam, ut fidelem faceret, Christianæ veritatis Magistros, qui populum erudirent, evocavit: & tam his, quam illis, qui in Spiritualibus præessent cæteris, dotes & facultates attribuit. Has Ægidius Cardinalis, Joannis XIII. Legatus, eodem Pontifice approbante, legibus juxta Sacros Canones circumscripsit, & finibus distinxit: ac prædictum Vilibaldum huic primæ in Polonia diæcesi præfecit. Intentioni Legati Apostolici abunde respondit Vir vitæ sanctitate, & zelo fidei dilatandæ insignis. Erat quidem impedimento lingva Polonica, sed hunc defectum per Bohemos Sacerdotes in eruditione novi gregis supplevit, morum verò suorum exemplo compensavit. Obiit anno 970.

II.

HATTO seu HARNO.

De Familia Columnarum.

HUnc Roma orbi, & Gnesnensi Metropoli post obitum Vilibaldi dedit. à Joanne XIII. designatus, honore Præsulibus debito, à Miecislao & Clero acceptus, modestia & svavitate diæcesim rexit, eaq; plures ex infidelitate Christo lucratus est. Maximis curis intentum Antistitem mors invidit, & altero Episcopatûs anno Patribus annumeravit. 971.

III.

ROBERTUS

De Familia Vitelliorum.

NAtione Italus, par Prædecessoribus in labore & cultura diæcesis; hoc superior, quod magno studio Polonum idioma didicerit, ut facilius rudem adhuc in fide erudiret populum. Annis viginti præfuit diæcesi, decessit anno 996.

IV.

S. ADALBERTUS I. MARTYR.

De Familia Rosinorum.

FRater S. ADALBERTI, major natu, *Poray* dictus, Sławnici, Comitis Libicensis in Bohemia, & Strzezislavæ (quæ soror erat Dąbrovcæ, Consortis Miecislai, Ducis Poloniæ) Filius, cùm necem quinque Fratrum suorum à Bohemis patratam eo tempore in Polonia versatus in obsequiis Boleslai, Filii Miecislai deploraret, reditumq; in Patriam perniciosum sibi adverteret, ab eodem Boleslao bonis & opibus ditatus, Patriam cum Polonia commutavit, Familiæ Poraitarum in hoc Regno conditor, (i) à cujus nomine Stemma Familiæ istius, Rosa alba foliorum quinque hucusq; nomenclationem suam retinet.

Vitam, & martyrium pro fide in vicina Prussia Sancti hujus Præsulis, in Actis Sanctorum descripsit P. Skarga; ego quæ ex Historia Prussiæ colligere potui, annoto. Paren-

(i) *Dlugossius lib. 2.*

Parentes Adalberti Slavnicus, Filius Sororis, Henrici I. Aucupis, Romanorum Imperatoris: Mater Strzezislava, Boleslai, Ducis Bohemiæ, Filia. Tanto natus Sangvine, in sacro fonte nomen Voytechi sortitus, sed ab Adalberto, Magdeburgensi Archiepiscopo, cui ad excolendam juventutem commissus fuerat, Adalbertus dictus est. Redux domum, ætatem fluxis rebus, earumq; vanitati permisit; sed funesto Ditmari, Episcopi Pragensis, (qui moriens rapi se ad inferos vociferabatur) (k) exitu perterritus, sapere didicit. Accidit persæpe, ut tragicus nonnullorum finis, Deo illum revelante, pluribus Sanctitatis initium fuerit. Sic ille Parisiensis Doctor, qui sub tempus proprii funeris, se accusatum, judicatum, tandem condemnatum, exclamavit; Divo Brunoni solitudinis, & arctioris vitæ causa exstitit. Sic Margaretha Cortonensis ex cadavere olim amasii sui, integerrimæ vitæ exordium nacta est; postea in fastos Sanctorum relata.

Brevi post mortem ejusdem Ditmari, præsente Boleslao, Bohemorum Duce, electus est in Episcopum Pragensem omnibus plaudentibus, solo gemente inferno; cùm enim, finita Adalberti electione, energumenus malo suo remedium postularet, & Clerici obsequium, ac cerimonias Ecclesiæ pararent, exclamavit dæmon: *Quid mihi molesti estis, væ satis est mihi; amplius hic stare non possum, quia hodie electus est populo terræ Episcopus, quem valde timeo, Christicola Adalbertus* (id se audivisse Villico, pius Sacerdos, retulit Cassini, loci Abbati) Ivit postea Veronam neoelectus Præsul ad Ottonem II. Cæsarem, sangvine junctum, à quo accepta virga Pastorali (investituram vocant) à Villegiso Archiepiscopo Moguntino consecratus, nihil non egit, ut Bohemos ad meliorem frugem reduceret. Sed hominum malitia ad eum gradum venerat, ut saluberrimis monitis retrahi à malo non potuerit; imo, ut eti-

(k) *Dlugossius lib. 2.*

etiam in fidem Christi esset improba, & proterva, Christianos in mancipia judæis vendere non erubuit. Ad scelera populi gemebat Præsul, & cum ea de re ab ipso Christo admonitus esset, (videbatur sibi in somno videre Jesum ea specie, qua olim venditus fuerat, & audire, soporem sibi exprobrantem: *Ego Jesus Christus, qui venditus sum, ecce iterum vendor judæis, & tu stertis?*) gregem deserere statuit: ac brevi, cum in dies pejorem adverteret, Romam perrexit. Ubi Joanni XV. statum Ecclesiæ suæ aperuit, quid acturus esset, consilium postulans, acceptoq; responso, ne se perderet, dùm aliis fructum facere non posset, Hierosolimam adire constituit.

Urbe egressus, magna argenti quantitate, quam à Theophania Imperatrice, Ottonis II. relicta Vidua in subsidium itineris Hierosolimitani acceperat, inter pauperes distributa, Cassinum pervenit. Celebre hoc plurimorum Sanctorum Seminarium placuit Adalberto; quare tam Religiosorum svasionibus, quàm loci Sanctitate inductus, de itinere in Palestinam mutata mente, Monachorum societatem expetiit. Acceptus ea conditione, ut in prædicto cænobio Episcopi munus exerceret. Sed, cùm Sanctus ab omni dignitate alienus esse vellet, sacro cætui valedixit. Deflexit ad Nilum S. Basilii Abbatem, in loco Vallis lucis commorantem ab eo in suorum numerum admitti postulans, verùm Romam redire jussus ad Bonifacium magisterio plurium monachorum insignem, à quo cum Gaudentio Fratre susceptus, vilissima quæquæ obibat munia. Vice quadam, Fratribus ad mensam inservientem labi contigit cum vase vini; putabatur ab omnibus, vas in plurimas partes fractum, illud tamen Adalbertus, impetrata casûs ab Abbate venia, integrum & vino plenum, Deo servi sui humilitatem compensante, è terra levavit.

Interea Pragenses orbitatis suæ pertæsi Pappa-tum

tum & Christianum Monachos, Legatos expediunt, qui ab Archiepiscopo Moguntino acceptis litteris, summo Pontifici pro suo Antistite supplicârunt, morum emendationem, & obedientiam pollicentes. Pontifex Romæ indicta Synodo, postulatis Oratorum annuit. *Reddimus*, inquiens: *quod justè quærunt, malè merentes filii. Sed damus hac lege, ut, si eum audierint, teneant cum benedictione Dei, & faciant sub eo fructum centuplum: Si autem à consueta iniquitate recedere noluerint; malorum consortia declinet.*

Hac Romani Antistitis voluntate dispositus Adalbertus, ad suam redibat Diæcesim; & cum longo itinere fatigatus, in campo quodam Justensis Regionis (Justa seu Domazlicium, oppidum Bohemiæ, ad fines Bavariæ situm est) somno concessisset; Pastor ex pago Milawecz dicto, Sancto illusurus, tubam pastoritiam auribus dormientis admovit, & subito clangore quietem interrupit. Eo strepitu excitatus, non tam injuriæ sibi factæ, quam temerariæ insolentiæ pœnam imprecatus est: *Deus faciat; ut qui hæc agunt, obsurdescant.* Servi sui dictis respondit cælum; dum non tantum pastor ille obsurduit, sed omnes pagi hujus pastores, idem experiuntur, si tubam inflent. Unde apud Milavecenses pro lege est, ut gregum custodes, flagrorum strepitu; pecora pellant, & tubâ abstineant; quam si aliqui violare ausi sunt, surdi effecti, nusquam curari potuerunt. (*l*) Pœnam, quam importuno ausui reliquit, beneficiô ejusdem pagi incolis compensavit; fontem elicuit, (qui hactenus Albertinus, Bohemis Woyteska dicitur) variorum morborum virtute sanativa præditum. Est & alter ejusdem nominis, è petra eductus, pari dono celebris; ad quem supplicatio publica cum precibus cleri & populi haberi solet Dominica in Albis, eaq; die arcis dominus egentibus penum elargitur, & nisi id faciat, nocturnis spectris infestatur. Inde

(*l*) *Hagecius in Annal. Bohem.*

Inde digressus, ad cænobium quoddam in monte situm, unde campi Bohemiæ videri poterant, deflexit. Occurrit eunti Brzimota, eremi illius superior, & post teneros amplexus, hospitem in ædiculam Deiparæ sacram introduxit; ubi post fusas Deo & Matri Sanctissimæ preces, in lapide, qui ad verticem montis eminebat, substitit (conservatur ille hucusq; in hac Ecclesia ad cornu Evangelii cum vestigiis Sancti impressis) & vicinam respiciens Bohemiam, eam censurarum Ecclesiasticarum vinculo solvit, impertita Pastorali benedictione, (pœnam hanc in pervicacem Provinciam abiens tulerat) quam diu optata terris illis pluvia subsecuta est. (*m*) Totô bienniô, ab excessu Beati, eâ caruerant, nec hanc supplicationibus, variis peregrinationibus impetrare poterant: imo, voce de cælo lapsa in Basilica Sancti Viti, didicerant, non habendam, nisi Divo Præsule domum revocato, & per eum anathemate sublato. Hujus miraculi occasione, nomen loco adhæsit: *Zelena hora* Bohemis, *Grunsberga* Germanis, id est *Mons viridis*; quod ab eo pluvia primùm descendere, primusq; virescere visus est. Spectantur insuper hodieq; jacentis Beati lineamenta, omniaq; membrorum fila, in petra, medio, a viridi monte, milliari Pragam versus, in qua fessus somnum cepisse dicitur, quæq; (ut incolæ credunt) Sancto Præsuli cessit, aut certe, quam antiquitas in memoriam Ejusdem signavit.

Venit demum Pragam, Duce Boleslao, Clero, populo in illius occursum effuso, & solenni pompa in Ecclesiam Cathedralem S. Viti introductus est: ubi omnes officii admonuit, Paternam adhortationem concludens, Ne inquit, *in posterum, cœlum vobis sit æneum, & terra ferrea; adfero hymnum à Deo, & Ejus in terris, Vicario, approbatum; quem si conscientiâ à delictis purgatâ cantaveritis, spondeo, fore, ut Deum propitium, & cælum,*

(*m*) *Dubravius lib. 6.*

lum, semper ad gratias cælestes, & imbres tempestivos habeatis. Similq; e pera protulit conscriptam notis musicis Syngrapham sequentem: *Deus, qui gubernas omnia, miserere nostri. Jesu Christe miserere nostri; Servator omnis creaturæ, salva nos, audi nos, vocesq; nostras Domine. Da omnibus Domine fæcunditatem terris, & pacem. Kirye eleyson, Kirye eleyson, Kirye eleyson.* Symphonia hæc canitur in multis Ecclesiis cum suo eventu.

Accinxit se postea disponendæ Diæcesi, & consecrandis Ecclesiis. Ad hocce obsequium invitatus à suis, excurreratLibicium; Et quia per infestaEthnicis loca sibi transeundum erat, ivit dissimulato vestitu, nudis pedibus, longam togam, rigidum capitis tegmen indutus; ubi consecratione Templi per acta, triduum permansit: quarto die, vale & benedictione data, dum occultis itineribus regreditur, Deo viam Sancti dirigente, aberrans, ad pagum Zielonka, in manus Ethnicorum incidit, à quibus ad Brodislaum de gente Tunacciorum, virum præpotentem, villæ dominum deductus est. Hic multis fatigatum sermonibus, cum Christo deditum esse, adverteret, famulis, quid cum eo fieri vellet, imperavit: qui detractô pileô, Sancto Præsuli multa verbera inflixerunt. Cum ea contumelia dimissus Episcopus, converso ad villam Brodislai vultu, *Hoc,* inquit, *loco, capitio spoliatus sum, atq; innocens verberatus. Deus faciat, ut villæ hujus Domini semper debeant, & quod debuerint, nunquam persolvant.* Dictorum veritatem sequentia probârunt tempora; onerati enim ære alieno domini, ditione illa cedere sæpius coacti sunt, rursusq; alii, pulsis aliis, succedebant; donec post plura tempora, Regio thesauro, Prerovia (sic postea villa hæc, dicta est) adjungeretur. *Hist: Pruss: lib. 1.*

Simile quid contigit eunti Boleslaviam. Venerat ad pagum Neratovice, ubi Albis fluvius transeundus erat, magnis precibûs, ut transveheretur, impetravit;

travit; & cum naulum requirerent nautæ, Sanctus Antistes respondit: *Filioli, aurum & argentum non est mihi, sed pro omni pretio, erit Christi fides, quam vobis annunciabo, & animabus vestris salutarem benedictionem impertiar.* Illi se nihil istis teneri vociferantes, Sanctum humi prosternunt, & calceamentis spoliant. Hac injuriâ motus Præsul: *Pro benedictione,* ait: *erit maledictio; Deus faciat, ut hoc loco nunquam panis abundet, semper ejus egentes sitis.* Ab eo tempore usq; ad hodiernam diem (scribit *Hagecius*) qui ex nautarum illorum stirpe sunt, quovis anno ante messem, panis defectu laborant, & licet copiosas habeant fruges, hæ in horreis evanescunt. Quare, ut metunt, triturant & divendunt; cum sciant panem sibi necessariò emendum. Hæc agebantur in partibus à fide Christi alienis. Pragæ vero cuncta ibant in deterius.

Paterna Sancti Præsulis vilipendebantur monita, festorum, sacrorum nulla habebatur reverentia. Affligebat Adalbertum hæc populi licentia. Accidit interea, ut matrona quædam ingenitæ honestatis oblita, contra fidem matrimonii excesserit, iram mariti fugiens, asylum apud Sanctum exposcebat, qui de tanto scelere correptam, in Oratorio D. Georgii ad ædes Deo dicatarum Virginum abscondit. Vindicabat uxorem conjux, ut de prævaricatrice tori, justum sumeret supplicium. Sanctus Antistes, saniora promittentem mulierem, & precibus, & loci immunitate defendebat. Authoritatem Præsulis, & Ecclesiæ securitatem minimi æstimans furiosus homo, pluribûs conductis, vi & armis effringit Templum, ac raptam mulierem capite minuit (a) Tantum facinus, causa fuit, ut Sanctus Pastor gregem denuo desereret.

Quare soli Pappato mente sua aperta, in Hungariam abiit, ubi Stephanum, Principis Geiza filium sacro

C

(a) Hist: Pruss: lib: 1.

cro fonte abluit, pluresq; Hungaros Chriſto lucratus eſt. Longiorem inſumpſiſſet moram, ſed cùm tempus nondum opportunum cerneret ad convertendam Hungariam; Romam ad ſuum cænobium rediit. Ubi de virtute in virtutem proficiens, vitæ ſanctitate, & miraculis inclaruit.

Vice quadam, per viſum oſtendit ei Dominus duos in cælo ordines, unum in purpureo, alterum in niveo amictu, quibus ſub diverſa ſpecie, ſingulare meritum, & propria dabatur merces, ambobus autem una erat occupatio, nempe laus perpetua Creatoris; intellexitq; inter utroſq; locum ſibi paratum. Oſtenſa ei fuit per quietem & altera viſio, in forma duorum cubilium, unius purpurei, ac pretii incomparabilis, ad cujus caput, aurea legebatur ſcriptura: *Munus hoc donat Tibi Filia Regis* alterius autem, Fratribus Ejus deſtinati. Cujus viſionis ordinem dum nonnullis familiarius exponeret, Leo Epiſcopus exclamavit: *Cito invenies; quod quæris, dono Virginis Martyr eris.*

Hoc ſingulare, quod ſequitur: Dum præſente ſummo Pontifice ſacris operaretur, in contemplatione rerum cæleſtium ſubſtitit diutius. De mora hac admoneri eum fecit Pontifex, & poſt abſolutam rem Divinam de ſomno coarguit. Tulit modeſte hanc Paternam correptionem, & cum innata humilitate reſpondit ingenue: *Sanctiſſime Pater, de ſomno nihil ego quidem ſcio, at aliquid me Divini paſſum, diffiteri non audeo; quippe brevi Fratres mei, pro Chriſti fide ab Ethnicis trucidati adhuc inſepulti jacuerunt. Divinô imperiô juſſus ſum eorum intereſſe funeri, & Chriſtiano ritu ſacra illa corpora ſepelire: in Bohemia eſſe me oportuit, ut fratribus meis ſupremum hoc præſtarem officium; Et quia me monitô veſtrô interturbâſtis; dum propero, manicam in ara Deiparæ Virginis, Eccleſiæ Libicenſis reliqui.* Pontifex ut rem exploratam haberet, miſit in Bohemiam rogatum, an & quo die occiſi eſſent Adalberti fratres? & quis eorum fu-

nus

nus procuraverit? cognitumq; eſt, illam ipſam cædis fuiſſe diem, quam Adalbertus nominaverat; inſuper eundem adfuiſſe, & univerſo populo ſpectante, exuvias ad Libicenſem Eccleſiam comitatum eſſe, præterea tulere chirothecam e Bohemia, quam cum Romanæ comparaſſent, dictis Sancti Antiſtitis fidem præbuerunt. Hæc adusq; Boleslaviæ in Bohemia conſervari ſcribitur. *Hiſt: Pruſſ: l. 1.*

Ægrè ferebant abſentiam Paſtoris ſui Bohemorum aliqui; quare, ut eum ſedi ſuæ reſtituerent, Villegiſo Moguntino Archiepiſcopo ſupplices fuêre. Pragenſium deſideriis ſatisfecit Villegiſus, ſcripſitq; Romano Pontifici, ut Adalbertum, ſupremo etiam imperio, ſi opus foret, ſuæ Diæceſi redderet. Gregorius V, qui tum Apoſtolicam moderabatur Sedem, ea de re congregavit plurium Epiſcoporum cætum: quorum fuit ſententia, etiam ſub anathemate cogendum Præſulem ad gregem proprium. Gregorius itaq; Adalberto reditum imperat, cui tamen, ne omni ſolatio vacuus abiret, poteſtatem facit, ubivis, & apud quoſvis barbaros, legis Divinæ prædicandæ, ſi forte Bohemi dictis illius parere nollent. Hoc Papæ mandato, Româ exceſſit Adalbertus, ivitq; Comes Ottonis III, id, ipſo poſtulante Cæſare: quo in itinere, approbationem Breunovienſis Cænobii, Ordinis S. Benedicti, patrimoniô propriô conditi, ab Eodem Imperatore impetravit. In Galliam poſtea divertit, ibiq; viſitatis, Turoni S. Martini, Dioniſii Pariſiis, Floriaci Benedicti, & alibi variorum Sanctorum exuviis, in Bohemiam direxit greſſum.

Ibat per Poloniam non ita pridem Chriſtianam ſuæ Patriæ amicam Gentem, & in Principe Boleslao conſangvineam; eam præterire noluit Duce, Fratre amitali inſalutato. Omni, qua par erat, humanitate acceptus hoſpes, magno fuit & Boleslao & Polonis ſolatio. Robertus interea Archiepiſcopus Gneſnenſis fatis

con

concesserat. Princeps Chrabry ut pro Pragensi, Archidiœcesim Polonam regendam susciperet, erat supplex Adalberto. Verùm hic Romanô imperiô excusabat oblatam sedem: statimq; ad Pragenses misit nuncium, quærens, num se Præsulem recepturi, moresq; suos emendaturi essent? sed hi in dies magis obstinati, nolle se eum Antistitem, qui illos aliquoties deseruisset, responderunt. Eo Bohemorum animi proposito lætus Adalbertus, Archiepiscopo Moguntino scripsit: Frustra se rediturum ad Pragenses, à quibus pro Episcopo, non esset agnoscendus.

Pastorali vinculô liberum Adalbertum suæ Poloniæ optans Boleslaus, Christi Vicario, ut illum Archidiæcesi præficeret, postulavit. Desiderio pii Principis annuit summus Pontifex, & Adalbertum Gnesnensi Ecclesiæ designavit, qui amplum laboris Apostolici campum nactus, verbo & exemplô novum instruebat gregem.

Parva tamen zelo illius videbatur Polonia, in vicinam Prussiam perrexit, ad vindicandas à cultu idolorum animas. Prima Ejus statio fuit Gedanum, ubi pro felici novi operis successu, Deo oblatâ hostiâ, aliquibus sacro fonte ablutis in ulteriores ditiones navigavit, spe aut majoris messis, aut martyrii citiùs obtinendi. Ad oppidum Sambiæ Fischausum pervenit, unde navi remissa, Christi opus exorsus est. Sed à barbaris male acceptus, non sine verberibus exesse Probaris male acceptus, non sine verberibus exesse Probaris vincia jussus est. Cessit furori, opportuniori tempori relinquens Prussiam; Lithvaniam volvebat mente. Sed benignitas Dei, meritam Martyrii lauream differre noluit.

Nocte, cruentam cædem Divi præcedente, Gaudentius Adalberti Frater, & peregrinationis Comes, vidit per somnium, in altari calicem aureum, vinô plenum, quem, dum ori admovere pararet, ab altaris custonum, quem, dum ori admovere pararet, ab altaris custode prohibitus est. Dicebat hic: calicem integrum bibendum esse ab Adalberto.

Id cùm postera die referret Germano suo: *Mi Frater*, ait Sanctus: *somnium Tuum prosperos habeat progressus; peccans caro, peccati pœnam non impediat, misericordia Creatoris victoriam obtineat.* Illucescente itaq; die, Gaudentius dum sacris operatus esset, barbari dolentes, quod illæsos Christianæ legis Magistros abire permisissent, magno impetu insecuti Adalbertum vinciunt, & in apicem vicini montis deducunt, Ubi Duce Kriva sacrificulo orantem pro sua & interfectorum salute lanceis confodiunt, anno 997. die 23. Aprilis.

Nec satis fuit occidisse: Caput avulsum, conto præfixum, in ludibrium per pagos & oppida circumferebant, relicto cadavere à feris, aut avibus lacerando: quod per triginta dies ab aquila custoditum ferunt. (b) Alii scribunt, a sacrificulis, quos Vaydelotos vocabant, in partes sectum, cum à quibusdam membra ad sepulturam colligerentur, & in suum ordinem disponerentur, integrum surrexisse, induisse se sacris vestibus, & quindecem milliaribus per terras & aquas ad locum, una leuca Gedano dissitum, nunc ad S. Adalbertum, dictum, devenisse. (c) Totos tres annos ibidem decubuit, donec apparens Sanctus cuidam peregrino Mazovitæ exuvias suas Gnesnam devehi jussisset, quas hic cùm deferret, ut prædones barbaros falleret, eas in cavam quercum deposuit, sed in pænam fornicationis commissæ, loco movere non potuit. Unde à Prussis detentæ, à Boleslao Poloniæ Duce postea redemptæ sunt. *Hist: Pruss: lib: 1.*

Ad famam tantæ necis, ingemuit Boleslaus, tota indoluit Polonia, & quem vivum habere non potuit, ut mortuus patrocinio, & ornamento esset, curavit. Legatos primùm Boleslaus expediit, qui corpus Divi Martyris expeterent. Inimica Polonis gens læta, quod Deum

(b) *Archivum Eccl: Varm:* (c) *Hieron: Camaldul: in vita S. Romualdi.*

Deum Poloniæ, (ut ajebat) occidisset. Exuvias illius æquali argenti pondere redimendas proposuit. Satisfecit Prussorum avaritiæ liberalis Princeps. Sed Deus Ducis munificentiam miraculo compensavit; nam Corpus S. Martyris adeo fecit leve, ut illud exigua pars transmissi argenti, juxta alios, Ducis ipsius annulus, juxta nonnullos, duo oboli inopis viduæ, in pondere exæquarint. Sic parvis impensis receptum Adalbertum Boleslaus cum summo cultu, & lætitia Procerum, primò Tremesnam, dein Gnesnam transtulit. Quo in loco, suum Martyrem Deus afflictæ in necessitatibus Poloniæ, Patronum & Tutorem providit.

Mortem Ejus pretiosam pro Christo, eadem hora, divinitus cognitam habuit S. Nilus Abbas, quam Fratribus manifestam fecit. Habuit & alter Religiosus, cum Sacris operaretur; admonitus enim fuerat, ut B. Adalberti subsidium imploraret. Vidit & quidam Romæ Sanctioris Instituti Frater, Joannes Campanarius, in specie duorum linteaminum de cælo demissorum, quorum uno, S. Adalberti, tum pro Christo cæsi, cæleste convivium denotari dictum; quid autem altero portenderetur? nihil unquam ab eo resciri potuit.

Sepulchrum gloriosi Martyris Otto III. Cæsar ex voto invisit. Tanto hospiti Boleslaus Posnaniam ivit obvius, & pro majestate Imperatorem Gnesnam deduxit. A quo, præter lanceam D. Mauritii, Regium diadema accepit, Primusq; Ducum à Gaudentio Archiepiscopo solenni ritu, plaudente populo, in Regem Poloniæ inauguratus est. Voto, & novi Regis institutione absoluta, ad Imperium redibat Otto, Cui in testimonium affectûs & gratitudinis e Sacris Adalberti Reliquiis, brachium Boleslaus obtulit. Hoc Romæ ad ædem sacram in insula D. Bartholomæi Apostoli, Cæsar deposuit, quod in hanc usq; diem ibidem colitur.

Julinæ in Pomerania, S. Otto Bambergensis Episcopus, Pomeranorum Apostolus, in honorem D. Adalberti Ecclesiam erexerat, & æs campanum appendi fecerat. Abiit in morem, ut quicunq; in suis necessitatibus, templum ingrederetur, æs illud pulsaret. Fæmina quædam cæca, ad impetrandum visum, plurima loca miraculis & cultu insignia visitaverat, sed itinerum, & cæcitatis suæ nullum experta est solatium. Vice quadam, filiola minorennis cæcam Matrem admonuit: *Vade mater ad Ecclesiam, pulsu & sono æris campani S. Adalbertum excita, ut te adjuvet.* Simplicitati filiæ obedivit Mater, ivit, pulsavit, Adalberto supplex, & oculorum usum recepit. *Niesiecki Tom: III.*

V.

RADZINUS seu GAUDENTIUS De Familia *Rosinorum.*

FRater S. Adalberti, & Ejus peregrinationis socius D. Benedicti Religiosus. Non sine animi dolore cruentam Germani sui spectavit necem. Optabat & ille mortem pro Christo obire; sed Deo disponente, contumeliis & verberibus affectus, rediit in Poloniam, Martyrii Adalberti Nuncius, & Ejus in sede Gnesnensi Successor. Corpus Sancti Fratris sui Tremesnâ Gnesnam transtulit. Boleslaum Chrabry Ducem Poloniæ 1001. anno in Regem unxit.

Gnesna Civitas Christianæ modestiæ oblita, agebat insolentius, coarguit licentiam Antistes; cæterum, cùm ea correptione, parum aut nihil proficeret, sacris urbi interdixit: & nisi resipisceret, clades, exitium prædixit. Obiit 1006. Gnesnæ sepultus. Corpus Ejus à Bretislao Bohemorum Duce, anno 1038. Poloniam sub tempus interregni depopulante, ex Ecclesia Gnesnensi, in triumpho ablatum est.

Servum suum, statim à fatis fecit Deus gloriosum miraculis in Polonia & Bohemia, inter quæ, illud singulare est. Thomas adolescens Pragâ oriundus in vincula

cula conjectus, toto detinebatur septennio: famâ virtutum Gaudentii permotus, ad ejus supplex confugit patrocinium. Adfuit afflicto, anno 1071. die 1. Junii, albo vestitu spectabilis & liberum ab ergastulo fecit. Solutus carcere Thomas, causam suam in judicio promovit, & feliciter lucratus est. Canonicus postea & Decanus Pragensis, memor beneficii, gratus semper vixit B. Gaudentio, ejus cultor præcipuus.

VI.

HIPPOLITUS

De Familia Ursinorum.

POst fata Gaudentii, pro Præsule Gnesnensi supplex erat Romæ, Boleslaus Rex; & hunc Hippolitum, Italum nactus est, Virum in scientiis, & ritibus Ecclesiasticis apprime versatum. Advenientem ab Urbe, omni humanitate excepit Princeps, & Diæcesis in occursum sui Præsulis effusa. Fundata in Spiritualibus jurisdictione Hippolitus, accinxit se consecrandis & ordinandis Ecclesiis, illisq; idoneos designavit Rectores. Cantum Ecclesiasticum, & cerimonias Romanis conformes instituit. Miecislaum Regem & Rixam coronavit. Obiit dierum plenus anno 1027.

Ejus temporibus, singulariùs favit Deus Poloniæ. Boleslaus Chrabry 1018. Jaroslaum Kiioviæ Ducem Regno, & ditionibus suis injurium, cruentô prælio, ad Bugum (nomen fluvii est) superavit, & præscriptis pacis conditionibus, vectigalem fecit. Regnum ad Albim & Tyram dilatavit, Ossæ Borysthenî, & Salæ fluminibus columnas fixit; Moraviam, Russiam, Saxoniam reddidit tributariam. Hac armorum felicitate, præmiare videbatur Deus pietatem hujus Principis, qui præter leges latas Ecclesiis faventes; earum Tutor & Patronus, Sieciechoviense, & in Calvo monte cænobium S. Benedicti condidit. Camaldulensium Eremitarum Ordinem

dinem, circa annum 1010. in Poloniam introduxit, suaq; liberalitate fovit.

VII.

BOSSUTA

De Stemmate Wieniawa.

Caput est bisontis, habens sphæram auream per nares pendulam.

DObieslaus Perfztein, Mareschalcus Dąbrovcæ, Consortis Miecislai Ducis, Ejusdem in sacro fonte Patrinus, Vieniavitarum Familiæ in Polonia Conditor, hunc Bossutam genuit, & ad primas dignitates educavit. Primus Polonorum dignus, & idoneus visus est, ut inter Præsules emineret. Et certe, afflictis in hoc Regno temporibus, nusquam melior Antistes dari poterat: Miecislaus, qui Patri Boleslao successerat, rerum potiebatur, & Rixam Cæsarum Neptem, duxerat in tori sociam. Præpotens mulier, adeò in suas partes flexit maritum, ut hic non pro justo & æquo, sed pro libidine uxoris imperaret. Sub tali regimine, nihil non mali esse poterat; erat satis placuisse impotenti fæminæ, ut pessimi quiq; censerentur optimi.

In eo statu, Christiana Religio, in Polonia nondum matura, ne aliquod detrimentum pateretur, Bossuta providebat. Extirpatis idolorum, & eorum cultûs reliquiis, cerimoniis in administratione sacrorum definitis, Synodum celebravit; in qua legibus circumscripsit Clerum, ut hic exemplô præiret cæteris, & in officio subjectos sibi contineret. Erat in bonos & egenos liberalis, in solutioris vitæ rigidior, severitatem tamen benignitate condiebat, & quos rigore lucrari non poterat, demerebatur beneficiis. Compositam in omnibus curabat Diæcesim, cæterum hanc, & alias longius interregnum, præsertim Bohemorum irruptio plurimum interturbavit. Bre-

Bretislaus Dux, injurias olim per Boleslaum suæ Genti illatas vindicaturus, dum post fata Miecislai Regis, Proceres mutuis cædibus in se sævirent, hac opportunitate usus, in Poloniam arma movit. Spectavit Præsul magno cum dolore vastari Patriam, violari Sacra, Divina & humana jura pessundari, Ecclesiarum thesauros diripi. Sed maxime ingemuit, sponsam suam non tam opibus (licet in uno Crucis simulacro 300. auri marcas rapuerit sacrilega hostium manus) quàm sacris Exuviis spoliari.

Fuit ea nonnullorum opinio, quòd eo tempore Bohemi Corpus S. Adalberti abstulerint, & Pragæ, suum olim Præsulem restituerint, quem vivum contempserant. Sed Gnesnensis Clerus, in illa calamitate Regni, metuens S. Martyris Reliquiis, sacrum pignus, in vili loco, & à quavis suscipione, alieno, deposuit, Radzini verò, seu Gaudentii exuvias substituit, quas Bohemi Pragam, tanto spolio læti, in triumpho deduxerunt.

Hoc malo Patriæ, & suæ Cathedræ afflictus Bossuta, in dies tristior, brevi obiit anno eodem cladis publicæ 1038.

VIII.

STEPHANUS I.

De Stemmate Pobog.

Solea est cruce desuper insignita.

NOndum quieverat Polonia, hostibus, & civibus ipsis in ejus perniciem armatis: Deerat, qui domesticum ferrũ comprimeret, invasores à Regno arceret. Sexennium prope integrum ab obitu Miecislai, cum iniqua sorte luctabatur Lechia, Proceribus electionem novi Regis negligentibus. Erat superstes defuncti Regis Casimirus Filius; sed hunc Rixa Mater cum Regni insignibus in Germaniam abduxerat, & Parisios miserat ad excolendam ætatem. Stephanus in Archi Præsulem consecratus, misertus Patriæ, Senatum & Nobilitatem Gnesnam pro Comitiis convocavit. Plurimi ab electione Casimiri erant alieni, metuentes, ne Parentis genio regeret. Fuit præterea obstaculo, quòd inaudierint, hunc Principem in Cluniacensi cænobio, dedisse nomen familiæ D. Benedicti.

Interea Stephanus cum majori parte elegit Casimirum, quem ut Regno redderet, ivit in Saxoniam ad Matrem, in Gallias Cluniacum, ut Casimirus suæ electioni annueret; demum Romam perrexit, Benedicto IX. supplex, ut electum è Monacho Regem, suo consensu daret afflictæ Poloniæ. Perfecit omnia: Benedictus, interveniente etiam Henrico III. Cæsare, Casimirum, & votis Religiosis, & Sacro Diaconatus Ordine absolvit ea conditione: I. ut à singulis capitibus, Nobilitate & Ecclesiasticis, exceptis, daretur pensio annis singulis, ad lucernam S. Petri, Romæ alendam (d) II. ut Poloni, ad normam Monachorum, comam capitis alerent in formam rotundam, nec infra aures crinem demitterent. (e) III. ut singuli Equites fasciam lineam candidam, festis solennibus, dum sacra peragerentur, è collo suspensam ferrent. (f)

Eo pacto restitutum Patriæ Casimirum deduxit Stephanus, & in Regem solenni ritu coronavit. Reginam Dobrognevam, Principis Russorum, Jaroslai Sororem, Vlodimiri Filiam, ex schismate conversam Ecclesiæ reconciliavit. Cum Bohemis suæ Cathedræ spoliatoribus, jure egit, sed solam litem in lucro habuit. Demum ubi omnia stabilivit pro bono Patriæ, à laboribus quievit, anno 1059.

IX.

(d) *Tributum hoc, obolus S. Petri, Polonicè Swięto Pietrze dictum, duravit ad tempora Sigismundi Augusti.* (e) *id propter varium Gentis vestitum non omnibus Polonis commune est.* (f) *ea lex cum tempore evanuit.*

IX.

PETRUS I.

De Stemmate Lesczyc.

Acervus est frugibus imponendis accommodus.

COncordi omnium voto, ex Præposito Posnaniensi electus, & consecratus est. Boleslaus Audax, à heroïcis virtutibus ita dictus, Filius Casimiri, exordia regiminis sui, pluribus victoriis gloriosa fecit. Bohemos, qui Silesiam, Majorem Poloniam vastaverant, coercuit. Prussos ad Ossam fluvium profligavit. Hungaros Regi Belæ rebelles, viribus Bohemicis & Henrici IV. Cæsaris superbos, ad officium reduxit, suoq; Principi parere docuit. Kijoviam expugnavit, Zaslaum Ducem exulem eidem Ducatui restituit. Premisliam, Terram Chelmensem, Vlodimiriam, totamq; Volhyniam subjugavit. Gloriosior fuisset, si sceleribus major non exstitisset, (vide vitam S. Stanislai E. M. c. 5to.) In eo coercendo, Petrus erat segnior; quare vapulat apud Historicos. Postnecem S. Stanislai, interdictum per totam Poloniam promulgari fecit. Excedente, Regno post patratam cædem Boleslao, & regnante Ladislao HermannoEjus Fratre, timiditatem suam optimis moribus emendavit. Nihil prætermisit, quæ Religionis erant. Diæcesim lustrabat sæpius, & quod devium erat, correxit. In bona senectute decessit anno 1092.

X.

MARTINUS I.

De Stemmate Zabawa.

Tabula est lusoria, latrunculis rubeis, & albis distincta.

PRope biennium vacavit Gnesnensis, sedes; tandem ex pluribus, hic eligi meruit. Consecratus, primam adjecit curam, ut suam Ecclesiam decore spoliatam, incendio exustam renovaret & adornaret, solenniq; dedicaret ritu. Dies hæc, non tantum cerimoniis Ecclesiasticis, verum & libertate Sbignei, Nothi Ladislai Principis, fuit insignis. A Bretislao Bohemorum Duce, hic contra Hermannum Patrem armatus, Vratislaviam occupaverat; sed pulsus urbe, ad Prussos & Pomeranos confugit, Dux eorum contra Poloniam futurus; & obtulit aciem Patri, (vide lib: 2.) sed profligatîs barbarîs, ivit in vincula; delituisset diutius, sed per Martinum Ladislaô placatô, solutus carcere, festivitatem majorem fecit.

Circa conversionem Pomeraniæ, idolis deditæ laborabat Præsul hic, sed nullo, aut exiguo fructu. Vice quadam, descenderat Spicimiriam, ad augendam dedicationis Templi solennitatem. Adventum Ejus subodorati barbari, locum adoriuntur. Effugit quidem illorum manus Archi Præsul, sed Archidiaconus, & alii ex Clero non pauci in vinculis abducti, supellex Ecclesiæ direpta. Non abiit impune scelus tantum. Quicunq; Clero, aut rebus sacris violentas manus injecerant: alii, ubi ad sua redierunt, cum uxoribus, prole, familia, mortui; alii in rabiem acti, de se ipsis sumebant supplicium, ungvibus & dentibus in se mutuò sævientes, extincti.

Hæc Numinis de sacrilegis vindicta, reliquis salutaris fuit. Archidiaconum cum aliis, supellectilem sacram cum muneribus Archiepiscopo remittunt supplices, ut pænam nonnullorum à tota gente averteret. Grata hæc legatio barbarorum fuit Martino, quare optimam nactus occasionem, seriò illos hortabatur, ad cognitionem & cultum veri Dei, cujus vindicem manum, in suis experti essent. Plectentis scelera Numinis viva apprehensio, Sancti Antistitis adhortatio, tantum valuit in eorum animis, ut plurimi ex Pomeranis vinctas manus dederint, in fide ab Ottone Bambergensi

genſi Præſule poſtea inſtructi, & ſacro fonte abluti. Primus hic Archiepiſcoporum Romæ impetravit pro ſe & ſuis Succeſſoribus, jus confirmandi electos in Polonia Epiſcopos (ut dictum p. 16) ac in Simeone Gozdavita, à Plocenſi Capitulo, electo hanc ſuam firmavit authoritatem. Vixit anno à partu Virginis 1118.

XI.

JACOBUS I.

Littera S. pro ſtemmate uſus.

HUnc non Natales, humili enim ſorte Znini (oppidum eſt Archiepiſcopi) ortus, ſed virtus & eruditio ad Metropolitanam evexit ſedem; Sacrorum Canonum, & juris civilis notitia ad maxima fecit idoneum; & quòd par fuerit muneri huic, eventus docuit. Patriæ memor, Zninum muris cinxit. *S.* Adalberti exuviæ, metu Bohemorum à Clero Gneſnenſi abſconditæ (vide p. 42.) hucuſq; in latebris latebant, eas Jacobus ad publicum elevavit cultum.

Boleslaus Crivouſtus dilatatis Poloniæ finibus; morti proximus; Provincias inter Filios ſuperſtites diſtribuerat; quibus, & toti Poloniæ Ladislaum natu maximum præfecit. Princeps hic ſua ſorte non contentus, ſvaſione uxoris Chriſtinæ, (quæ ſe Cæſaris filiam, Cæſarum neptem, cum ampliſſima dote, in ſpem univerſi Principatus nupſiſſe, nunc verò non pro majeſtate cum liberis vivere, aſſerebat & jactabat ſæpius;) hoſtibus prætermiſſis, & neglectis, Ruſſis in ſocietatem armorum evocatis, Fratres bello adortus eſt. Admonuit paterne Archi Præſul hanc Ladislai temeritatem, & ut à Fraternis ditionibus abſtineret, ſerio dehortatus eſt. Sed ille nihilo melior, cum in cæptis perſiſteret, Pontifex ſacris ornatus, in ipſo tentorio collecti exercitus, obſtinatum Ducem Diris devovit.

Nec inanes Præſulis minas ſenſit injurius Princeps. Fratres ſuis ſedibus ejecti, ad Miecislaum in Majorem Poloniam confugerunt. Sic in unum locum congregatos ut citiùs opprimeret Ladislaus, adverſas copias admovit Majori Provinciæ, potituſq; nonnullis civitatibus, Poſnaniam obſidione cinxit: Ubi, cum ſuis Ruſſis dum rem negligentiùs agit, Principes vexillo, quod ex turri Poſnanienſi oppidani in ſignum excurſionis ſuæ explicuerant: (Ladislaus indicium deditionis exiſtimabat) evocati e locis propinquis, omni ex parte caſtra invadunt, primoq; impetu Ruſſos, nihil tale ſuſpicantes, in fugam vertunt, obvios trucidant. Demum aucto ex Polonis, qui undiq; confluebant, exercitu, aliena appetentem Ladislaum, tota Poloniâ exturbant. Tentabat ille reditum, Cæſaris fretus auxiliîs, ſed nuſquam receptus, exul miſerè contabuit, mortuus Haldenburgæ 1159. privatus Principatu 1146. cujus exilium fato ſuo præceſſit Jacobus 1144, ſepultus Gneſnæ.

XII.

PETRUS II.

De Stirpe Srzeniavitarum.

Familia hæc flumen habet pro ſtemmate.

HUic Janislaum in ordine præponunt aliqui. *Damalewicz & ex illo Nieſiecki, Naramowſki, in Facie Rerum Sarmaticarum*, Janislaum Petri ſucceſſorem cenſent. *Nieſiecki Tomo III. fol: 668.* Vernerum Epiſcopum Plocenſem electum, conſecratum Lovicii à Janislao, 2. Maji 1156. ſcribit: jam verò Tomo IV. fol: 174. poſt necem hujus Verneri (quæ 1172, juxta ſeriem Epiſcoporum Plocenſium Tomo I. ab eodem propoſitam, & vitam hujus Verneri Tom III. fol: 668. annotatam, contigit) inquit Petrum Srzeniavitam, Archiepiſcopum Gneſnenſem, poſt cruentam Verneri cædem, inito cum aliis Præſulibus conſilio, toti Polo-

niæ

niæ ſacris interdixiſſe. Porro hujus Petri fata in annũ 1152. tam Tomo I. quam Tomo IV. fol: 174. devolvit vide infra.

Et generis nobilitate, & virtutis ſuffragio hanc Sedem meruit. Nondum diſcordes Principum Polonorum animi quieverant, Ladislao exule ſuos Ducatus ambiente, & Ducibus Sileſiæ mutuis armis inter ſe diffidentibus. Petrus ut pacatas Provincias redderet, omnem curam adhibuit: Ejuſq; interventu, odia depoſita, exacerbatæ convênere mentes: Exules in Sileſia, & armis preſſi ſuis Principatibus reſtituti. Miecislaus ſenex in anno 1145. Ciſtercienſium Lendenſe cænobium fundaverat, Ejus fundationis privilegium ſubſcripſit Petrus. Plura pro bono Patriæ meditantem mors eripuit anno 1152.

XIII.

JOANNES I.

Janislaus, Janicus juxta nonnullos.

De Stemmate Gryphium.

VIncentii Jaxyc Filius, Leſconis III. Ducis Poloniæ, ſangvis, primum Vratislavienſis in Sileſia Epiſcopus, promovente Virum zelo, ac morum affabilitate, āb Archicapitulo electus, invitante Boleslao Criſpo, probante Eugenio III. Romano Pontifice Archiepiſcopus Gneſnenſis. Motivo fuit eidem Boleslao, ut contra infidelem Pruſſiam, & Poloniæ injurioſam arma moveret. Viribus Polonis exterriti Prutheni, & fidem in Chriſtum, & tributum pendendum jure jurando promiſerunt. Sed periculo & metu liberi, ad genium & idola rediêre, tributi etiam perſolvendi penitus obliti, novis excurſionibus, ditionibus Polonis graves. Temeritatem & inſolentiam Pruſſorum ut comprimeret Boleslaus, & Provinciam in officio contineret; non exiguas legit copias. Sed cun-

ctando rem agit, inter paludes amiſſo ferè exercitu, vix ipſe barbarorum evaſit manus, pæna ad poſteros transmiſſa, non vindicatæ ſtatim injuriæ Divinæ. Deperditas acies doluit Polonia, doluit & Præſul iniquam Patriæ ſortem, quam auxit ipſius Criſpi ex mærore obitus.

Injuriam per Pruſſos fidei jurejurando datæ reos cauſatam, ſtudiô cultûs Divini compenſandam curavit religioſus Antiſtes; à D. Bernardo adhuc ſuperſtite, ex Morimundenſi in Burgundia cænobio Fratres Ejus Ordinis impetravit, ac Brzeznicæ collocavit. Unde monaſterium hoc, Morimundus ab aliquibꝰ dictum eſt. Præter nonnullos Archiepiſcopalis menſæ proventus, & decimas à Mauro & Radosto Epiſcopis Cracovienſibus impetratas, bona in ſe jure ſucceſſionis devoluta eidem aſceterio attribuit. Hujus ſuæ diſpoſitionis privilegium ſubſcripſit: *Ego Joannes Epiſcopus, & Frater meus uterinus, Dominus Jaxa Mihora Miecislaus, Martinus Nicolaus Tribunus, Comes Bogumilus, hæredes de Brzeznica, damus, donamus.* Conditores cænobii hujus, licet bona ſua prædictis Religioſis donaverint; ſibi tamen & ſucceſſoribus reſervârunt à ſubditis penſiones aliquas: videlicet corda jumentorum ad alendas aves venaticas, & aliquot haleces à quolibet dolio, tributum tamen hoc à ſucceſſoribus poſtea indultum eſt. Villam hanc Brzeznica, unus Abbatum à ſuo nomine Andrejoviam dici voluit.

Et ne ſolus Joannes in Deum munificus eſſet, Miecislao ſeni, ſic ob morum gravitatem dicto, author fuit, ut Caliſſii Eccleſiam Collegiatam ſub titulo S. Pauli erigeret & dotaret. Epiſcopos Poſnanienſes: Stephanum, Radvanum & Bernardum confirmavit & conſecravit. Habentur illius Epiſtolæ ad Mathæum, Cracovienſem Præſulem, in quibus hiſtoriam Polonam complexus eſt. Obiit meritorum plenus 1167.

XIV.

BOGUMILUS
De Familia Poraitarum.

DIvi Adalberti Nepos, Nicolai Castellani Gnesnensis, & Catharinæ, Joannis Archiepiscopi Gnesnensis Sororis, Filius. Litteris primùm Gnesnæ, postea ab Ottone Episcopo Bambergensi, ultimò Parisiis excultus. Post fata Parentum, facultatum suarum Deum cohæredem instituit. Inscripsit earum partem Paræciæ Dąbrovcensi ubi Templum ligneum cultui SS. Triadis inter fluvios Ner et Varta exstruxit. A Joanne Archiepiscopo Avunculo inter primos ephebos adlectus, cùm sacris adjecisset animum, Ejusdem Cancellarius, de consveta corporis afflictatione, cultu Beatissimæ nihil remisit; Coronam Marianam pro penso quotidiano usq; ad mortem recitare solitus. Composita illa fuit ex majoribus lapideis globulis (quali persæpe peregrini utuntur) in Ejus solitario recessu inter duas quercus inventa, postea Mathiæ Łubieński dono oblata fuit.

Majoribus Ordinibus ab Avunculo initiatus, & ad vota sua ad Ecclesiam Dąbrovcensem institutus commissam Paræciam strenue excolebat. Labor hic ne esset absq; præmio, ArchiPræsul inter Canonicos Metropolitanos eum adscivit, & Decanum ArchiCathedræ fecit. Collata dignitas cùm esset impedimento, obsequio spirituali suæ paræciæ, eam dimittere intendebat; sed superiori voluntati morem gerere debuit, & utrumq; officium sedulò administravit.

Optimam illius intentionem frequenti miraculô Deus confirmavit. Gnesnæ absolutis horis Canonicis Dąbrovkâm prope 15. milliaribus dissitam ope Divina perveniebat, ubi finitô sacrificiô iterum Gnesnam redibat pro prandio. Accidit, fluvium Varta villam alluentem, ita exundasse, ut nullus esset aditus populo ad Ecclesiam. Supervenit horâ constitutâ Bogumilus, & cernens alveum supra littora diffusum, plenus fidei, & spei in Deum, cui aquæ obediunt, se comitari jussit, feliciterq; populum devotionis avidum ad Ecclesiam deduxit, ac finitô sacrificiô cum eisdem pari via flumen superavit, demum piscibus, capi se Divo permittentibus, populum provisum dimisit.

Ea vitæ Sanctitas motivum fuit Gnesnensi Canonicorum Collegio, ut eum post fata Joannis, votis suis Metropoli præfecerint. Deprecabatur ille dignitatem ArchiPræsuleam, cæterum, cum nihil precibus proficeret, probante electionem Roma, consecratus est. Pastorale munus à lustranda Diæcesi inchoavit, rudem populum necessariis ad fidem & probitatem instruens. Adverterat bona Ecclesiasticorum *à sæcularibus* opprimi; ne Ecclesiis injurii essent, paterne eos admonuit. At, dum curas & intentiones suas eludi & contemni cerneret; Synodum Provincialem Lanciciam convocavit, in qua unanimi omnium Episcoporum consensu, in bonorum Ecclesiasticorum invasores, oppressores, raptores, censuras tulit: easq; à Romano Pontifice approbandas curavit. Hoc progressu putabat coërcendam populi malitiam, sed hæc, cùm in dies magis invalesceret, nullum Româ sperans subsidium, ob perniciosa in Republica Christiana, Friderici Barbarossæ cum sede Apostolica, dissidia, ipse Alexandrum III. Venetiis degentem adiit, & exposito statu Poloniæ, ut Archiepiscopatum Petro jam electo dimitteret, supplex evicit.

Redux ex Italia, in Hungariam deflexit, ubi Camaldulenses invisit, & probata illorum vitâ, ac methodo transumpta, in Patriam rediit, abdicatoq; Pastorali officio, in solitudinem prope Dąbrovkam secessit. Angelicam vitam ibi egit per annos duodecem, non tantum propriæ sed & proximorum saluti intentus, exem-

plo Joannis Baptistæ Christum & pænitentiam prædicans. Approximabat ultima vitæ hora; eam præsentiens Bogumilus, ardentiùs Deo Conditori commendabat. Ante obitum visione Deiparæ puerum JESUM gestantis, choris Angelorum cinctæ, in societate SS. Adalberti & Quinque Fratrum Polonorum Martyrum recreatus, spiritum præsenti Christo reddidit 6. Junii 1182. Animam Ejus sub specie columbæ cælo involantem spectàrunt multi. Corpus Episcopali vestitu indutum cum annulo Pastorali Dąbrovcæ sepultum, adjecta lamina aurea, Nominis, anni, & diei obitûs teste.

Locus devotione populi, & gratiis Divinis statim inclaruit, quibus permotus Fulco Archiepiscopus, sacra Ejus ossa levavit. Vincentius vero Kot, ex laminis votivis, sepulchro illius appensis, Ecclesiam ex cocto latere erigi mandavit. Translatæ demum Exuviæ Uniejoviam, in Ecclesia Collegiata magno populi concursu ad præsens coluntur. Ex multis, unum beneficium per merita hujus Beati præstitum, adjungo. Cum adhuc in Ecclesia Dąbrovcensi corpus Ejus decumberet, Stanislaus Wach, prædictæ appropinquans villæ, cum curru & equis, tam profunde luto inhæsit, ut in eo unum amiserit, & extincto cutim detraxerit. Detulit ad templum Sancto animalis corium, supplex; ut se in eo casu adjuvaret. Et ubi ab oratione rediit, vivum vegetumq; equum reperit. (Id contigisse anno 1369. scribit *Pruszcz*) Damalevicius Scriptor vitæ Bogumili, hoc corium foribus Ecclesiæ prædictæ affixum se adhuc vidisse, ait. Coronoviense Cisterciensium cænobium, hunc Bogumilum inter primos Fundatores numerat, cui 5 villas hæreditarias donavit, & decimas ex aliis 12. attribuit.

XV.

PETRUS III.

HUjus familia prætermissa à Scriptoribꝰ illius ævi; nobi-

bilitate tamen insignis fuisse scribitur à Damalevicio. In comprimendo Miecislao sene, fuit segnior; sed resumpto post, à virtute animo vindicem se immunitatum Ecclesiasticarum exhibuit. Decretum & censuras ab Antecessore latas, in oppressores bonorum Ecclesiæ, Lanciciam, ut suus Prædecessor, iterum Synodo Episcoporum congregata, renovavit & promulgavit & ab Alexandro III. denuo confirmandas procuravit, *vide lib: II.* Arnoldum Episcopum Posnaniensem, ac Franciscum Vratislaviensem in Silesia, consecravit. Sulejoviensi Cisterciensium cænobio plures contulit gratias & privilegia, decimas manipulares ex nonnullis bonis eidem applicuit, ac Małdrzykoviensem paræciam cum Ecclesia curandam dedit (a) Post necem Verneri Episcopi Plocensis, à Bolesta Castellano Visnensi patratam, interdictum per Poloniam promulgavit. Hæc enim cædes Verneri contigit 1172 anno, quo hic Petrus Gnesnensem moderabatur Ecclesiam *vide p. 47.* in qua annis duodecem laudabiliter expletis, obiit 1184

XVI.

ZDISLAUS
De Stirpe Kozlorogorum,

Hæc caprum dimidium in scuto rubro præfert.

EX Gnesnensi Canonico Archi Præsul, dedit specimen Pastoris optimi. Clerum disciplinam Ecclesiasticam contemnentem, legibus circumscripsit, & ut sacrosanctè servarentur, omnem operam adhibuit. Metropolitanam Ecclesiam, auro, argento, aliisq; pretiosis monilibus adornavit. Sylvas inutiles excidit, in illisq; varias erexit colonias. Ne plura pro bono Ecclesiæ ageret, mors impedivit, quæ illum 1199. Patribus annumeravit.

 XVII.

(a) *Dlugossius lib: VI.*

XVII.

HENRICUS I. KIETLICZ

De Stemmate Kietlicz.

In campo rubro, catena est aurea in triplicem nodum connexa.

PAribus Miecislai senis adhæserat Henricus, & quia putabatur consiliis suis regere inquietum hujus Ducis animum; à Casimiro Justo in Russiam missus, per aliquod tempus, honestum exilium expertus est. Verùm, ubi Miecislaus denuo in Polonia rerum potitus esset, novo Principe promovente, post fata Zdislai, ab Innocentio III. Gnesnensi Metropoli, anno 1200 præfectus est. Putatur à nonnullis, fuisse de Ordine Minorum S. Francisci; sed ante confirmationem Instituti hujus Sancti (ut patet (b) ex annorum serie) Archidiæcesim Henricus rexit: & præterea alius Henricus Ord: Min. posteriori tempore præfuit Gnesnensi Metropoli *Niesiecki Tom II.*.

Rerum circumstantiæ tam strenuum, ut erat Henricus, requirebant Præsulem. In injuriosos bonis Ecclesiarum, latæ leges fuerant, in uxoratos clericos, statuti Canones; sed minime servabantur. Accessit, quia Ecclesiastici per laicos ad forum civile & contentiosum trahebantur. Factum hoc & præjudicium Ordini sacro, ne in consvetudinem, aut legem abiret, in generali conventu Magnatum Poloniæ, decretum evicit, quo Ordo Ecclesiasticus cum suis adscriptitiis & subditis, à foro laicali, etiam supremi Ducis exemptus esset; hujusq; Decreti approbationem à Sancta Sede procuravit. Synodum celebravit, cui aderat Petrus Diaconus Cardinalis, in ea Clerum adegit, ut sub jurejurando uxores amoveret, & abhinc à quibusvis fæminis abstineret. Dissensiones inter Duces & Proceres composuit: effecitq; ut primi, omnia inter se & Magnates constituta, sacrosancte servanda juramento confirmarent. Henricus vero, eum, qui statuta frangeret, censuris Ecclesiasticis, ad saniora reducendum, decidit.

(b) Ordo S. Francisci confirmatus est 1208, juxta alios 1212.

Primus, è Romano assensu, obtinuit munus Legati Nati, 1215. in Concilio Lateranensi, ab Innocentio III; ut majori vinculo Metropolitanum Poloniæ Caput, Vaticano adhæreret. Lendensi Cisterciensium cænobio, & Ołobocensi Deodicatarum Virginum, decimas mensæ Archiepiscopali pendi solitas, applicuit. Duas villas emit, & Archiepiscopatui adjunxit. Tractum Słupensem à Ducibus Poloniæ recepit & Gnesnensi Ecclesiæ attribuit. Ita de sua Cathedra & Polonia meritus, decessit anno 1219. Gnesnæ sepultus.

XVIII.

VINCENTIUS I. à CZARNKOW.

Fascia pro Stemmate insignis.

EX vetustissima Familia ortus, Sarnicki de Czarnkoviis in Descript: Poloniæ ait: *Primi inter Heroës, Czarnkovii, Christo nomina sua dederunt, cujus rei insigne, vittam baptismalem hactenus gerunt.* Hanc fidem semel susceptam, Domus hæc, inter prædominantes in Polonia hæreses, semper retinuit; nullus enim ex gente hac, ea labe infectus, ne quidem in fide Catholica suspectus erat. Unde à quodam laudantur Czarnkovii: *Quorum nunquam contagio mentem, hæreseos turpavit - - - nec impius error, Hanc nunquam poterat solida statione movere.* Paprocki Okolski asserunt Czarnkovios esse veros Popieli (Lesconis dicere debuerant) Principis Poloniæ Successores. Hic enim Dux Provincias suas inter 20. Filios dividens, uni Ducatum Człopensem designavit. Quare de Czarnkoviciis Poeta: *Alba caput veteres cingebat fascia Reges, & Regum stirps est Czarnkoviana domus.*

Primus Dzierzykray, deposito Principis nomine, Comitis in Człopy titulum assumpsit: primus baptismum

ſmum ſuſcepit, primuſq; à Boleslao Chrabry, Palatinus Poſnanienſis factus eſt. Unus è Czarnkovſciis Sigiſmundum I. Poloniæ Regem, Stetinô uſq;Lublinum in bonis ſuis pro Majeſtate Regia, prandio & cæna excipiebat. (c) Familia hæc opibus & honoribus crevit in Polonia ad annum 1727, quo Ladislaus Præfectus Oſiecenſis Caſtri, Frater germanus Matris, Sereniſſimæ Catharinæ de Opalenſciis, Poloniarum Reginæ, Lotharingiæ ac Barri Ducis, cum Anna Caſimira Grzymultowska, binis Filiabus, Maria & Sophia procreatis, gloriam Nominis Czarnkoviani, Poſnanienſi Patrum S. J. Sepulchro intulit.

Hac domo progenitus Vincentius, Anteceſſorum ſecutus veſtigia, in ſtatu Equeſtri de Patria mereri cæpit, virtutibuſq; bellicis inclaruit. Sed fluxarum opum & mundi vanitate perpenſa, poſt obitum conjugis, cum qua Miroslaum & Boguslaum filios genuit, ſacris addixit animum, inter Canonicos Collegii Metropolitani adlectus: ut facultatum ſuarum cohæredem Chriſtum haberet, bona Brzeskorzyſtow, cænobio Tremeſnenſi, tabulis perpetuis inſcripſit. Singularem Viri virtutem adorabant multi, totus Canonicorum probabat cætus, quare poſt fata Henrici unanimi omnium voto electus, & ab Honorio III. confirmatus eſt. In Archi Præſulem conſecratus, regimen a liberalitate in pauperes inchoavit. Aliquot xenodochia erexit; & dum ex inundatione fames in Polonia invaluiſſet, horrea & penum in ſubſidium egentium aperuit. Pro ſe & ſuis Succeſſoribus jus cudendæ monetæ, à Ladislao Majoris Poloniæ Duce obtinuit. (d) Ne etiam Paſtorali deeſſet muneri, Synodum Provincialem celebravit. Obiit magno ſubditorum & egenorum luctu 1230.

Ejus fata anticipavit Juculenta, ſeu Helena, Belæ Regis Hungariæ, & Mariæ, Filiæ Alexii Orientis Cæſaris, Filia, Boleslai Ducis Caliſſienſis Conjux, S. Cu-

negun-

(c) *Niſiecki Tom: I.* (d) *Crometus lib: VIII.*

negundis, & Conſtantiæ, Ducis Ruſſiæ ſoror, 1229. die 5. Martii defuncta. Cænobii Gneſnenſis Virginum S. Claræ cum Marito ſuo Fundatrix: in quo poſt fata Conjugis, inſtitutum earundem profeſſa, reliquos dies in virtutum exercitio, Sanctarum Sororis ſuæ, & Salomeæ Religioſa imitatrix finivit. In vita Paſſionem Chriſti meditari in deliciis habuit. Proxima morti, dum eâ ardentius recoleret, cũ B. Salomea, & Sanctiſſima Matre apparuit Eidem Salvator, ſangvine & vulneribus lividus, pro mundi contemptu, cæli delicias appromittens. Hac viſione mortem ſibi imminere præſentiens, Sorores ad obſervationem inſtituti cohortata, Sacramentis munita, die, quam prædixerat, obiit, Gneſnæ in Eccleſia ſui cænobii ſepulta. *Pruſzcz p. 68.*

XIX.

FULCO ſeu PEŁKA

De Gente Vulpigerorum.

NIcolai Palatini Cracovienſis Filius, Fulconis Epiſcopi Cracovienſis Nepos, à Capitulo electus, & à Gregorio IX. confirmatus, magni & imperterriti animi Antiſtes. *Dlugoſſius Lib: VI.* Petrum ſucceſſiſſe Vincentio ſcribit. Cæterum *Damalevicius in Vitis Archiepiſcop: Gneſnenſ:* adducit litteras Ladislai Ducis Majoris Poloniæ anno 1232. datas, in quibus habetur mentio Fulconis Archiepiſcopi Gneſnenſis. *Vide Nieſiecki Tom. III.*

Conradus Dux Mazoviæ eò temeritatis devenit, ut Joannem Czapla Vladislavienſem & Plocenſem Scholaſticum infami ſupplicio è vivis ſuſtulerit (vide Vitas Epiſcoporum Plocenſium) Ad tantum nefas, quia Andreas Epiſcopus Plocenſis ſiluit, Fulco Ducem ſacrilegum cætu fidelium privavit. Hoc anathemate territus Conradus, ad cor rediit, egitq; pænitentiam, & Lovicium cum ſuo territorio (quanquam bo-

na

na hæc pridem erant juris Archiepiscoporum, & ad Duces Mazoviæ iniqua usurpatione devoluta) Archiepiscopo & Ejus Successoribus obtulit, cum ea obligatione, ut Archiepiscopus inter Canonicos Plocenses locum haberet, & auri marcam ex his bonis, singulis annis Ducibus Mazoviæ penderet. (e) Eandem pænam brevi in prædictum Conradum extendit. Dum enim hic, cum Boleslao Pudico, de supremo in Polonia Principatu contenderet, & bona Episcopi Cracoviensis depopularetur, nec per Prandotam Episcopum Cracoviensem censuris in se latis, à patrimonio Christi arceretur; Fulco congregata Synodo, sententiam Prandotæ approbavit, & censuras super Conrado renovatas per omnes Poloniæ Diæceses promulgari jussit. Peccaverat & Boleslaus Calvus, Vratislaviensis Princeps in jura Ecclesiæ & Thomam suum Præsulem; non satis habuit, bona invasisse, sed ipsum Antistitem, captivum in vinculis tenuit. Fulco, Metropolitana authoritate, Ducem, sacrorum violatorem, Lanciciam pro Synodo citavit, & cætu fidelium privavit.

Ut in Principes Sacro ordini injurios rigorem extendit, sic, inter se discordibus, omnem benignitatem exhibuit. De hæreditate decertabant Boleslaus & Premislaus Duces. Metus erat, ne flamma hæc in eum ignem excresceret, qui multo sangvine extingvendus esset. Has Fratrum inimicitias composuit Archi Præsul, patrimoniô inter eosdem divisô. Pace inter Principes stabilita, Diæcesi bene ordinata, ad ditandas Ecclesias convertit animum: Suleioviensem consecravit, privilegia Eidem à Petro III. Prædecessore suo concessa approbavit, & insuper villam hæreditariam Kempno inscripsit. Metropolitanæ verò Gnesnensi bona Kruszewo Mochle & Orle in Tractu Camiensi à Svantopelco Duce Pomeraniæ impetravit;

(e) *Niesiecki Tom: III.*

vit; quam donationem post fata Fulconis, procurante Jacobo Swinka Archi Præsule 1284. Mestvinus Dux firmiorem fecit. A Ladislao Duce Majoris Poloniæ bona Byszowo, Grzegorzewo aliaq; beneficia suæ Metropoli obtinuit, & sacris exuviis D. Stanislai M. E. Crac: cum Pontificali Ejusdem annulo Archicathedralem Basilicam adornavit. Annos 27. de Archidiæcesi & tota Polonia merebatur, diem 5. Aprilis 1258. laborum & meritorum extremam expertus.

XX.

JOANNES II.

De Stemmate Tarnawa.

Crux est alba, à parte dextra lunâ dimidiâ in campo rubri coloris insignita.

DEcanus Gnesnensis, post obitum Fulconis ab Alexandro IV. Romam evocatus, ab Eodem in Archi Præsulem consecratus est. Exignos proventus in primordiis nactus ob bona Archiepiscopatus in Majore Polonia, à milite Polono, Loviciensia à Lithvano, igne & ferro vastata. Boleslaum Pudicum, qui Paulum Przemiankowski Episcopum Cracoviensem captivum detineri curaverat, censuris adegit, ut eum liberum dimiserit, & illatam Præsuli injuriam 200. argenti marcis Cracoviensi Cathedræ donatis compensaverit. Sectam Flagellantium, quæ in Poloniam irrepserat, in ipsis primordiis profligavit. Vir doctrina & pietate insignis vivere desiit anno 1271.

XXI.

PHILIPPUS

De Stemmate Gozdawa.

Lilium album in campo rubro præferens.

JUxta Janicium electus Archiepiscopus, per annos sex confirmationem Romanam præstolabatur; tandem

dem juxta eundem à Nicolao III. abjudicatus eſt. Verum Damalevicius ſcribit: quòd confirmationem ſui in Metropolitana ſede & pallium obtinuerit, ac Joannem I. Epiſcopum Poſnanienſem conſecraverit. Obiit. 1278.

XXII.

MARTINUS II.

De Stemmate Bodula.

Tria ſunt lilia, in campo cæruleo, foliis erecta, unum poſt alterum diſpoſita.

Hic nonnullorum Authorum ſenſu ſcribitur fuiſſe natione Scotus, profeſſione Ciſtercienſis, dignitate Archi Præſul Conſentinenſis. Sed plurium judicio, etiam non Polonorum, ut Rainaudi & Spondani, erat natione Polonus, profeſſione Ordinis Prædicatorum, honore, Archiepiſcopus Gneſnenſis. Patet id ex Epiſtola Martini IV. ad Philippum Firminum, in Polonia Nuncium Apoſtolicum: in qua poſt fata prædicti Martini, ac liberam reſignationem Włoſtiborii, Henricum Ducem Bremenſem à Capitulo Gneſnenſi electum, confirmat. In Epiſtola hujus Pontificis (quæ in Indice Vaticanæ Bibliothecæ habetur, & apud Vadingum Tom II. annal: ſub anno 1281. legitur) hæc ſunt verba: *Per mortem Martini Poloni de Ordine Prædicatorum, quem in Archiepiſcopum, Eidem præfeceramus Eccleſiæ* Bzovius quoq; ſub anno 1278. in annalibus Eccleſiaſticis teſtatur ſe vidiſſe Bononiæ, ubi ſepultus decumbit in Eccleſia ſui Ordinis, hanc brevem inſcriptionem: *Hic jacet Frater Martinus Polonus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Gneſnenſis.* Martini Archiepiſcopi Gneſnenſis meminit *Dlugoſſius Lib: VII.* & poſt illi9 obitum, Włoſtiborium electum ſcribit: anno 1279.

Præter plura opera, quibus Orbi inclaruit, ſcripſit

pſit vitas Summorum Pontificum: quibus, quòd fabulam de Joanne Papa, ac ſi fæmina fuiſſet, inſeruerit; à Bellarmino & Poſſevino ac aliis pluribus, levis & rudis judicii arguitur: cæterum à Bzovio vindicatur, hæcq; fabula de Joanne Papa non illi, ſed malevolis adſcribitur; qui eam lucubrationi tanti Viri, vel inde authoritatem ſui commenti habituri, imponere curârunt. Leo Alanus hanc fabellam in veris Ejus chronicis minimè repertam ait: Et dum temporibus Urbani VIII. vetus illius exemplar, in Bibliotheca Vaticana inventum fuiſſet, in eo nulla mentio hujus commenti reperta eſt. Habetur & in Bibliotheca Załuſciana Varſaviæ, hujus Martini vetus codex, ſæculo decimotertio exaratus, in quo pariter fabula hæc non deprehenditur (f) Sifridus, Petrus Leovardienſis in dedicatione Martiniani Chronici inquit: *Cæterum, cum ſua tempeſtate, uti ferè ſolus, ita præcipuus rerum Eccleſiaſticarum Chronographus fuerit, factum eſſe, ut opus ab ipſo editum, magno cum plauſu omnes exciperent; quod quoniam typis nondum repertis, (quòd optimis quibuſvis authoribus uſuvenit) manu deſcribendum erat, factum eſt, ut aliorum imperitia, aliorum negligentia, aliorum malevolentia propoſitum exemplar de integritatis gratia deturbarit.* Hucuſq; Sifridus. Ex hoc patet: quantam fecerint injuriam viro huic, qui ſub Ejus nomine hanc falſam traditionem Orbi propoſuerunt. Non tantum à prædicto Sifrido, qui eum: *Virum in ſcripturis ſanctis ſtudioſum, & eruditum, ac ſæcularium litterarum non ignarum, dicit*, ſed à Trithemio & aliis dilaudatus eſt.

A Nicolao III. Viterbii 23. Maji conſecratus in Archiepiſcopum Gneſnenſem, dum ſuam adiret Cathedram, in viam æternitatis 1279. Bononiæ abiit, ibidem in Templo Patrum ſui Inſtituti ſepultus.

XXIII.

(f) *Janozki in Catalogo ſcriptorum hujus Bibliothecæ edito.*

XXIII.

VLOSTIBORIUS

De Stemmate Pomian.

Caput est bisontis, gladio à fronte per nares transfixum.

UT regeret Metropolim hanc, dignus visus est Capitulo; & licet precibus Electorum inductus Archiepiscopalem dignitatem suscepisset, eam tamen coram Firmino, Legato Apostolico dimisit, & juri electionis suæ cessit. Hoc illius factum Premislao Duci adscribunt multi. Princeps hic Ludgardem Conjugem ad se delatam, nulla prævia inquisitione è vivis tolli jusserat. Ea de re à Vlostiborio argutus, pium Præsulem persequi, ac alium ad Archiepiscopatum Gnesnensem promovisse scribitur. Cæterum plures asserunt: Vlostiborium modestia, morum compositione commendatum, & omnibus charum, ut Deo & sibi commodius viveret, onus Præsuleum sponte deposuisse. *Dlugossius verò Lib: VII.* descripta Vlostiborii electione, ait: *Qui licet Principis Majoris Poloniæ, Premislai assistentia, favore & intercessione adjutus, enixius suam electionem, per sedem Apostolicam confirmari laborâsset; pluribus tamen impedimentis illum obruentibus, perditum iri suas impensas & conatus videns, negotii sui prosequendi & fervorem & voluntatem omisit.*

XXIV.

HENRICUS II.

THeodori Ducis Bremensis, & Eudoxiæ, Filiæ Conradi Ducis Mazoviæ, Filius in spem honorum crevit, & adolevit, sed vanam & lubricam mundi sortem advertens, ut securiùs Deo viveret, Ducalem purpuram cum Religiosa veste commutavit, Opolii Institutum Ordinis Minorum S. Francisci professus. Promovebatur ad sacras Magdeburgenses dignitates; Romano

mano imperio cogi debuit, ut eas susciperet. Invitus in Archiepiscopum Gnesnensem electus, & à Martino IV. confirmatus, munus Pastorale ut exequeret, ivit Romam. Et quia humilitati Viri, Sedes Apostolica non respondit, Deus votis satisfecit; nam anno 1282. in auguratus, sequenti anno dignitatem & vitam deposuit. *Niesiecki Tom I. II.*

XXV.

JACOBUS II.

Swinka dictus à suo Stemmate.

Caput est porcinum cum humana manu dentes porci prehendente.

POst obitum Henrici, ad hanc dignitatem omnium suffragiô, Roma electionem probante, anno 1283. die 19. Decembris Calissii in Ecclesia PP. Ord: Min: ordinatus in Presbyterum, sequenti die in Archiepiscopum consecratus est. (g) His temporibus, quibus, immunitas Ecclesiastica, authoritas Præsulum, jurisdictio Metropolitana periclitabatur, magis strenuus, & in agendo efficax dari non potuit.

Henricus IV. Dux Vratislaviensium, ut bellum cum Premislao, pro Ducatu Calissiensi obtinendo, fortius promoveret, Thomæ à Czarnkow, Vratislaviensi Episcopo, totiq; Ejus Diæcesis Clero justam pecuniæ summam contribuendam injunxit. Nec Præsul, nec Ecclesiasticus Ordo illi numerandæ par erat; quare ut nervum belli augeret Princeps, bona Episcopi occupavit. Furori & avaritiæ Henrici cessit Thomas, gregemq; Pastor deseruit. Eam injuriam suo Suffraganeo illatam, impunem Jacobus non permisit. Lanciciam Synodum convocavit, & de sententia omnium, injuriosum Ecclesiæ Ducem, fidelium communione privavit, nec prius denunciatis censuris solvit, donec injuriam Præsuli ex integro Henricus compensâsset.

(g) *Dlugoss: Lib: VII.*

Non

Non defuit & juribus suæ Metropolis. Hermannus Episcopus Culmensis, in ordine VII. instinctu Crucigerorum, qui quemvis suorum, à Polona jurisdictione, alienum esse contendebant, Archiepiscopum Rigensem in Livonia, suum Metropolitanum agnoverat. Egit pro sua Ecclesia Jacobus apud Romanum Pontificem, & contumacem Præsulem, in ordinem Suffraganeorum Metropolitani Gnesnensis redegit. Jus cudendæ monetæ, quod Vincentius à Czarnkow impetraverat, ut firmum haberent Archiepiscopi Gnesnenses, privilegium à Premislao Duce Poloniæ 1284. obtinuit. *Olszowski c. IV.*

Longo tempore, videlicet à cæde S. Stanislai Episcopi Cracoviensis, Polonia, sic Roma disponente, Regibus caruerat; hic Jacobus anno 1295. die 26. Junii Premislaum Gnesnæ in Regem Poloniæ, & post necem Ejus à Marchionibus Brandeburgicis patratam, Venceslaum Bohemum coronavit. Plenus meritorum obiit 4. Martii 1313.

XXVI.

BORISLAUS

De Stemmate Belina

Tres sunt soleæ circa ensem erectum ad se tergo conversæ.

PLurimæ dotes animi, erant Suffragio, ut concordi omnium voto electus fuerit. Ejus confirmatio, & consecratio ob dissensiones Cardinalium post fata Clementis V. in electione summi Pontificis Joannis XXII longiùs protracta, Episcopo Culmensi, (qui ut supra dictum est, Rigensem Archiepiscopum suum Metropolitanum agnoscebat) spatium agendi dedit, contra evictum à Jacobo Swinka jus Metropolitanum Ecclesiæ Gnesnensis. Eum ut in officio contineret Borislaus, ipse Joannem Papam adiit, & feliciter negotium pro sua Ecclesia composuit. Plura pro bono Poloniæ curantem, mors Avenione prævenit, altero post consecrationem anno: ibidem in Templo PP. Ord: Prædicatorum sepultus.

XXVII.

JOANNES III. seu JANISLAUS

Nobili Kotficiorum Gente natus

Hæc pro avito insigni, viam rubram in albo campo præfert.

A Borislao comes viæ, & laborum pro Ecclesia Gnesnensi assumptus, ut eidem in jure Canonico (cujus erat optimè gnarus) esset adminiculô; post Ejus obitum, à Joanne XXII. sedi Metropolitanæ præfectus, & in ArchiPræsulem 1318. consecratus est. Redux in Patriam, ab omnibus debitâ Metropolitanis reverentiâ acceptus, Magistrum Crucigerorum cum suis assentatoribus, quòd Episcopatum Culmensem, contra recens summi Pontificis decretum, jurisdictioni Archiepiscopi Rigensis subjiceret, promulgatis censuris, cætu fidelium privavit. Imminente bello in Polonia, metuens suæ Ecclesiæ, magnam partem argenti Chęcinos curavit devehendam: eam quia in integro non recepit, damnum hoc Polonia compensavit, designato certo reditu ex salis fodinis, quotannis pendendo, quem Joannes Gnesnensi Templo attribuit.

Premislaum & Venceslaum in Reges Poloniæ, Jacobus II. (ut dictum supra) unxerat, sed quia in sua prohibitione Sedes Apostolica nondum cum Polonia dispensavit; Jus coronandi Reges ut esset firmum; Gervardus Vladislaviensis Præsul à Ladislao Loctico, ad Joannem XXII. expeditus est. Multa hoc in negotio frangenda erant obstacula. Crucigeri, Pomeraniæ iniqui possessores, adnitebantur, ne Regia dignitas tribueretur Ladislao, omnes difficultates superavit Gervardus, & Regium titulum pro Polonia evicit. *Vide Lib: II.*

Tam celebri actui indicta dies 20. Januarii, 1320.
Cracoviæ, convenere Proceres, Gervardi, Nuncii La-
dislai ad Sedem Apostolicam, lectæ litteræ: demum
à Joanne ArchiPræsule, assistentibûs, Muscata Craco-
viensi, Domarato Posnaniensi, Episcopis, solenni ri-
tu, Ladislaus in Regem, Hedvigis, Ejus cônsors in
Reginam, inaugurati sunt. Atq; ex eo tempore, ceri-
moniæ instituendorum Regum Poloniæ, ac ipsa Regni
insignia, Gnesnâ Cracoviam, propter amplitudinem,
splendoremq; urbis, aliasq; commoditates, translata
sunt. *Dlugoss: Lib: IX. Neugebaver Lib: III.*

Znini cœnobium PP. Ord: Prædicatorum, &
Ecclesiam sub titulo S. Joannis Baptistæ erexit, con-
secravit, & dotavit: suæ Metropoli plurima elargitus
beneficia. à Dlugossio *Magnus Reipublicæ, Regni, Eccle-
siæq; Gnesnensis amator* à populo *Pater pauperum* dictus
Plenus dierum & meritorum. annis 23. in Archiepi-
scopatu expletis, anno 1341. 4. Decembris Lanciciæ
mortalitatem exuit, Gnesnæ sepultus.

XXVIII.

JAROSLAUS de SKOTNIKI
Ex Familia Bogoriorum

*Hæc in scuto rubro, duabûs sagittis fractis, unâ sur-
sum, alterâ deorsum conversis, insignis est.*

JUventutem ad summa natam Bononiæ excoluit: in
qua Academia tantum meruit, ut Eum hæc, licet
juvenem & peregrinum, Rectorem suum esse voluе-
rit. Votis Academiæ respondit: murum se opposuit
pro illius legibus; cùm enim Magistratus Bononien-
sis, studiosum Anglum, contra jura Academiæ, ad ne-
cem damnâsset, Academiam Bononiâ transtulit, nec
prius rediit, donec satisfactum esset pro cæde Angli
(a) Damalevicius asserit, quod Bononiâ Avenionem
perve-

(a) *Sarnicki Lib: VII. Dlugoss: Lib: X.*

perveniens, à Clemente VI. Archiepiscopus declara-
tus fuerit; sed *Dlugossius L. IX.* testatur, ex Archidia-
cono Cracoviensi, Gnesnensi Canonico, electum fuisse
à Capitulo 1442, die 14. Februarii, & à Benedicto XII.
confirmatum.

Vir erat ut authoritatis, sic prudentiæ singularis.
Non tantum propriam, sed & aliorum Suffraganeorum
visitabat Diæceses. Lites nòn uno anno agitatas in
Diæcesi Cracoviensi, ratione exceptionis Clericorum
à foro laicali, ratione erectionis novarum paræciarum,
curâ Casimiri Regis, post diuturnam deliberationem,
feliciter cum Bodzęta Episcopo Cracoviensi compo-
suit, & omnia pro Clero evicit. Carolo IV. Impera-
tori, à jurisdictione Archiepiscoporum Gnesnensium
Vratislaviensem Episcopum eximere nitenti, fortiter
se opposuit. Eidem postea Carolo Elisabetham, Casi-
miri Magni Neptem, Boguslai Ducis Pomeraniæ Fi-
liam, matrimonio junxit.

Actus hic fuit celebris non tantùm Procerum
Poloniæ confluxu, sed Ludovici Hungariæ, Valdemari
Daniæ, Petri Cypri, Regum, Ducum, Ottonis Bava-
riæ, Siemoviti Mazoviæ, Boleslai Svidnicensis, Ladi-
slai Opoliensis, præsentiâ insignis. Ubi Carolus splen-
dido comitatu approximavit Cracoviæ, venienti Prin-
cipes, ac Reges cum Casimiro, ad unam leucam fuêre ob
vii; propiùs urbem accedenti, Boguslaus Pater, & Fi-
lia sponsa cum cætu lectissimarum fæminarum occur-
rerunt. (b) Solenni apparatu Cracoviam introductus
Carolus, ad Arcem Casimiro postulante divertit. Dies
viginti ea tenuit festivitas, Venrico Consule Craco-
viensi (quem Casimirus ob singularem industriam &
dexteritatem suo thesauro præfecerat) Nuptias Regio
nomine splendidè administrante.

Post obitum Casimiri Magni, qui incidit in an-
num 1370, Ludovico Regi Hungariæ, solitîs Ecclesiæ
E 2
ceri-

(b) *Neugebaver L. III. Sarnicki L. VII.*

cerimoniîs, Polonum diadema detulit. Siemovitum Ducem Mazoviæ, quòd, illo connivente, Petrasius, Christini Palatini Plocensis Filius, bona Archiepiscopi Gnesnensis in Mazovia damnis & latrociniô ferox vastaret, censuris Ecclesiasticis perculit & ad satisfactionem Ecclesiæ adegit. Lovicienses reditus ita auxit, ut, cùm antea duas argenti marcas non excederent, ad 800. evexerit. Lovicium Civitatem reparavit, totumq; Loviciensem tractum, in Ducatum convertit. In arce Cracoviensi, variis decimis auxit dotem Ecclesiæ S. Georgii; idem beneficium præstitit Crepicensi Templo, & ipsam civitatem Archidiæcesi adjunxit. Arces erexit Gnesnæ, Lovicii, Opatoveci, Camenii. Exstruxit Templa Gnesnæ, Calissii, Curzeloviæ, Opatoveci, Uniejoviæ: ubi Canonicos instituit. Calissium ad Ecclesiam S. Nicolai Canonicos Regulares Divi Augustini introduxit, Civitates instituit: Opatovecum in Palatinatu Calissiensi, Uniejoviam in Siratoviensi, ad præsens sepulchrô B. Bogumili commendatam, & Camenium.

Quatuor Episcopos Plocenses, Janislaum Wronski, Nicolaum, Stanislaum, & Dobieslaum Gulczewski, ac Christinum, primum Archiepiscopum Haliciensem consecravit. Vixit annos centum. In extrema senectute oculorum officiô privatus, Nicolao de Koszuty, Præposito Gnesnensi Archiepiscopatum cessit; sed cùm Nicolaus absq; consensu Capituli, & Regio, Avenione apud Gregorium XI. sui confirmationem procuraret, Joannes Paszkovicius, Primicerius Gnesnensis, hoc in negotio ad Pontificem expeditus, Nicolao fuit impedimentô. Quare Jaroslaus consentiente Capitulo, promovente Rege, Gregorio probante, Archiepiscopale munus Joanni de Strzelce affini suo abdicavit, nonnullis bonis ad vitæ tempora reservatis.

Morti proximus ad Lendense cænobium secessit vitam

vitam collecturus, ubi duob9 annis expletis Calissium se transtulit: ibidemq; cum 33. annis Gnesnensem Metropolim rexisset, plenus dierum & meritorum obiit anno 1376. Ultima voluntate, cadaver suum, (c) non ostiô, sed pertusô pariete inferendum Ecclesiæ jussit, asserens, se non juxta Canones ad Archiepiscopi dignitatem promotum fuisse Decumbit Gnesnæ, honorem & laudes sepulchri à Joanne Kokalewski Gnesnensi Cancellario in anno 1562. nactus.

XXIX.

JOANNES IV. de STRZELCE
De Stirpe Grzymalitarum

Hæc Portam tribûs turribûs eminentem, cataphractô milite in foribus, cum evaginatô gladio, ac si excubias agente, armatam pro insigni habet.

PReclai, Palatini Calissiensis Filius. Debile corpus, sperabatur fore impedimentô rebus agendis; interea indoles magna Joannem plurimis obeundis parem fecit, & idoneum. In exteris Nationibus severioribûs scientiis excultus, in jure, Doctoris lauream obtinuit, Redux in Poloniam, eos affectus Procerum & Casimiri Magni meruit, ut hic, nondum bene adulto majus Sigillum Regni contulerit, & ultimæ voluntatis suæ interpretem, & custodem designaverit, Capitulum verò Gnesnense, superstite adhuc Jaroslao, uno animo ArchiPræsulem salutaverit.

Ludovicus Hungariæ, & Poloniæ Rex, cùm esset extra spem prolis masculæ, aliquam ex filiabus, regnaturam Polonis cupiens, Cassoviam Proceres Poloniæ evocavit: leges tulit, quibus induceret ad suas intentiones Polonorum animos: Sanxit I. ut vectigalis nomine, subditi nobilium binos grossos à singulis jugeribus quotannis penderent; cum antea duodenos contribue-

(c) Sarnicki L. VII. Dlugoss: L. X.

tribuere consveverant. II. ut Nobiles à reliquis pensionibus & oneribus deinceps liberi essent, & subditi eorum perpetua immunitate gauderent. Hæc ille, & plura alia cum præstitisset, Poloni vicissim votis Ejus annuerunt. Iis se stringi legibûs præsentes conventui Præsules negabant, freti privilegiis Boleslai Pudici. *Sarnicki Lib: VII.*

Interea cùm Turcæ aliquot urbes in Græcia juris sui fecissent, summus Pontifex ad subsidium Christianis ferendum, Oratore misso, binos grossos ab unaquaq; marca ex proventibus in Polonia postulabat. Quia verò Predislaus Pogorzelecki Episcopus Vratislaviensis, paulo ante vitâ excesserat, relictâ non exiguâ pecuniâ, ex ea Legatus Pontificis triginta aureorum millia adjunxit contributioni collectæ. Motus eo exemplo Ludovicus Rex, bellum contra Lithvanos suscepturus ab Episcopis ad eam expeditionem subsidium exigebat, sed hîs jura sua tuentibûs, nihil impetravit. Verebantur illi ne ea voluntaria pensio in morem, mox in legem abiret. Rex, ut aliquid à Sacro Ordine emungeret, imperavit dimidium veteris tributi, senos videlicet grossos à singulis jugeribus; & ut hi exigerentur, quæstores instituit. Joannes, quid ea in re agẽdum, Synodum Calissium congregavit. Magno motu tractatum negotium; tandem, itum in hanc sententiam: ut binos grossos, more aliorum nobilium persolverent, in reliquis verò, æquali cum Nobilibus gauderent libertate. Quare ArchiPræsul Legatos ad Ludovicum expediit, & quæ Præsules statuerant, feliciter pro Clero evicit.

Vapulat à scriptoribus, quòd in ulteriori ætate segnior fuerit, in tuenda immunitate Ecclesiastica, Ecclesiarumq; bonis. Cum enim Siemovitus, Dux Mazoviæ Ducatum Loviciensem armis impeteret, ut Pelkam de Garbow adigeret ad dimissionem Præposituræ Lanciciensis Henrico Filio suo; ausui Siemoviti minimè obstitit. Dissimulavit & facinus Bernardi de Garbowa, qui vindicans necem fratris sui per Lanciciensem Castellanum patratam, arcem Uniejoviensem expugnavit, magnamq; partem thesauri Archiepiscopalis diripuit. Obiit Znini anno 1382. Gnesnæ sepultus.

XXX.

BOZANTA

De Stemmate Szeliga.

Luna est dimidia, cornibûs erecta, cui gladius, (alii Crucem dicunt) inhæret.

Ex Cracoviensi Canonico, & Ejusdem Capituli Procuratore, promovente Ludovico Rege, non obstante electione Dobrogosti Nowodworski Primicerii Gnesnensis, ab Urbano VI. confirmatus est. Ab initio spem aluit Ludovici, ejus partes secutus, favitq; Sigismundo; qui Mariæ, Filiæ Ludovici, matrimonio junctus, à Ludovico destinabatur Successor throni in Polonia. Brevi Ludovicus die 13. Septembris 1382. Tyrnaviæ decessit: post cujus obitum, Majoris & Minoris Poloniæ Nobilitas in oppido Radomsko congregata, conclusit, de stirpe Ludovici creandum Regem, qui per se ipsum administraturus esset Poloniam; eo facto Mariam cum Sigismundo excludebant Poloni, cùm Sigismundus Hungariam ambiret.

Interea Bożanta Siemovito Duci Mazoviæ adhæsit, eumq; in Comitiis Siradiæ celebratis Regem Poloniæ promulgare intendebat; sed Joannis Tęczynscii, Castellani Voynicensis dexteritas, tam præcipiti Archi Præsulis facto obstitit. Nihilominus in Comitiis denuo Siradiensibus, in præsentia Nicolai Vladislaviensis, & Stiborii Plocensis, Præsulum, nonnullorumq; ex Equestri ordine, Eundem Siemovitum, Regem renunciavit. Hæc Bożantæ partibus Siemoviti adeò pertinax adhæsio magnorum in Polonia tumultuum fuit occa-

occasio. Siemovitus, ut jus ad Regnum firmaret; Cujaviensem & Lanciciensem Palatinatus occupavit. Miles Polonus subsidiis Hungaricis auctus, Zninum, bona Archiepiscopatûs obsidione cinxit, & cepit: Cameniam expugnavit, Gnesnam & plura oppida spoliavit. Non despondit animum Antistes, Zninum vi recepit, hoste bene mulctato.

Tandem Polonis urgentibûs, & aliter sibi & Regno provisuros asserentibûs, Elisabetha Ludovici defuncti consors toties expetitam ad thronum Polonum Hedvigem expedivit ex Hungaria. Ibat illa comitata Demetriô; tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinale, Strigoniensi Archiepiscopô, aliisq; Magnatibûs Hungaris: ad cujus adventûs famam exciti Poloni Proceres, Sandeciam profecti sunt. Deducta Cracoviam eo honore, qui decebat tanti Regis filiam.

Bozanta non tam propriîs malîs, quàm bonô Patriæ inductus, advenientem præstolabatur, & festo S. Hedvigis, novam Reginam, omnium lætitiâ & acclamatione, solenni ritu coronavit. Maxima deinde cura Polonorum incessit animos, de adjungendo Reginæ marito. Habuerat illa Vilhelmum Austriæ Ducem à Patre designatum, favebat Eidem & ipsa Hedvigis, nec Polonorum multi huic matrimonio erant contrarii.

Interea Jagello Dux Litvaniæ magnificam legationem adornat, Hedvigem in Conjugem postulans; se, suasq; Provincias Christo (adhuc Lithvani idola colebant) & Regno Poloniæ addicturum promittens. Nusquam melior sors Polonis contingebat, quam ubi duæ gentes hactenus inimicæ, in unum corpus coalescerent. Sed hac in re nihil statui poterat absq; Elisabethæ sententia, ad quam ipsa etiam Hedvigis provocabat. Supplicatum itaq; eidem pro consilio. Mulier hæc aliunde non bene addicta rebus Poloniæ, ultra spem favorabile responsum dedit: *si*, inquit, *è re vestra publi-*

publica hoc fore existimatis, non remoratura sum vestra commoda, neq; Religionis Christianæ incrementa præcisura. Supervenerat quidem Cracoviam Vilhelmus, certior factus de statu rerum in Polonia; sed arcis ingressu prohibitus, dum Jagellonem advenire intellexit, Urbe egressus est. *Sarnicki L. VII.*

Et apropinquabat Jagello Cracoviæ, eamq; 1386. die 12. Februarii cum Ducibus Lithvaniæ & Russiæ ingressus, Hedvigem Reginam salutavit. Postridie vero per Borissum & Svidrigellonem germanos & Vitoldum fratrem patruelem Eidem dona perampla misit. Die 14. cum Fratribus, multisq; Proceribus ac comitatu baptizatus à Bozanta, Ladislai nomen in sacro fonte sortitus est. Tum demum solenni ritu cum Hedvige matrimonium contraxit, cerimonias obeunte Archiepiscopo, ac quarto post die ab Eodem in Regem Poloniæ unctus, Lithvaniam omnem cum Samogitia, & suis Russiæ ditionibus Poloniæ jure perpetuo adjunxit, juramentô interpositô, obsidibûsq; datis: Vitoldô, Michaele, Duce Zaslaviensi & Lubarto, Duce Lucensi, seu Luceoriensi.

Peractis nuptiis in Majorem Poloniam divertit Ladislaus, & cùm Gnesnam venisset, nec commeatum & stationem à Collegio Ejus Basilicæ impetrâsset; facultates Ecclesiæ in prædam militi permisit. Hoc Regis factum ubi Bozantæ innotuit; Nicolaus Strobergus Præpositus & Vicarius in spiritualibus Gnesnensis, ex mandato Archiepiscopi, in præsentia ipsius Ladislai, Gnesnæ omnes Ecclesias interdicto subjecit, supervenit brevi & ArchiPræsul, Regemq; cum Regina admonuit, ut pignora bonorum Ecclesiasticorum restitui juberet; cui monito cùm Rex probus satisfecisset: Hedvigis dixisse fertur: *Pignora quidem reddimus agrestibus, cæterum lachrimas quis restituet?* Dlugossius *Lib: X. Neugebaver L. V.*

In Lithvaniam euntem Ladislaum secutus, in conver-

convertendis ad fidem Lithvanis Eundem juvit. Vilnæ Episcopum constituit, & Ecclesiam Cathedralem sub titulo S. Stanislai E. M. consecravit. Præposito Tremesnensi locum inter Canonicos Gnesnenses designavit, quem primus obtinuit Jacobus Poray. In Ecclesia Cathedrali Sacellum erexit & dotavit, in eoq; post septem annorum regimen sepultus est. Obiit 26. Decembris 1389.

XXXI.

JOANNES V.

Dux Opoliensis, Kropidło dictus.

HIc non virtuti, sed sangvini omnia pro sua ambitione deberi existimabat. Primus duos Episcopatus tenuit. Post fata Bożantæ, dum Gnesnensem prætenderet sedem, Bronislaus Lipski Archidiaconus Gnesnensis, & vacante Archiepiscopatu Administrator (quem *Niesiecki L. III.* scribit electum fuisse Archi Præsulem) fortiter se illi opposuit. Sed Joannes bonis Archiepiscopatûs per vim occupatis, sui confirmationem Romæ procurabat, promoventibûs Crucigeris; verùm à Rege Jagellone præventus, & perduellis, tanquam Crucigerorum fautor declaratus, jussu Ejusdem, à Sbigneo Lanckoronski, Regni Marescalco captus, (*d*) Cathedram, quam invasit, dimittere debuit, paucis usurpanti sedem obedientibûs. *Vide L. II.*

XXXII.

DOBROGOSTUS NOWODWORSKI

Pro Stemmate, Fascia insignitus.

IN Patavina Academia Juris Doctor, Primicerius Gnesnensis, Cracoviensis Decanus, Canonicus Posnaniensis, post obitum Joannis IV. de Strzelce, unanimi votô ab Archicapitulo electus, ne confirmaretur, erat

(*d*) *Cromerus Lib: XV.*

erat impedimento, quod Siemovitus adhuc Joanne superstite, Lovicium Dobrogosti consiliô, obsidione solvisset. Ludovicus enim Rex hoc Nowodworscii factum sinistrè interpretans, metuebat, ne post suum obitum Siemovitus ad solium Polonum Ejus operâ promoveretur; Quare Legatos Dobrogosti non admisit, imò ipsummet Romam euntem, cum Nicolao electo Posnaniensi Tarvisii detineri curavit, Bożantam verò ad Primatialem dignitatem Urbano VI. insinuavit, & facilè obtinuit.

Advertit postmodum metum inanem fuisse; quare eundem Urbano ad Posnaniensem sedem commendavit, quam, consecratus Neapoli, annîs decem rexit. In pluribus efficacem expertus Jagello, Romam expedivit, ut liberam Poloniam faceret à censuris, quas ambitiosus Kropidło apud Bonifacium IX. procuraverat. Evicit omnia Dobrogostus, insuper impetravit erectionem Episcopatûs Vilnensis, & Mednicensis seu Samogitiæ. Et ubi ambitionem Ducis Opoliensis, ejus in Regnum & Regem machinationes exposuisset, ab eodem Bonifacio, Ladislao & Archicapitulo postulante, Archidiæcesi regendæ destinatus est. Redux in Patriam, omnium lætitiâ acceptus, Annam, Vilhelmi Comitis Ciliæ Filiam, ex Anna Casimiri M. filia progenitam, Jagelloni votô secundô junxit, & in Reginam Poloniæ inauguravit Cisterciensium Lendensi cænobio decimas de bonis Makownica attribuit. Optime de Patria meritus decessit. 1402.

XXXIII.

NICOLAUS I. KUROWSKI

De Stemmate Srzeniava vide p. 47.

HUnc optima indoles evexit ad summa. Ex Decano Cracoviensi, Primicerio Gnesnensi, adnitente Hedvige, Poloniæ Regina, Regni Cancellarius, & Po-

& Posnaniensis Præsul, expletis hac in sede annis quatuor, ad Vladislaviensem promotus, ac brevi Archiepiscopus Gnesnensis inauguratus, bienniô utriq; Diæcesi præfuit.

Crucigeri sua hostilitate, in dies, magis feroces, continuis armis molesti erant Lithvaniæ; ut aliquando inimicitias deponerent, curabat Jagello; sed sua comitate nihil profecit. Ne videretur in conflictum præceps, & suo tempore, justum bellum gereret, hunc Nicolaum Regni Primatem, Oratorem ad Ordinis Magistrum misit, ut hic de injuriis à Vitoldo illatis Ordini, amicè cum Ladislao Lithvaniæ hærede componeret. Eâ Regis benevolentiâ Cruciger insolentior, non tractatu, sed armis se omnia vindicaturum respondit. Magistri superbiam amarô animô tulit Præsul ac minis minimè territus reposuit: *Desine nos bellô terrere, si arma contra Lithvanos ceperis, vicissim arma nostra domi senties.* Et quia pertinax temeritas Crucigerorum vi comprimenda erat, Ladislaus in Prussiam abiturus, Regni regimen probatæ virtuti Nicolai commisit. Regiæ expectationi abunde respondit Archi-Præsul, pacatam rexit Poloniam, & ut Regias auxisset copias, in castra submisit, ære proprio lectam militum manum, eiq; vexillum cum insigni Domus suæ præferri jussit. Quo eventu pugnatum est à Polonis, *Vide Lib: IV.*

Nec suæ defuit Ecclesiæ cui villam Rudawa donô perpetuô inscripsit. Reliquarum opum Petrum, Fratrem hæredem fecit. Obiit 1411. in itinere, cùm iret obvius reduci Jagelloni post victoriam de Crucigeris ad Grunvaldum partam.

XXXIV.

NICOLAUS II. TRÆBA.

Stemmate Trium tubarum nigri coloris clarus.

ADhuc Præpositus S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam

viam, Sigillum minus Regni meruit, & Haliciensis Archicapituli suffragia. In primo tamen aditu, huic Archidiæcesi valedixit, Jagellone promovente ad Primatis dignitatem assumptus. Brevi tempore collati honores debebantur Viri fidelitati, & addictis Ladislao obsequiis. In causa matrimonii cum Hedvige, dum Romam à Jagellone expeditus pergeret, à Vilhelmo Austriæ Duce Nunciorum è Polonia gressus observante interceptus, totum quadriennium detentus, fidem Principi suo datam probavit integerrimam. Redditus libertati, eidem Ladislao plurimum contribuit ad victoriam Grunvaldensem.

Joannes Zarnovius, natione Bohemus, cum suis copiis metu correptus, sive ære corruptus, fervente bello terga verterat, (ob id ea infamiâ notatus, ut ne uxor quidem conjugali torô eundem dignaretur) imperiô Regis redibat ex castris Nicolaus, & ubi in Bohemos latitantes incidit, eos tam precibûs, quam minîs prælio restituit. (e) Quorum adventu novas suppetias Polonis venisse arbitrati Crucigeri, aciem turbare, mox deserere, instante verò Regio exercitu plenam victoriam Ladislao cesserunt. Author erat eidem Jagelloni, ut partâ uteretur victoriâ; sed Rex moram trahens hosti spatium dedit colligendi vires, cum quo postea sæpius congrediendum erat, qui facilè tùm opprimi poterat. In Vratislaviensi demum congressu fortiter obstitit Sigismundo Cæsari pro Crucigeris decernenti.

Perniciosum plurium annorum Schisma traxit in diversa universamEcclesiam, hîsProvinciis illum, aliîs alium Christi Vicarium agnoscentibûs, Sigismundus Cæsar initô consiliô cum Regibus & Principibus, Joanni XXIII. supplex fuit, pro indicendo generali Concilio, quod tranquillitatem Ecclesiæ restitueret. Gessit morem piis optimi Imperatoris postulatis Joannes, Synodumq; universalem Constantiam convocavit, anno

(e) Sarnicki Lib: VII.

no 1417. Ad hunc totius Orbis Catholici congressum, variis ex partibus, præter Principum Legatos, convenerunt Præsules. Venit & Nicolaus cum Joanne Vladislaviensi, Jacobo Plocensi, Andrea Lascary, electo Posnaniensi, Episcopis, Joanne Tuliscovio, Castellano Calissiensi & Zavisza Garbovio, Legationis à Ladislao expeditæ Princeps. Congregati Patres spectata hujus Archi Præsulis in rebus gerendis dexteritate; ut negotia inter Reges, Galliæ & Angliæ componeret, postulârunt. Suscepit opus tantum, & ad vota ipsorum Principum perfecit, prudentiam Viri omnibûs admirantibûs, & laudantibûs. Quidam Joannes Falchembergius lucubrationem suam typis ediderat, in qua calamum strinxit in Regem & Regnum Poloniæ. Ausum hunc suæ Patriæ injuriosum, pænis per Concilium in authorem latis cohibuit, & Scriptorem in posterum modestiorem fecit. Ad eam insuper authoritatem pervenit, ut cum Joannes XXIII, propter bonum Ecclesiæ, summum Pontificatum abdicasset, & Benedictus XIII, antea Petrus de Luna dictus, Avenionensis Antipapa, per Decretum Concilii depositus fuisset, promoveretur plurium judiciô ad vacantem Petri sedem. Sed hæc Martino V. cessit. (f) Suæ Ecclesiæ memor, Primatum Regni cũ jure perpetuæ successionis Archiepiscopis Gnesnensibus obtinuit, universô Conciliô & Papa privilegium confirmante. *Vide p. 17.*

Redux in Patriam, omnem impendit curam bono Archidiæcesis & Poloniæ. Ecclesiam B. M. V. Rudâ, (qui locus incommodus videbatur) Vielunium transtulit & dotavit. Templo Moscoroviensi decimas nonnullas attribuit. Inter Poloniam & Hungariam ineundo fæderi se accinxerat, sed huic operi intentum mors è vivis sustulit anno 1422. Corpus Gnesnam delatum, ante sepulchrum S. Adalberti conditum est. Ejus laudes brevi calamô expressit Dlugossius: *Plurimarum*

(f) *Damalevicius. Cromerus L. XVIII.*

marum virtutum genere perfectus, amator Patriæ pius in omnes, liberalis & munificus in egenos, naturâ mansvetus & benignus.

XXXV.

ADALBERTUS II. JASTRZEMBECKI
De Stemmate Jastrzembiec.

In campo cæruleo solea cornibûs erecta, crucem in medio continet, eminet Stemmati accipiter alis ad volatum paratis.

HUnc septennem dum Parens tenuioris fortunæ, scholæ ad Ecclesiam Bessoviensem applicaret, hæc adolescenti ominatus est: *Trado te fili non in scholasticorum, sed in Episcoporum numerum. Tu autem Pontificalem assecutus dignitatem, nunquam obliviscere præsentis fortunæ & egestatis, in qua me, tuam matrem, simulq; te ipsum vides positum; major illa est, quam prosperiore successu tibi è memoria possit elabi. Factus autem Præsul, & mihi Parenti tuo, & loco huic, in quo te primùm litteris addico, grata voluntatis testimonium constitues; ut Ecclesiam lateritiam ædifices* (g) Voto Paterno respondit Deus, imperio satisfecit filius. Sacrâs initiatus, brevi ex Decano Cracoviensi, & Præposito Posnaniensi, post ascensum Nicolai Kurowscii ad Vladislaviensem Sedem, Posnaniensis Antistes, Bessoviæ Ecclesiam de cocto latere struxit eamq; Patribus S. Pauli Eremitæ regendam dedit, in scriptis bonis, Bessowo, Bessowko, Bydłowo, Bystrzonovice. Varsaviæ Ecclesiam Collegiatam erexit. Posnaniensis quatuordecem annîs Præsul munus optimi Pastoris adimplevit. Ecclesiam Cathedralem plurimîs beneficiîs, & cætu Sacerdotum, qui vulgo *Mansionariste* dicuntur, adornavit. Sigillo Regni præfectus, officium Cancellarii administravit ad vota omnium. Magnam tamen incurrit notam, à multis non postremæ ambitionis notatus, quod cum injuria aliorum, insulsas majores curaverit. An-

(g) *Starowolski, Naramowski L. II. C. VI.*

Anno 1412. Ladislaus Jagello, ut satisfaceret desiderio Adalberti CracoviensemSedem ambientis, Petrum Vissum, plurium annorum Præsulem Cracoviensem movit. Factum hoc ubi innotuit Romano Pontifici, & purpuratis Patribus, adeo læsit universos, ut nisi mors Petri, in Posnaniensem sedem translati, intercessisset, Albertus Cracoviensi Episcopatu abjudicatus fuisset. Post fata Petri, in possessione Cracoviensis Episcopatûs securus Jastrzembeccius, excisis sylvis oppidum erexit, à suo nomine Jastrzembiec dictum. Duas parœcias cum Ecclesiis, unam Vysocæ in Palatinatu Lublinensi, alteram Korytnicæ in Sandomiriensi, instituit & dotavit. Annô tandem 1423. Regni Primas constitutus, Sophiam Ducis Kijoviæ Filiam, quam Mathias Vilnensis Præsul Ladislao Jagelloni in matrimonium junxerat, Cracoviæ 1424. in Reginam Poloniæ unxit. Aderant huic actui Sigismundus Cæsar cum Imperatrice, Ericus Rex Daniæ, CardinalisBranda, Martini V. Legatus, aliiq; Duces plurimi.

Annus 1434. Ladislao Jagelloni æternâ memoriâ digno fatalis exstitit. Grodkum ille venerat, ubi svavi philomelæ cantu circa festum D. Adalberti illectus, cùm longiùs recrearet animum, febri correptus, 31. Maji mortalitatem exuit. Ad tanti Principis fatum ingemuit Polonia, magnoq; luctu eidem parentavit. Funus deduxit Cracoviam, & in Principe Basilica, justa persolvit Regi optimo. Basileense quoq; Concilium, deploravit jacturam Principis orthodoxi, ac solennibûs exequiis defuncti celebravit memoriam: *Dlugoss: Lib: XI.*

Duos Filios, Ladislaum & Casimirum ex Sophia Ducis Kijoviæ Filia superstites Jagello reliquerat. Primus decem ferè annorum Rex declaratus, propter teneram ætatem jusjurandum ritè præstare cùm non posset, solennem ejus coronationem plurimi differendam contendebant. Verùm huic scrupulo satisfecit Sbi-

Sbigneus Cracoviensis Præsul, productâ tabellâ, in qua effigies Casimiri Magni Regis, impubis adhuc, depicta erat. Acquiescere jam videbantur contradicentes suis destituti rationibûs, interea cùm moras necterent, & plures, in suas partes trahere conarentur; Mareschalcus Regni Olesnicki, cujus non postrema erat in Regno authoritas, subjunxit: ut quibus placeret Ladislaus, ad dexteram, contrarii ad sinistram concederent. Ita lis dirempta, omnibus inaugurandum Regem conclamantibus, juramentum tamen ab eo non exigendum, sed ad maturiorem ætatem differendum. Nihil ominus ut Sophia Mater, & primores pro eo fidejuberent, Eum non priùs ad Regni gubernacula accessurum, quam jusjurandum rite præstitisset (a) Sic conclusô negotiô Albertus ArchiPræsul juvenem Ladislaum die festo S. Jacobi 1434. in Regem Poloniæ coronavit. *Lubieński Geogr.*

Archiepiscopalem dignitatem munificentiæ in Superos consecravit, plurium Ecclesiarum conditor. Clodavam Canonicos D. Augustini restituit, illorumq; sacram ædem ad Collegiatæ dignitatem evexit. Obiit 1436. Vir probitate & prudentia insignis, fidelitate in Regem, amore in Patriam singularis. Ejus Frater Scibor, Palatinus Lanciciensis 20. filios habuisse perhibetur, quorum effigies in Ecclesia Bessoviensi se vidisse Paprocki scribit: octo in Prussia variis bellis cum Crucigeris extincti, duodecem, Curules Senatorias adornârunt.

Cùm Posnaniensem Diæcesim regeret, ut ex annorum serie colligitur, contigit illud enorme judæorum facinus in tribus consecratis hostiis patratum *Vide L. II. c. II.* Ejus quoq; temporibûs, cùm Cracoviensi præesset Ecclesiæ, cænobium Deo dicatarum Virginum, Instituti D. Brigittæ, Lublini conditum est.

F VIN-

(a) *Sarnicki Lib: VII. Vit: Præs: Tom I.*

XXXVI.

VINCENTIUS II. KOT

De Stemmate Doliwa.

Tres sunt rosæ in campo coloris rubri.

MAthiæ Castellani Naclensis Filius, Custos Gnesnensis, Primicerius Cracoviensis, & Regni Vicè Cancellarius. In Comitiis Vartæ 1430 celebratis, Jagellonis placitô, Regni Ordinum approbatione, Filiorum Ladislai institutioni designatus, meruit, ut post obitum Jastrzembeccii ad Gnesnensem Sedem concordî votô electus & consecratus esset, afflictæ postea Poloniæ magnô solatiô & Suffragiô.

Ladislaus præter Regnum Lechiæ, (cujus jura ætatis suæ annô decimô quintô in Comitiis Petricoviæ 1438. juramentô confirmavit) ad solium præterea Hungariæ post fata Alberti Cæsaris expetebatur ab Hungaris 1439. Et licet Elisabetha, Alberti Cæsaris relicta Consors, filium posthumum Ladislaum genuisset, & in Regem institui fecisset; Hungaria bellô Turcicô implicata, Amurathe Cæsare in ditiones illius sæviente; non infante sed virô, qui ejus integritati consuleret, indigebat; quare sortes suas continuis postulatis deferebat in manus Poloniæ Regis. Eorum precibus, & constantiæ cessit Ladislaus, Budæ in Regem unctus, fortunatis armorum suorum progressibus sæpius de Turcica potentia Victor, superbiam Amurathis adeò protrivit, ut hic fædera supplex expeteret. Conclusæ aliquot annorum induciæ, & jurejurandô pactæ.

Interea Amurathes, ab Hungaria liber, omnes fere copias in Asiam ad bellum Caramanicum eduxerat. Venetæ ut attritis Turcarum viribûs, sua facilius reperent, ad Ladislaum expediunt Legatos, bellum inferendum hosti tam vicino & formidabili svadent, auxilia non tam cito Turcis superventura, ob mare clau-

sum suîs & sociorum classibûs, significant. Hæc Oratores: Julianus quoq; Cardinalis, nomine Romani Pontificis ad similia hortatur Regem, & ubi inducias factas intellexit; priora cum Pontifice, Venetis, Genuensibus, fædera & societatem belli initam ab Hungaris commemorat; Quòd si qua religione Ladislaus teneretur, ne jusjurandum Amurathi datum violaret; illo eum, Pontificis Maximi authoritate se liberare, ait. Hæc identidem agendo & repetendo, Regem ad inferendum bellum induxit. Illud quem successum habuit? non est meæ materiæ. Quod attinet Poloniam & tempora Vincentii Archiepiscopi, attingo: Ladislaus Rex Poloniæ & Hungariæ, annô ætatis suæ 21. Christi 1444 amisso exercitu, occubuit ad Varnam, à loco cædis, à Historicis Varnensis dictus.

Fama de clade Christianorum, in Poloniam & Hungariam delata, utrumq; Regnum dolore & lachrymis replevit. Id tamen unum erat solatio, quòd Ladislaus Rex incolumis esse, & vivere diceretur. Et jam Constantinopolim, jam Venetias, jam in Valachiam, Transylvaniam, jam in Albaniam & Rasciam cum suis abiisse. In tam ambiguo vitæ Regiæ statu, placuit in Romaniam, Græciam, & Bulgariam, ex Polonia mitti nuncios, qui his Provinciis lustratis, nihil certi de Ladislao referre poterant. Major exinde crevit consternatio. Casimirus natu minor, Dux Lithvaniæ, Mater Sophia, mærore confici videbantur. Polonia, Hungaria suum Regem, Orbis Christianus Principem tam validum, fidei defensorem, non solùm Europa, sed Syria suum olim liberatorem, & a barbaris vindicem, in ipso ætatis flore, adeò immatura, & cruenta morte sibi ereptum lugebant.

Annus 1445. vertebatur, cùm in Regno major in dies apparebat solitudo, & incerto ordine omnia volvebantur; insuper cùm nunciatum esset, Hungaros amissa spe vitæ sui Regis, Alberti Imperatoris filium,

Ladislaum, qui afflictis rebus præesset, assumpsisse; Poloni conventum Ordinum pro die S. Adalberti, Siradiam indixerunt. In eo agitatum est, utrum Ladislaus expectari; an alius subrogari deberet, videlicet Casimirus Dux Lithvaniæ: Plurimi deliberationem in tanto negotio ad breve tempus differendam censebant. Alii, præcipue Sbigneus, Cracoviensis Præsul perficiendam concludebant: *Nihil se hac electione innovaturam Rempublicam,* dicebat ille *etiamsi Ladislaus Rex annis aliquot in vitam resurgeret; dum pro ordine in Regno habendo, non hostis, sed germanus, non extraneus, sed naturalis in locum Ladislai Regis subrogaretur.* Itum in Ejus sententiam: visum tamen est, electionem Casimiri robur suum habendam, sed non prosequendam, ipsi tantum Duci per speciales nuncios intimandam: nihilominus rogandum Casimirum, ut pro die S. Bartholomæi, Petricoviam ipse venire dignaretur, de statu Regni cum Proceribus consulturus.

Superveniente festo D. Bartholomæi, cæpit conventus Petricoviæ: comparuit Sophia Regina, advenere Nuncii, qui in Lithvaniam destinati iverant: retuleruntq; Casimirum per suos Legatos votis Polonorum satisfacturum fore: Hi aliquo tempore expectati, dum venissent, sensum Ducis sui exposuerunt: *Casimirum Lithvaniæ Ducem de casu Fratris sui Ladislai Regis, cladeq; Exercitûs, plurimùm anxium afflictumq; esse, nec ad aliqua publica negotia obeunda, virium illi satis suppetere. Quare videri immaturum tempus, quo gubernando Regno Poloniæ se ingereret. Expectari oportere longius tempus, ut plena certitudo de vita vel obitu Ladislai haberetur; Regnum interim Poloniæ per eosdem, qui à Rege constituti erant, administrari posse.*

Iniqua visa est Polonis hæc responsio; sed quia nemo utilior Casimirô, Ladislai Successor censebatur, placuit ex utroq; statu Oratores ad eum expedire, rogaturos, ut Regnum Poloniæ suscipere, populumq; sua

impe-

imperia ambientem regere dignaretur: nominatiq; sunt Vincentius Archiepiscopus, Sbigneus Cracoviensis, Ladislaus Vladislaviensis Episcopi, Joannes de Tęczyn Cracoviensis, Lucas de Gorka Posnaniensis, Joannes de Lihin Brestensis, Petrus de Sprowa Leopoliensis (b) Palatini, & Joannes de Koniecpole. Regni Cancellarius. *Dlugoß: Lib: XIII.*

Tantorum virorum expeditio, sperabatur, optatum exitum habitura, præsertim, cùm illis præivisset Sophia Regina, ut Materno affectu, ad postulata Polonorum citiùs flecteret Casimirum. Sed hic suorum Lithvanorum consiliô, cùm nihil determinaret; Sophia ne dubios de sua voluntate, & tandem offensos Polonos redderet, hoc saltem responsum apud Filium evicit: *Se in re tanti momenti nolle præcipitare, super Regno Poloniæ deliberaturum cum Lithvaniæ Samogitiæ & Russiæ Dynastis responsionemq; finalem per emissarios Petricoviam pro die Epiphaniæ daturum.*

Hanc Casimiri mentem acerbô animo tulerunt Legati, parabantq; indignabundi abitum, sed à Sophia meliora sperare jussi, post aliquam moram redierunt in Poloniam, & quæ egissent, statibus denunciarunt. Indictus itaq; denuo Petricoviam pro die Epiphaniæ congressus, pro quo & Oratores Casimiri comparuerunt. Sed, cùm hi potentiam, opes ditiones Principis sui (ac si hæc ignota essent Polonis) & ad rem nihil proponerent; sermonis fastu, & sui contemptu læsi Poloni, non ampliùs Casimirum novis legationibûs honorandum, sed electionem alterius accelerandam, conclamârunt.

Ut itaq; electio futuri Regis sanctè & legitimè procederet, Deo supplicatum est, Sbigneô Cracoviensî Episcopo sacris operante. Interea nonnullos facti pænitere cæpit. Verebantur illi, ne electio, duos simul offenderet, Casimirum & Ladislaum, de cujus vita non contemnendi rumores deferebantur. His itaq; cæpta

F 3 consi-

(b) moderni Russiæ Palatini, Leopolienses dicebantur.

conſilia improbantibus, primores eorum ſenſui ſubſcripſerunt. Ne tamen progreſſus operis intermitteretur, alterum Conventum in prædicta Urbe pro Dominica IV. Quadrageſimæ, decreverunt, deſignata adhuc ad Caſimirum legatione.

Przedborius de Koniecpole, Sandomirienſis, & Stiborius Junivladislavienſis, Caſtellani impetrati, quibus commiſſum eſt, ut reſponſum Caſimiri, quale, illud eſſet, celerrime per emiſſarios ſtatibus Poloniæ deferrent. Plurimum hi adlaborabant, ut Ducem Lithvaniæ in deſideria Polonorum flecterent, ſed omnes illorum conatus erant irriti; ipſe Caſimirus reſpondit: *Fixum ſibi eſſe non ſuſcipere ſceptra Regni aliquoties ſibi oblata, ſed ſede Magni Ducatus Lithaniæ eſſe contentum: ſiquis tamen eo invito, ſolium Poloniæ apprehenderet, cum ſe pro hoſte habiturum.*

Hoc Ducis propoſito Caſtellani accepto, ne ſuis partibus deeſſent, Proceres Poloniæ per litteras monent ne cunctarentur ad electionem Regis procedere, cùm de Duce Caſimiro nulla ſpes relicta eſſet. Ea notitia per Poloniam divulgata, totam Nobilitatem pro die condicta Petricoviam convocavit. Vota omnium erant, ordiri & conſummare electionis opus. Illud ut felicem haberet ſucceſſum, Vincentius Regni Primas rem divinam celebravit, ac reliquos Præſules, & Regni Conſiliarios, ſacri epuli convivas admiſit: qua finita, viſum eſt, negotium ad diem craſtinam deferre.

Illuxit dies poſtera, quæ erat 28. Martii. Vincentius Archiepiſcopus invocatô cæleſti auxiliô, cum Proceribus locum ingreſſus, quæſivit: *An ad electionem futuri Regis procedendum? Duce Caſimiro, & Ejus priori electione penitus abrogatâ? an etiam novis Nunciis adhuc ſolicitandus eſſet?* Poſt varios ea in re tractatus, determinatum, electionem alterius Regis proſequendam. Metropolitanus itaq; Gneſnenſis, cùm plures Principes recenſuiſſet, Fridericum Marchionem Brandeburgen-

ſem

ſem, propter prudentiam, Poloni idiomatis peritiam, ditionum vicinitatem eligebat, Sbigneus Cracovienſis, Ladislaus Vladislavienſis, Andreas Poſnanienſis, Epiſcopi, ArchiPræſulis ſenſum ſecuti ſunt. Paulus Giżycki, Plocenſis Antiſtes pro Ducibus Mazoviæ, Ladiſlao & Boleslao peroravit. Dum finem dicendi Pontifices feciſſent; Joannes de Cziżow, Caſtellanus Cracovienſis pro Ducibus Mazoviæ, præcipuè Boleslao, uti ſingulari prudentiâ, & virium robore pollente, ſententiam dixit. Cujus in Regno ſucceſſionem, Poloniæ utilem multis rationibûs deduxit, pluresq; traxit in partes Boleslai. Itaq; Præſules & alii, qui Marchionem promovebant, cùm in Ducem Boleslaum, longe majorem partem conſenſiſſe adverterent, in Eundem vota ſua contulerunt. Quare Vincentius Archiepiſcopus mandatô ab omnibus acceptô, Ducem Boleslaum Regem Poloniæ promulgavit. Pro felici tanti operis exitu, à Clero, hymnô Ambroſianô actæ ſolennes Deo gratiæ, à Nobilitate verò cantus D. Adalberti perſonuit. Altera die Vincentius Archiepiſcopus, Andreas de Bnin, Epiſcopus Poſnanienſis, Joannes de Cziżow Caſtellanus Cracovienſis, Lucas de Gorka Poſnanienſis, & Joannes de Oleſnica Sandomirienſis Palatini, electi ſunt totius Regni Nuncii ad Ducem Mazoviæ Boleslaum, pro feſto Pentecoſtes tranſituri, niſi interim Dux Lithvaniæ mentem ſuam immutaſſet.

Aderant huic actui nonnulli Lithvanorum, & quæ peracta ſunt, Duci ſuo retulerunt. Caſimirus, & aliqui Lithvani Proceres, qui non ita pridem fervidius cum Polonis negotium tractabant, ſuis partibus timere cæperunt, ſi electio Ducis Boleslai ſuum ſortiretur effectum; quare non de bello inferendo, ſed repellendo cogitabant. Accedebat & vitæ amittendæ metus in Caſimiro; in quàm conſpiraſſe nonnullos Lithvanos in comperto habuit. Itaq; primùm Sophiæ Matri, deinde paucis quibusdam Polonis mentem de ſuſcipiendo Re-

 gno,

gno, secretò defert, hortaturq; ut Boleslai electionem impediant; nunc primùm se sapere cæpisse, & in quanto versetur periculo, seriùs intellexisse.

Res hæc tacite per Sophiam Reginam divulgata, Proceres Minoris Poloniæ in Belssick *scribit Dlugoss:* evocavit (c) unde Petrus de Kurow Castellanus Sandecensis, in Lithvaniam ut iret, impetratus est. Perrexit, & omni humanitate acceptus à Casimiro, Ejus in admittendo Regno mentem retulit. Eô nunciô læti Cracovienses incolæ, pro festo S. Stanislai Cracoviam confluunt, & mutatum Casimiri animum deprædicant, postulantq; ut eidem, non obstante Boleslai electione, Regnum deferatur. Sbigneus Episcopus, Joannes de Tęczyn, Cracoviensis, Joannes de Olesnica, Sandomiriensis Palatini, Cresłaus de Kurozwęki, Castellanus Lublinensis, aliiq; non pauci contempsère, ut privatam, & quadam levitate refertam notitiam; imò ad Ducem Mazoviæ electionis negotium, quam primùm deferendum censuère. Subita apparuit intestinæ divisionis facies, multis contrarium promoventibûs. Sbigneus Præsul, vir in arduis & prudens & promptus, ut in scintilla malum opprimeret, ad Status Majoris Poloniæ rem deferendam judicavit. Præsulis tanti decisionem probàrunt cuncti; Joannem itaq; Pilecki in Majorem Poloniam expediunt.

Majoris Provinciæ Proceres ad oppidum Koło congregati, deliberabant super variis negotiis. Ubi ad meliorem frugem reduisse Casimirum intellexerunt, Eidem adhæserunt, & Ducem Lithvaniæ pro evitando civili bello, novis Nunciis solicitandum decreverunt, die festo S. Michaelis, conventui in oppido Parczow designatô.

Brestam Lithvaniæ Casimirus venerat, ut vicinior esset Poloniæ & Comitiis Parczoviæ celebrandis. So-

(c) *Neugebaver Lib. V. scribit ad Belzyce conventum celebratum.*

Sophia Regina de Filio solicita ad Casimirum perrexit, Eidem persvasura, ne gentem adeò sibi fidam solitâ contumaciâ contemneret, & se tandem Polonis concrederet. Poloni quoq; Parczoviam congregati, levibûs emissariis Casimirum invitabant, rogabantq; ut Regnum toties sibi oblatum acciperet, & promissionem per Petrum de Kurow datam ratam haberet.

Ambigue ad eas Polonorum propositiones respondit Casimirus, sed Brestam pro finali decisione eosdem evocabat. Fuerant plurimi, qui censebant Brestam eundum; sed Vincentius cum aliis, metuens insidias, Brestam transeundi sententiam abrogavit. Joannes tamen Rzeszowski Archiepiscopus Leopoliensis, & Andreas de Bnin Episcopus Posnaniensis, cum nonnullis ex Equestri statu transmissi: Vincentiô Archiepiscopô, Sbigneô Cracoviensi Præsule, & reliquo Senatu Poloniæ, Parczoviæ manentibûs. Legatis mandatum est, ut Ducem honestis modis ad suscipiendum Poloniæ regimen inducerent, à pactis verò & promissis, si quæ à Casimiro & Lithvanis poscerentur, penitus abstinerent.

Hi ubi Brestam pervenerunt, benignè à Casimiro accepti, multis difficultatibûs superatis, animum Casimiri expugnàrunt. Qui Poloniæ Oratoribus in consilium accersitis, cunctationem suam de admittendo Poloniæ Regno, pluribûs rationibûs, signanter spe vitæ Fratris sui, excusabat. Ad extremum electionem sui ad honorem SS. Triadis, suscepit, jura & libertates Regni se confirmaturum promisit, & diem coronationi suæ, Divo Joanni Baptistæ natalem anni futuri 1447. constituit, litterasq; hæc omnia firmantes, tradidit Petro de Sczekocin, Pro Cancellario Regni, in thesaurum Regium Cracoviam deferendas.

Ingens lætitia animos Polonorum incessit, quòd tandem aliquot annorum opus, tot legationibûs, & tantâ pertinaciâ agitatum, optato fine coronaverint. Pro die

die condicta, Cracoviam supervenit Casimirus, ab effusa Nobilitate & populo, magno apparatu in Arcem deductus. die Dominica (quæ erat crastinum S. Joannis Baptistæ) per Vincentium Archiepiscopum Gnesnensem solitis cerimoniis Rex institutus est.

Sic feliciter rebus Poloniæ, supremâ manu impositâ Vincentius, tuendæ Primatis dignitati, & Ecclesiarum bono navavit operam. Duces Mazoviæ Regio sangvine juncti, ambiebant primum locum in publicis Regni congressibus: non tantùm illorum ambitioni obstitit, sed ut etiam omnibus Præsulibus locum cederent, evicit. Basileense Concilium Eugenio IV. offensum, Ducem Sabaudiæ elegerat, qui sub nomine Felicis V. regimen Ecclesiæ suscepit: hic ut suas partes augeret, hunc Vincentium inter cæteros Cardinales adlegit; sed cùm Nicolao V. nomine Regis & Regni obedientiam redderet, eam dignitatem benevole deposuit: Præsul & fidei Catholicæ & disciplinæ Ecclesiasticæ tenax. Canonicos ut assiduos ad Ecclesiam Cathedralem faceret, bonorum Archiepiscopalium partem inter eos distribuit: suæ Metropoli apparatum sacrum gemmis & aurô distinctum obtulit, & ad sacra obeunda, ex vineis Uniejoviensibus, quatuor dolia vini quotannis designavit. Paulum Gizicki electum Plocensem, stante schismate Ecclesiæ, confirmavit. Ecclesiam Canonicorum Regularium Lateranensium Calissii ad S. Nicolaum ad dignitatem Collegiatæ evexit. Primo Abbati Tremesnensi Tiaram imposuit, eiq; Pontificiam benedictionem impertitus est. Tandem pro bono Patriæ & Ecclesiæ fractis viribûs, quievit 1448. die 14. Augusti Uniejoviæ, Gnesnæ sepultus.

XXXVII.

XXXVII.
LADISLAUS I. OPOROWSKI
De Stemmate Sulima.

Aquila est dimidia alis expansis, cujus pars inferior tribus lapidibus quadratis in formam triangularem est insignita.

PAlatini Lanciciensis Filius ex Decano Cracoviensi, Lanciciensi Præposito, Canonico Gnesnensi, Regni Pro Cancellario ad Vladislaviensem Sedem votô Capituli promotus; Oporoviæ in bonis Paternis de coctô latere Ecclesiam erexit, quam Religiosis S. Pauli Eremitæ curandam dedit. Post fata Vincentii festô SS. Simonis & Judæ Apostolorum convenêre Canonici Gnesnenses, novum ArchiPræsulem electuri, Rex Casimirus eam dignitatem Sbigneo Cracoviensi conferendam optabat, sed cùm à Sophia Regina intellexisset Sbigneum sua Sede contentum, hunc Ladislaum cæterîs digniorem judicavit; quare citissimis passibûs ire jussit ex Lithvania Miklasch Notarium, & Creslaum Woyszik Cubicularium, qui nomine illius, Ladislaum Episcopum Vladislaviensem in Archiepiscopum Gnesnensem postularent.

Canonici in electione futuri Antistitis votîs secretîs procesêre, existimantes hunc modum efficaciorem fore, verùm suffragiis singulorum collectis, magna divisio inter eligentes apparuit. Unus fuit postulatus, tres vero electi: Novem votis Regis satisfecerunt, alii octo Joannem Gruszczynski, Custodem Cracoviensem, duo Niklinum Hebda, Præpositum Crusvicensem, unus, Thomam Strzempinski Theologiæ & Juris Doctorem, eligebant. Subsequente electionem die Joannes Gruszczyński veritus, ne offenderet Casimirum, a quo post ascensum Oporovii parabatur Vladislaviensi Cathedræ, in favorem Ladislai, juri electionis suæ cessit, Niklinô Hebda cum suis duobus electoribus, propositô nulla-

nullatenus cedere volente. Oporowski longè à majori parte Capituli postulatus, promovente adhuc Casimiro, facilè confirmationem obtinuit à Nicolao V 16-Junii 1449. Sed quos affectus Casimiri in acquirenda Primatiali dignitate nactus est, illos in eadem tuenda non fuit expertus

Sbigneus Cracoviensis Antistes, adhuc ab Eugenio IV. ad Cardinalis dignitatem evectus erat; sed quia idem honoris gradus à Felice V, Duce Sabaudiæ, Antipapa, per Concilium Basileense electo, illi offerebatur, ne Schismati favere videretur Religiosus Præsul, utriq; egit gratias. Nicolaus V. Eugenii Successor, post recessum liberum Ducis Sabaudiæ à vano Pontificatu, & extinctum Schisma, eandem dignitatem sub titulò S. Priscæ 1449. Sbigneo contulit, ac per Joannem Dlugosz, Cracoviensem Canonicum insignia cum litteris Apostolicis transmisit. Ex Lithvania pro Comitiis Petricoviensibus venerat interea Casimirus. Comparuit Ladislaus ArchiPræsul, & Sbigneus novus Cardinalis. Qui primus esset in illo congressu? magna contentio orta est; dum id uterq; vendicaret. Ladislaus, ajebat, se titulô domesticum, Primatem, Metropolitanum, idq; primum post Regem. Sbigneus, se Cardinalem, Regibus parem, majorem Principibûs, asserebat. Quivis illorum, suæ dignitatis non postremos defensores habuit. Interim Ladislaus, ne Sbigneo locum in publico conventu cedere videretur cum præjudicio Archiepiscopi Gnesnensis, exesse maluit, quem Proceres Majoris Poloniæ secuti sunt.

Et quia Rex, absente Archiepiscopo, & Primoribûs Majoris Poloniæ, præsente Sbigneo Cardinale de negotiis Reipublicæ tractabat, Majoris Provinciæ Senatores impetratô consiliô privatô, ea de re plurimum questi sunt. Præterea in Comitiis generalibus annô 1451. eadem in urbe habitis (quibus non aderat Sbigneus) expostulabant vehementiùs: Cardinalem Episco-

scopum Cracoviensem, eorum Metropolitano Gnesnensi primum locum eripuisse, & Provinciam, ex illa quæ unica ei restabat, excellentiâ dejecisse. Ad eas querelas Joannes de Czizow Castellanus Cracoviensis, gravi sermone pro meritis Sbignei, pro dignitate Cardinalium, quod hæc, minime curanti à tribus Pontificibus collata esset, peroravit. Casimirus quoq; suô decretô litem diremit: sanxitq; ut alter eorum una die et alius alterâ ad consilium veniret, non vocatus verò in hospitio subsisteret, daturus nihilominus abinde consilia opportuna, super quibus esset requisitus (d) sic negotiô conclusô, prope quinquennium in regimine Metropolis exegit Ladislaus, anno 1453. vitâ functus, Oporoviæ sepultus.

XXXVIII.

JOANNES VI. ODROWAZ.

EX Familia, primis in Polonia honoribûs, distincta oriundus, Ivonis, Cracoviensis Episcopi, Sanctorum Hyacinthi & Ceslai sangvis, Judicis Terrestris Sandomiriensis Filius, omnium suffragiô in Archiepiscopum electus, & à Nicolao V. confirmatus. Vir in consiliis profundus, Patriæ amans, Ecclesiarum defensor, in suam sponsam plusquam liberalis, cui præter auctos proventus, plurima de argento & auro obtulit. Sacellum Annuntiatæ Virginis erexit, dotavit. Villam Dąba commutavit in oppidum, ac Skierniewice dici voluit, impetratô, ea in re, Regis privilegiô, ubi Ecclesiam de coctо latere struxit. Vicariis Gnesnensibus, & Collegiatæ Loviciensi decimas superaddidit. Ecclesiam ibidem ex solido muro inchoavit, ne finiret, mors impedivit. Auri marca ex Tractu Loviciensi, Ducibus Mazoviæ, quotannis pendenda erat, illam cùm semel persolvisset, apud Casimirum Ducem hujus tributi donationem obtinuit. Jura Cisterciensium Claræ tumbæ ab

(d) *Legum Volum I. vide p. 18.*

ab Jvone Episcopo Cracoviensi huic cænobio data (quæ nepotes hujus Præsulis convellere, & bona repetere intendebant,) cum aliis Odrowąziis firmiora fecit, & primus subscripsit.

Casimirus Rex Elisabetham Austriacam, Alberti Romanorum Regis Filiam sibi desponsaverat; splendido comitatu venit illa Cracoviam, ab omnibus ea majestate, qua par erat, accepta. Matrimonium horum Principum qui nam benedicturus esset? magna quæstio orta est inter Joannem ArchiPræsulem, & Sbigneum Cardinalem, hanc Provinciam utroq; vendicante. Lis interventu amicorum sic composita, ut Joannes à Capistrano Ordinis Minorum de Observantia Sedis Apostolicæ Nuncius, qui famâ virtutum, & vitæ Sanctitate excitus venit Cracoviam, opus desponsationis expediret. Decisio ad Joannem à Capistrano delata, eam non aliter se executurum Beatus respondit, nisi id Sbigneus Episcopus Cracoviensis permitteret, & ratum haberet. Annuit Sbigneus, quare adstantibûs Præsulibûs Poloniæ, Rex Casimirus, & Elisabeth Virgo ad contrahendum matrimonium accessit. Joannes verò in genua prostratus, licentiam à Cardinale benedicendi Neosponsos obtinuit; cæterum, dum rite ipsam desponsationem peragere non posset, ut pote Polonici, & Teutonici idiomatis ignarus, coactus est Cardinalis, qui utramq; lingvam noverat, cerimonias supplere & conficere. Sic finito actu, Joannes Archiepiscopus, in vocato Numine, Elisabethæ consveto apparatu diadema Regium imposuit, novamq; Reginam adorârunt universi. *Dlugoss: Lib: XIII,*

Trahebatur in dies Nuptiarum festivitas, cùm 21. Februarii 1454. Prussiæ Legati Cracoviam supervenerunt, se, facultates suas, & Prussiam, excussô Crucigerorum imperiô, Casimiro & Regno Poloniæ offerentes. Plurima eo in negotio habita consilia, variis varia sentientibûs: tandem in patrocinium accepti, fidelitatis, subjectionis & obedientiæ Sacramentum præstiterunt: jusjurandum Joanne Archiepiscopo, præsente Casimiro & Poloniæ Senatoribûs, exigente. *Vide L. III.* Quo tempore Episcopatus, Pomesaniæ & Sambiensis, Metropoli Gnesnensi accesserunt.

Hæc Prussiæ conditio, plurium bellorum fuit occasio Poloniæ; exhaustô ærariô, publicis Regni proventibûs diminutis, nec in expeditiones bellicas sufficientibûs, ut vires Polonorum aliquot præliis attritæ reficerentur, animum convertit Casimirus ad Ecclesiarum opes. Et ne Respublica perderetur, eas apud nonnullos Præsules impetravit. Contribuit illas ArchiPræsul, Joannes Vladislaviensis, & Andreas Posnaniensis, de illis suo tempore compensandis, cautione à Rege & Senatoribus accepta. Insuper aliquot Synodos convocavit, in quibus Sacro Ordini subsidium persvasit, ad promovendum cum Crucigeris bellum. Justum exercitum collegit Casimirus, cum quo in Prussiam dum pervenisset, quidam Irzik Stosch de Olbrachczice Moravus, cum Joanne Swieborowski Polono privatas suas injurias vindicante, Ilkussiam & Sławkow oppida vastavit, & munitionem Kempno in Terra Vielunensi astu cepit. Ad illos locô movendos Archiepiscopus, & Andreas Episcopus Posnaniensis lectam militum manum, Burgrabio Vielunensi, invasores oppugnanti transmisit.

Ne & ordini Archidiæcesis suæ deesset, Synodum Provincialem Lanciciæ celebravit, in qua, plurima pro bono suæ, & aliarum Ecclesiarum sanxit. De Patria & Ecclesia mereri desiit anno 1464. die 14. Aprilis, Gnesnæ 20. ejusdem in choro ante majus altare sepultus.

XXXIX.

XXXIX.

JOANNES VII. GRUSZCZYNSKI,

Poraita Vide p. 27.

JOannis Vexilliferi Siradiensis Filius. Post fata Vincentii Kot, electus erat ad hanc Metropolim, sed juri electionis in favorem Oporowscii cessit, post cujus ascensum, à Rege Casimiro non una legatione promovebatur ad Vladislaviensem sedem; verum hanc Nicolaus V. Nicolao Lasocki detulerat. *Vide L. II.* Post Lasoccii fata eam adeptus, à Sbigneo Cardinale Cracoviæ, Dominicâ intra Octavam Corporis Christi consecratus, favori Regio abunde respondit.

Prussia excussô Crucigerorum jugô Poloniæ regimen susceperat; eam injuriam armis vindicabat Ordo Teutonicus. Regi & Patriæ non defuit auxiliô Præsul hic; proprio ære & suorum affinium, collectis copiis, aciem Polonorum sæpius restituit, ac Prussiam, non obstantibûs minis Hieronymi Archiepiscopi Cretensis, Legati Pontificii (partes Crucigerorum secutus erat) in fidelitate & officio continuit. Hunc Patriæ, & sui amorem plurimi æstimans Casimirus, ad Vladislaviensem Episcopatum, Regni Sigillum post fata Joannis Koniecpolski Gruszczyńscio detulit, & suæ mentis interpretem fecit: abiturus verò in Lithvaniam Majoris Poloniæ Gubernatorem, ac negotiorum Prussiæ supremum administrum constituit. Novis stipendiis fovenmum erat in Prussia exercitus, ad ea persolvenda, Ordinum congressus in Koło (oppidum est Majoris Poloniæ) indictus erat. Et quia publici Regni proventus tantis non sufficiebant impensis, author fuit Gnesnensi Archiepiscopo, & Posnaniensi Præsuli, ut suarum Ecclesiarum opes necessitati Patriæ immolarent, quibus propriô præivit exemplô.

Post fata Thomæ Strzempiński Cracoviensis Antistitis, non obstante possessione duorum annorum Jacobi Sieniński à Pio II. huic sedi designati, Rege determinante & evincente, Legatô Pontificiô frustra reclamante, Cracoviensi Diæcesi præfectus, ex qua brevi ad Metropolitanam ab Eodem Rege promotus, cum Primatiali dignitate, majus Regni sigillum per triennium tenuit. Synodum Provincialem indixit Lanciciæ in qua subsidium pro bello Prussico decisum est. Lovicii Patribus Ordinis Minorum de Observantia Ecclesiam & cænobium erexit, Calissii verò locum eisdem Patribus providit. In oppido Zgow Cracoviensis Capituli hæreditario, Templum sub titulo S. Stanislai E. M. exstruxit, & in dotem illius perpetuam, decimas mensæ Archiepiscopalis, cum consensu Archicapituli de bonis Rakowska wola attribuit. Obiit Cracoviæ 8. Octobris 1473. subitô extinctus fatô.

XL.

JACOBUS III. SIENINSKI

De Stemmate Dębno

Crux est rubrum campum dividens, in latere sinistro Crucis littera W. cernitur.

FIlius Dobieslai, Palatini Sandomiriensis, & Dorotheæ de Gorai, Filiæ Demetrii Vice Thesaurarii Regni. Adhuc Præpositus Gnesnensis & Cracoviensis, ad Pium II. ivit Legatus Casimiri Regis, ad præstandam Ejus, & Regni nomine sedi Apostolicæ obedientiam: tum ut navaret operam in negotiis Prussiæ cum Crucigeris, præcipue, ut sublationem censurarum a Callisto III. studiô Teutonicorum, in Prussiam Polonis subditam latarum, procuraret. Mantuæ reperit Pontificem, agentem consilia cum Regibus & Principibus, de ineundo cum Turcis bello, & repetenda Constantinopoli. Peractô obedientiæ officiô, supremo Ecclesiæ Capiti, effecit, ut Papa equites & cives Prussiæ, quos suus Præ- decess-

decessor, & ipse sub pænis Ecclesiasticis, in Magistri & Ordinis Crucigerorũ potestatem redire jusserat,omnib9 censuris absolverit, & pro absolutis declaraverit. Hanc Ejus legationem *Gobelinus L. III. Commentar*: describens *Adfuit, ait: Casimiri Regis Legatus, Vir doctus, Sbignei, quondam Cracoviensis Episcopi & Cardinalis Nepos, multi et fuerunt famuli, unius vestis, more gentis, pennatos pileos, & pharetram, & balistam gestantes, equis præpingvibus insidentes*. Idem testantur *Spondanus in Annal: Eccl.*

Videbatur Pius Regi & Regno Poloniæ favere, Crucigeris tamen magis addictus apparuit. Maximo conatu adlaborabat Jacobus, Casimiri Nuncius, ut Ordo Crucigerorum de Prussia tolleretur, ne Reges Catholicos, quibus vicinus est, bellis iniquissimis involveret, & ad insulam Tenedum transferretur; ubi juxta instituti sui professionem, barbaros & Turcas lacesseret. Non solius Legati Poloniæ, sed etiam Oratorum, aliorum Regum & Principum eadem mens erat & consilium, Enumerabant omnes, quantum, Crucigerorum causâ, aliena appetentium, vel ipsa Polonia & Lithvania, sangvinis Christiani esset fusum. Quare rogabant Pium, ut translatio hæc Ecclesiæ & toti Christianitati proficua & necessaria, universali consensu decerneretur. Pontifice tamen Crucigerorum partes adjuvante, decretum ejusmodi obtineri non potuit. *Dlugoss: Lib: XIII.*

Interea, dum Jacobus Mantuæ subsisteret, Thomas Strzempinski Cracoviensis Antistes, ultimum diem obiit. Superstes adhuc sedem hanc cedebat Sieninio eoq; fine Procuratores constituerat, qui menti suæ satis facerent. Pius acceptâ de fatis Thomæ notitiâ, Regiis Nunciis, & Advocatis, non attentis, Cracoviensem Episcopatum Jacobo detulit: in Polonia vero major pars Capituli, Joannem Lutecum de Brzezie, Regni Pro Cancellarium, minor sed Regis authoritate fulta, Joannem Gruszczynski, Vladislaviensem Episcopum elegerat. Tres itaq; candidati Cracoviensem ambiebant sedem: pro Jacobo stabat Pontifex, Ejusq; Legatus, Archiepiscopus Cretensis: pro Luteco Capitulum, pro Gruszczynscio, Rex Casimirus, nullum, nisi suum admissurus. Lutecus cùm sibi, & suis electoribus, exilium, bonorum amissio, aliiq; terrores incuterentur, juri electionis cessit, in Vladislaviensi succedere Gruszczynio contentus. Jacobus Mantuâ redux possessionem Cathedræ adiit, & Pinczoviæ die festo SS. Trinitatis in Episcopum consecratus est.

Supervenit interea Casimirus ex Lithvania, de bello in Prussia promovendo cum Polonis acturus. Hæc Sieninscii, Cracoviensis sedis possessio, plurimùm fecit anxium; Quare Georgium Laodicensem Episcopum, Cracoviensem Suffraganeum, Ordinis Minorum, Virum Religionis & Sanctitatis non postremæ, quòd Jacobo Sieninski cum aliis duobus Suffraganeis, Ecclesiarum Gnesnensis & Vratislaviensis, munus consecrationis impendisset, Cracoviâ, totaq; Diæcesi exesse jussit. (a) Abiit comitantibûs exilium, multorum lachrimis, & Opoli in monasterio Ordinis sui quievit. Canonicos deinde Cracovienses, jus Regium defendere, & bona Episcopatûs Cracoviensis, non nisi illi, qui de suo Regio consensu Episcopus fieret, reddere, ut pollicerentur, jurejurando adstrinxit. Processus insuper, mandata & litteras Jacobi Sieninski suscipere, aut illis, vel quibuscunq; rem Ejus promoventibus parere, severe prohibuit sub amissione bonorum, & exilii pænâ interpositâ. Hujus sui decreti executionem Nicolao Pieniążek succamerario & Præfecto Castri Cracoviensis seriô demandavit; ad summum quoq; Pontificem, Pium II. Oratores, Joannem de Rytwiany Præfectum Sandomiriensem, & Mathiam de Raciąż Canonicum Vladislaviensem, misit rogaturos, quatenus suam provisionem de Jacobo Sieninski ad Ecclesiam Cracoviensem factam, rescinderet, & Joannem Gruszczyn-

G 2

(a) *Dlugoss: Lib: XIII.*

ſzczynski Epiſcopum Vladislavienſem, in Cracovienſi, in Vladislavienſi verò, Joannem Lutecum, Vice Cancellarium Regni confirmaret.

Pius Pontifex propoſiti tenax, tam in hoc, quam aliis negotiis, Hieronymum, Archiepiſcopum Cretenſem, optime inſtructum in Poloniam expedivit. Venit ille ſerius, quàm ſperabatur, Petricoviam die 26. Novembris 1462. & ſolitis cerimoniis, tam pro ſua, quam Regia dignitate admiſſus, multa de amore Pontificis in Caſimirum Regem, & Regnum Poloniæ prolocutus, ad tria ſe ſingulariter miſſum innuit: ad tranquillitatem Cracovienſis Eccleſiæ, ad intercipiendum bellum Pruthenicum, & ad invitandum Regem in bellum Turcis inferendum. Et cauſam quidem Eccleſiæ Cracovienſis, in aliud tempus differens, pacem cum Magiſtro & Ordine Crucigerorum, armis depoſitis, ut commodiùs bellum cum Turcis agi poſſet, multis rationibûs ſvadebat. Altera die, honore menſæ à Rege exceptus, reliquum diei & ſequentem integram abſumpſit in colloquiis cum Rege ſecretis, Joanne Odrowązio Archiepiſcopo Gneſnenſi ſolo, interprete adhibito. In illis omni conatu, ut à Pio inſtructus erat, adlaborabat, ut Jacobum gratiæ Caſimiri reſtitueret, & Ejus poſſeſſionem ſedis Cracovienſis pacificam efficeret: aſſerebat: proviſionem Jacobi Cracovienſis Epiſcopi, etiam per ſummum Pontificem, illo diſſentiente, reſcindi non poſſe. Non tenuit iram Caſimirus, ſed fervidiùs Legato reſpondit: *ſatius Regnum Poloniæ perditum iri, quàm Jacobum ad poſſeſſionem Epiſcopatûs Cracovienſis admittere.* Nunciô vero Apoſtolicô replicante: *minus fore jacturæ, ſi etiam tria Regna depereant, quam ſedes Apoſtolica jura ſua confundat* cum magna animorum hinc inde læſione diſceſſum eſt. Poſtero verò die modeſtiori ſermone Rex uſus, cum Hieronymo compoſuit, ut pro 16. Januarii alius Petricoviæ congreſſus inſtitueretur, ad quem Jacobus, & Adminiſtrator cum Canonicis evocarentur, acturi de concordia. Rex interim ſummum Pontificem conveniret, per novum Nuncium qui pro die deſignato Petricoviam reverſurus eſſet. Ad obeundum Legati munus electus Nicolaus Herboth Vratislavienſis Canonicus, & extemplo miſſus eſt cum litteris Regis ac Hieronymi; dedit & ſuas ad Pium Jacobus Sieninski: *Dlugoſſ: Lib: XIII.*

Pro die, ut conventum erat, venit Petricoviam Caſimirus, venit quoq; & Archiepiſcopus Cretenſis, comparuit & Jacobus. De poteſtate ſummi Pontificis, & quod Eccleſiarum Cathedralium diſpoſitio apud illum ſolum conſiſtat, multis evincebat Legatus Pontificius, ſed cùm nihil proficeret; Jacobus ſuorum miſertus, qui in dies magis à Rege affligebantur, Vladislavienſi Eccleſia, quæ ei offerebatur, non admiſsâ, ne major Eccleſiæ Cracovienſis diviſio fieret, de conſilio & aſſenſu Legati Apoſtolici, cedendum Regiæ voluntati duxit. Quare obtento aditu, in præſentia Legati Pontificii & Procerum Poloniæ, primùm de facinoribus, quæ illi ab Oratoribus Regiis apud ſummum Pontificem objiciebantur, multa diſſerens, dum ſe immunem ab illis demonſtraſſet, imò, ſi quiſpiam aliquid ſibi opponere vellet, cauſæ hujus non alium Judicem, quam ipſum Caſimirum licet infenſum, & Legatum Apoſtolicum, ac Joannem Archiepiſcopum Gneſnenſem eligere aſſerebat. Et cùm virum innoxium nemo accuſaret, emollitum Regem exiſtimans, flexis genibûs admitti ſe ad poſſeſſionem ſedis Cracovienſis poſtulabat, ſubinferens, plures ante ſe Epiſcopos Polonis Eccleſiis (quas de nomine recenſuit) abſq; juris Regii offenſa, ſola Apoſtolica proviſione præfuiſſe. Cæterùm, cùm minime his Caſimirum moveri adverteret, in hunc modum orſus, verba ad Regem fecit: *Quando Rex nec Apoſtolicô moveris ſuffragiô, nec mea humili ſupplicatione placaris, audes inſuper, cum Tuis conſiliariis, excluſionis de ſede mea dedecus, in conſcientiam & animam Tuam aſſumere;*

 Joan-

Joanni quoq; Vladislaviensi Episcopo , sua sede parum contento, meam, ad quam divina & humana vocatione promotus sum, dulcescit occupare; non adversabor amplius potentiæ Tuæ, maloq; Pontificatum Cracoviensem, & si legitimè quæsitum deponere, quam virorum Ecclesiasticorum, qui nihil deliquerunt, afflictionem gerere; sciens justum Deum, unicuiq; nostrûm opus suum repensurum. Statimq; obortis lachrymis, quibus plurimos adstantes in fletum solvit, cessurum se sede sua promisit, procuratoresq; ad renunciandum constituit, duabus conditionibus interpositis: ut omnes sibi solverentur sumptus, & pro statu Pontificis, quem linquere nisi cum fatis poterat, de mensa Cracoviensis Episcopatus, fieret provisio. *Dlugoss: L. XIII.*

Ita Vir innocens, qui biennio plurima incommoda cùm suis passus est, sponsæ suæ valedixit. Statim novi Nuncii Romam ire jussi, qui hæc omnia Pio II. retulerunt, & Gruszczynscium Cracoviensi, Joannem verò Lutecum Regni Procancellarium, Vladislaviensi sedi impetrârunt. Jacobus quoq; non tantum Diœcesi Cracoviensi, sed & Poloniâ cessit, ut à Casimiro remotior esset; Romam abiit, à summo Pontifice benignè acceptus, Urbis & Arcis Tiburtinæ Præfectus creatus est. Offerebat eidem prædictus Papa Plocensem Episcopatum, sed hunc Jacobus recusavit, ne impedimentô esset Stiborio ritè electo. Nec vacantem Vladislaviensem, post ascensum Luteci ad Cracoviensem, ambiebat, iram Casimiri veritus. Sed Principem hunc cùm faventiorem sibi intellexisset, rediit in Patriam Vladislaviensis Præsul anno 1464. Roma permittente in ampliorem provisionem, Præpositura Gnesnensi & Cracoviensi reservata, & die 21. Martii 1465. à Clero & populo Diœcesis omni honore susceptus, primum ingressum, singulari in Ecclesiam suam liberalitate insignem fecit; dum eidem varium sacrum apparatum aliquot millibûs æstimatum obtulit.

Communem de adventu tanti Præsulis, totius Diæ-

Diæcesis lætitiam, brevi interturbavit cujusdam Mikyesch, sic dicti, Præfecti, ex Castro Golub in Tractum Dobrzynensem irruptio. Querebatur ille non persoluta sibi & suis à Rege stipendia, hæc ut sibi aut compensaret, aut citius extorqueret, locum Vistulæ imminentem ex arte munit, in specie Plocensibus nociturus, re ipsa autem, Cujaviæ, Mazoviæ omnem oram, item navigia, quæ variis onusta mercibûs Vistulâ defluunt, in suam potestatem, & tributum redacturus. In tam evidenti periculo, Jacobus Proceres Cujaviæ Brestam convocat, pro die 31. Martii: & cùm ea die nihil conclusum esset, denuo Vladislaviam illos invitat. Supervenit pro hac die & Mikyesch cum aliquot suarum partium primoribus, plures dies in tractatibus absumpti: Tandem operâ Jacobi Præsulis, Nicolai Brestensis, & Joannis Junivladislaviensis Palatinorum de Koscielec acceptis centum quinquaginta florenis ab Episcopo, munitione illa cessêre Bohemi, quæ Nicolao Działyński strenuo Equiti in defensionem reddita est. Sic parvo auro, ingens periculum Jacobus dispulit, quod nisi avertisset, Ecclesia Vladislaviensis, suis ornamentis, Canonici verò bonis, die Sancto Parasceves, qui huic facinori condictus erat, spoliati, & in vinculis abacti fuissent. (b) Ea tranquillitate & securitate Cujaviensibus facta, accinxit se adornandæ Ecclesiæ & bonis illius reficiendis. Templi sacrarium, ædem sacram S. Stanislai E. M. ex fundamentis erexit. Sacerdoti ad Cathedram, qui necessitati conscientiarum præsto esset, dotem assignavit: Arces Olboriensem & Raciążnensem restauravit.

Tanta Præsulis hujus merita compensans, & antiquas injurias oblitterans Casimirus, post obitum Gruszczynscii ad Cracoviensem sedem olim æmuli, ad Gnesnensem Metropolim, per suos internuncios, Lucam de Gorka Posnaniensem Palatinum, Joannem de Ry-

(b) Dlugoss: Lib: XIII.

Rytwiany Regni Mareschalcum, Sbigneum de Olesnica Vice Cancellarium Regni, Cracoviensem Scholasticum, Mathiam Mosinski Majoris Poloniæ Præfectum Archicapitulo Gnesnensi Sieninscium insinuabat. Hæc Casimiri humanitas parum Jacobi electioni detulit, qui à Sixto IV. per litteras à Rege postulatus, septemdecem diebûs electionem præcedentibûs, Gnesnensi Ecclesiæ, Vladislaviensi verò Sbigneus Olesnicki Regni Procancellarius erat designatus. Quam 1474. assecutus, variis donis & beneficiis adornare curavit. Sepulchrum D. Adalberti marmoreum inchoavit, ne perficeret, mors interrupit opus, expensas tamen ad illud consummandum, ultima voluntate reliquit. Annis septem rexit Ecclesiam Metropolitanam, Præsul ab omni ambitione alienus, sæpe dicere solitus: *Qui me felicior esse cupit, ad supremos ne properet gradus.* Obiit plenus meritorum annô 1480. in sacello à se erecto & dotato Gnesnæ sepultus.

XLI.

SBIGNEUS OLESNICKI

De Stemmate Dębno Vide p. 97.

EX Gnesnensi Scholastico, Regni Pro Cancellarius, ac Vladislaviensis, post ascensum Jacobi Sieninscii, Antistes, Præsul omnibus charus, Patriæ amans, Fidei vindex strenuus. In Ejus diœcesi Hussita quidam, Crucigerorum confisus patrocinio, varios disseminabat errores. In ipsis primordiis malo, ne latius serperet, occurrens Sbigneus, hominem, prius bene mulctatum, exesse jussit. In rebus gerendis prudentia & dexteritas Sbignei, probata & perspecta erat Casimiro, quare e Regno abiturus curæ Ejus Prussiam commisit, & post fata Jacobi Primatem esse voluit. Continuo hoste affligebatur Polonia, promovendo bello deerat ærarium, ut haberentur impensæ, Synodum convocavit, in qua

qua è bonis Ecclesiasticis subsidium provisum est.

Obierat ultimum diem magno totius Regni dolore Rex Casimirus annô 1492. ad vacantem Poloniæ thronum cum magna Procerum parte, promovebat ArchiPræsul Sigismundum Ejus Filium. Interea Fridericus, Cracoviensis Episcopus Joannem Albertum nominavit. Hæc divisio Ordinum ne Patriæ noceret, Joannem Albertum Sbigneus in Regem unxit.

Unieioviæ (oppidum est Archiepiscopi) instituit sacerdotum Collegium, Skiernieviciis de solido muro exstruxit Ecclesiam, sepulchrum D. Adalberti Gnesnæ à Prædecessore inchoatum perfecit. Exuit mortalitatem 1493. Gnesnæ sepultus cum hac inscriptione: *Sbigneo de Olesnica, Archiepiscopo, Primatiq; Gnesnensi, summo Consiliario & Antistiti, magnitudine præstanti, Parenti Patriæ.*

XLII.

FRIDERICUS PRINCEPS REGIUS

FIlius Casimiri Regis, & Elisabethæ Austriacæ, 27. Aprilis anni 1468. natus, à Joanne Luteco Cracoviensi Præsule 8. Maji salutari unda ablutus, nomen hoc ad multiplices Prothasii Olomucensis Episcopi preces, illum de sacro fonte levantis sortitus est. S. Casimiri, Joannis Alberti, Alexandri, Sigismundi I. Poloniæ, Ladislai Bohemiæ Regum Frater. Caput ad diadema natum Infulis consecravit, ætatis suæ annô vigesimô, post fata Rzeszowscii in Cracoviensem Episcopum electus 1488. ab Uriele Gorka Posnaniensi Episcopo Petricoviæ in Templo PP. Prædicatorum, minoribûs ordinibûs (ab eodem postea palliô Archiepiscopali investitus erat) majoribûs verò, à Paulo, Episcopo Laodicensi, Suffraganeo Cracoviensi initiatus est. Electionem approbavit Roma, ac brevi, purpurâ Romanâ contemptum Regiæ compensavit. Caput D. Stanislai E. M. aureæ thecæ, pretiosis lapidibûs distinctæ inclu-

includi curavit; festum diem S. Luciæ V. M. in Ecclesia Cracoviensi sub ritu duplici, jam verò S. Annæ, in tota urbe solennem ab omnibus celebrari præcepit. Post fata Sbignei ad Primatialem dignitatem evectus, dispensante Alexandro VI. Archidiœcesim & Diœcesim Cracoviensem simul rexit, cleri defensor acerrimus. Alexandrum Fratrem post obitum Joannis Alberti in Regem Poloniæ nominavit, & unxit, ab eodem in Lithvaniam eunte, Gubernator Regni constitutus, omnem Poloniæ curavit integritatem. Multa sibi de tanto Præsule pollicebatur Patria, sed Ejus desideria mors antevertit, 14. Martii 1503. annô ætatis suæ 35. obiit. Ejus laudes Kantski versu sequenti complexus est.

Si genus exquiris nostrum? clarosq; Parentes?
Sangvis ego Regum, Cæsareusq; fui.
Quantus eram, quæris! Cracovia, Gnesna, Galerus,
Cesserunt puero tradita pæne mihi.
Talis eram, qualem esse genus, tantiq; volebant.
Me tituli, juvenem Parca severa rapit.

XLIII.

ANDREAS I. BORYSZEWSKI

Poraita *Vide p. 27.*

ADhuc Præpositus Lanciciensis, & Cracoviensis Canonicus egit Legatum cum Stanislao Wątrobka Palatino Belzensi ad Regem Hungariæ Ladislaum, ex qua Legatione redux, primùm Premisliensis Episcopus, brevi Leopoliensis ArchiPræsul, utramq; Diœcesim rexit. Post fata Joannis Alberti, ad Alexandrum Lithvaniæ Ducem à statibus Poloniæ expeditus, eidem nomine Ordinum Regnum detulit. Comitiis Petricoviensibus præfuit in absentia Regis & Primatis. Bona Archiepiscopatûs tam hostilitate, quam iniqua successorum Strzeleccii, Antecessoris sui, usurpatione vastata resarcivit. Post mortem Friderici, ad Gnesnensem promotus sedem, Sigismundum I. nominavit, Eiq; insignia Regia solenni apparatu contulit.

Brevi tam Scythia, Moschovia, quàm Prussia, contra Poloniam arma movit; ad ferendas Patriæ suppetias, Andreas Lanciciæ celebravit Synodum, in qua communi omnium consensu, subsidium è bonis Ecclesiasticis decisum est. Obiit Lovicii 1510. Gnesnæ in sua Cathedra sepultus. Vir apprime doctus, & Regum favoribûs enutritus. Ante fata socium laboris Præsulei & successorem probante Roma adscivit Joannem Łaski.

XLIV.

JOANNES VIII ŁASKI

De Stemmate Argo.

INdoles Viri ad maxima idonea, in agendo prudentia & dexteritas perspecta erat pluribus, Andreæ Boryszewski nota optime. Quare, ut Joannem magis utilem Patriæ & Ecclesiæ redderet, Posnaniensem adhuc Præpositum & Regni Cancellarium, Primatialis dignitatis successorem esse voluit: quam post Andreæ fata, pleno jure assecutus, probavit se dignum tanto munere. In rebus gerendis, magnô illi erat adminiculô, tum lingvarum notitia, quam, Palæstinam & Regna alia visitans quæsiverat, tum Experientia, in aulis Regum Casimiri, Alberti Alexandri, & Sigismundi, ac doctrina non postrema, cujus specimen reliquit in libris à se editis. Primus statuta Poloniæ Regum sub titulo: *Commune privilegium Poloniæ Regni Constitutionum* collegit, & typis imprimi curavit.

Ad Concilium Lateranense cum Stanislao Ostrorog Castellano Calissiensi, Sigismundi I. Legatus, orationem, quàm ad Pontificem & Patres congregatos habuit,

buit, in lucem edidit. In hoc Concilio, Maximiliani I. Cæsaris Oratores, agebant pro Crucigeris; intendebant illi, ut Ordini Prussiam Sigismundus redderet; ad ejusq; restitutionem Concilii authoritate adigeretur. Łascius jura Poloniæ ad Prussiam, antiqua Prussorum cum Polonis acta in medium adduxit, suâq; facundiâ, & rationibûs rei æquitatem tam solide demonstravit, ut Patres, & ipse Pontifex convicti, unanimi consensu, indignantibûs Germanis, ea in causa perpetuum silentium indixerint.

In eadem universalis Ecclesiæ Synodo, pro se & suis successoribus, munus Legati Nati, cum omnibus privilegiis, Cantuariensi in Anglia Archiepiscopo, communibus, obtinuit de quo extat bulla Pontificia in Constitutionibus Synodalibus Ejusdem Łaski (c) Insuper apud eundem Papam, plurima beneficia Ecclesiis Poloniæ impetravit. Nobilem juventutem, ut excitatam ad Ecclesiasticas dignitates redderet, decori Patriæ, & Ecclesiæ idoneam, à Leone X. in eodem Concilio privilegium impetravit, de non recipiendis ad Ecclesias Cathedrales plebeiis, ultra quatuor Doctores in jure vel Theologia (d)

Ex hoc Orbis theatro redux, post expeditas adhuc nonnullas legationes, totum se impendit bono Archidiæcesis. Lutheri secta non ita pridem exorta in Poloniam irrepserat, ne diffusa obesset fidei, obviavit religiosus Præsul, eamq; suis decretis exesse jussit. Lovicium Urbem suam, ut ab omni scelere immunem faceret, Judæos locô movit, & ne redire auderent, gravibûs pænis inhibuit. Synodum celebravit, ejus sancita ut sacro Sancte ab omnibus servarentur, omni studiô providit. Diem sacrum Immaculate Conceptæ Virgini, suæ Diæcesi celebrem indixit. Super vitam & miracula Casimiri Principis Poloniæ, primus a Sede Aposto-

(c) adducit illam & Olszowski in opusculo de Archiepiscopatu Gnesnensi C. II. (d) Idem ibidem.

postolica delegatus, multum contribuit, ut hic Princeps Regius Sanctorum fastis adscriptus fuerit. Łasci (bona ejus Paterna) Collegiatam Ecclesiam erexit, effigie MARIÆ Virginis ex lapide albo polito, à Leone X. adamata, a Clemente VII. sibi donata, magnîs gratiîs, & populi concursu hucusq; celebri, Sanctorum Exuviis, sacrô apparatu, aliisq; beneficiîs abunde dotavit. Imago hæc vix vindicata à flammis 1747. quæ totam ædem sacram cum suis decoribus, in cineres converterunt. Gnesnæ in campo Sancto (sic locus dictus est) Templum S. Stanislai E. M. exstruxit, ejusq; pavimentum terrâ Sanctâ Hierosolimîs conductâ stravit, ac septem Sacerdotes cum dote assignata instituit, qui Officium de Beata canerent. Skiernieviciis quoq; Ecclesiam S. Adalberti, alteram S. Rochi cum xenodochio è fundamentis erexit, & proventibûs ditavit. Sacerdotibus ætate fractis, qui quandoq; nullo animabus sunt obsequio, ut statui suo congruam vitam agerent, Uniejoviæ nosocomium, & impensas providit. Znini Patribus Ordinis Prædicatorum, ut essent populo majori commodô, auxit reditus. Episcopum Vilnensem Ejusq; diæcesim visitavit. Curabat legem ut Episcopi suæ Metropolis Suffraganei ab Archiepiscopo Gnesnensi consecrarentur, hæc quòd lata non fuerit, mors Joannis fuit in causa. Bona Archiepiscopatûs in meliorem disposuit ordinem, & quæ Antecessores sui oppignoraverant, proprio ære redemit. Ad ejus tempora Archi Præsules in conductis Cracoviæ ædibus subsistere cogebantur, pro eorum commodo, & fundum quæsivit, & sumptus pro erigendo palatio reliquit. Arcem quoq; Lovicienſem magna parte ampliorem fecit. Civitati vero ipsi, ut quolibet mense urbis Præsidem eligeret, injunxit. Beneficiorum sibi præstitorum memor, quia viventibus grati animi pensum exhibere non valuit, defunctis curavit. Andreæ Boryszovio, Prædecessori, Creslao de Kurozwęk Episcopo Vladislavi-

slaviensi, Joanni de Radlica Episcopo Cracoviensi honores sepulchri erexit, adornavit. Post decessum Familiæ Łaskorum, in hos Radlicios, jus Patronatûs ad Præposituram Infulatam Łascensem, Paræciam Sadkoviensem, Primiceriatum Gnesnensem, & Decanatum Calissiensem devolutum esse scribit. *Okolski.*

Sigismundus I. in dies debilior Filium Sigismundum Augustum, stante vita sua optabat Regem Poloniæ. Obstabat ætas invalida Augusti, aliæq; difficultates frangendæ erant; omnes prudenti dexteritate superavit Łaski & Augustum annos decem natum, cum Patris solatio, Procerum Poloniæ lætitia, 1530. solitis cerimoniis Regem instituit. (e) Hac publica totius Regni sorte non diu frui permissum Joanni, annô enim sequente 1531, ætatis suæ 75. laborum pro Patria & Ecclesia præmium nactus est. Gnesnæ in Ecclesia S. Stanislai sepultus. Præsul eruditorum æstimator, quos ut plures haberet Polonia, propriis sumptibûs, in Italia, Germania, & variis Academiis fovit. Legum & libertatis Ecclesiasticæ defensor, pauperum Pater, & singularis tutor. Bzovius in suis annalibus affirmat Antistitem hunc: *fuisse non vulgari quadam Sanctitate vitæ, & in ruenda fide Catholica singulari constantia præditum.* Erasmus Rotterodamus vocat eum: *Pietatis Antistitem, eruditionis eximium Patronum, omnis pudicitiæ exemplar in comparabile, Episcopum pacis & tranquillitatis publicæ studiosissimum.*

Martinus Luterus virus suum, quod pridem in Ecclesiam, & Sanctorum cultum fovebat, temporibus Antistitis hujus evomuit. Annis duobûs scelestum hominis ausum præcedentibûs, videlicet 1515. annô, ut suo tempore exemplum haberetur; colendos cælites Deus miraculose docuit. In bonis Gidle (pagus est Palatinatûs Siradiensis, in Districtu Radomscensi, Archidiæcesi Gnesnensi) Joannes Czeczek, in colaj loci reperit

(e) *Guagninus.*

perit effigiem Deiparæ lapideam; quantitate quidem parvam, sed gratiis & beneficiis maximam. Agriculturam ille excolebat; vice quadam, dum consveto operi accinctus sulcum altiùs effingeret, armenta in terram procidua, de labore remiserunt. Casui factum primò attribuit, sed dum verberibûs nihil proficeret, rem insolitam admiratus, advertit statuam Beatissimæ luce circum fusam: procidit & ille, à jumentis superos venerari instructus; domumq; effigiem detulit, ac Consorti in arca conservendam commisit. Jacebat diutius his in tenebris sacrum pignus. Domus illa, quod continebat, ut colere studuisset; patrum familias socordiam cæcitate, reliquam familiam intenso capitis dolore punivit Deus. Circumferebant pœnam, illius tamen causam minime observabant. Mulier, quæ sic afflictis erat ab obsequio, cistam illam varia supellectili repletam aperit, & ecce in ejus vertice neglectam effigiem lumine cinctam invenit. Redit tremula, hominum incusans ignaviam, & præpropere loci domino, & Petro Wodka Ecclesiæ Rectori rei novitatem significat. Accurrunt illico, miraculum conclamant, congregant populum, statuam ad Parochiale templum deferunt. Czeczek cum uxore & tota familia primus sanitatem recipit; plurimi alii varia beneficia sortiuntur. Sed quia agrum illum velut hæreditatem suam MARIA elegerat, ad locum inventionis sese miraculose transtulit. Divinam & Deiparæ voluntatem adorârunt singuli: Bonorum hæres columnam erigit, brevi sacellum, quod postea munificentiâ variorum, in Templum sat amplum conversum, curæ Patrum Ordinis Prædicatorum commissum est. *Prusczcz in mari gratiarum p. 23.*

XLV.

MATHIAS I. DRZEWICKI

De Familia Vitelliorum, bove pro stemmate insigni.

JAcobi Castellani Zarnoviensis Filius. Primicerius San-

Sandomirienſis, Scalmirienſis Præpoſitus, ex Regni Secretario, Joannis Alberti Alexandri, & Sigiſmundi I. Pro Cancellarius. Poſt fata Joannis Alberti, curam theſauri Regii commiſſam habuit, & cùm hic magna ex parte aliquorum avaritiâ diminutus eſſet, eam jacturam Fridericus Cardinalis Mathiæ attribuit. Multa proinde paſſus, ſed ubi innocentia illius patuit, in præmium injuriæ Epiſcopatum Premiſlienſem, & Signaturam majorem obtinuit: quam, factus Vladislavienſis Epiſcopus, ut commodius ſuæ diæceſi attenderet, dimiſit. Ire tamen debuit Viennam comes Sigiſmundi I. ubi apud exteros, & totam aulam Cæſaream, gloriam nominis, & ſui deſiderium reliquit.

Redux Vladislaviæ, Eccleſiam S. Stanislai (cùm à Sieninſcio ædificata, collapſa eſſet) erexit & conſecravit. Locum conſiliorum pro majori commodo Canonicorum de ſolido muro exſtruxit. Cathedralem Eccleſiam, variô ad rem Divinam elegantiq; apparatu, ſcipionibûs argenteis, Cruce deaurata, libris ad uſum chori adornavit. Bona Siedlec menſæ Epiſcopalis, pro bonis Wola Skarbkowa cum Stanislao Waliſzewski, additis Eidem 155. marcis commutavit. Ex molendinis Olborienſibus 14. marcas deſignavit in anniverſarium ſingulis ſemeſtribûs pro anima ſua celebrandum. In Vladislavienſem diæceſim, præcipue Gedanum irrepſerat hæreſis Lutherana, qua temeritate proceſſerit; qua prudentia & zelô Præſulis hujus repreſſa fuerit? *Vide Lib: II.*

Ut Religio, ſic Patria experta eſt Viri ſolertiam in variis obſequiis, legationibus, quas cum gentis honore obivit: in Lithvaniam Sigiſmundo I. regnum deferens, ad Venetas in negotio belli Turcici, in Hungariam, quam in fidelitate Ludovico Regi adhuc juveni confirmavit. In Comitiis, quibus Sigiſmundus Auguſtus, adhuc vivente Sigiſmundo Patre, Rex Poloniæ adoratus eſt, inter Mathiam, & Lataſcium Epiſcopum Poſna-

nienſem, de primatu & jure coronandorum Regum in abſentia Primatis ortam quæſtionem, apud Joannem Łaski Archi Præſulem pro Epiſcopis Vladislavienſibus evicit, quam prærogativam, Archiepiſcopus Gneſnenſis factus, firmiorem fecit. *Vide p. 21.* Poſt fata Łaſcii Regni Primas, brevi tempore multa egit. Præſul nullis curis pro Eccleſia & Patria fractus, obiit anno 1535. Gneſnæ ſepultus.

XLVI.

ANDREAS II. KRZYCKI

De Stemmate Kotſicz Vide p. 65.

Vir doctrinæ, in ſcribendo elegantiæ, in dicendo facundiæ rarioris. Poetarum, & artis metricæ ipſe laureatus Poeta, Patronus & tutor. Doluit quidem factus Præſul, quod in fervida juventa, opera ſua verſibûs concinnata, minùs honeſtìs luſibûs repleverit, delicta juventutis emendare in votis habuit, ſed curîs Patriæ præventus, intentioni ſatisfacere non valuit. Hanc Andreæ in ſcribendo, & dicendo facilitatem perſpectam habuit Petrus Tomicki Regni Cancellarius Ejus avunculus, quare negotium difficilius expediendum Krzyccio commendabat, qui votis Avunculi abunde reſpondit. Nondum Præſul ſcripſit epiſtolam in negotio Pruthenico, in illa defendit factum Sigiſmundi, quòd Principem Brandeburgum, Ducem Pruſſiæ creaverit. Sed laboris ſui hanc a Łubienſcio tulit cenſuram, quòd hanc Epiſtolam politicè magis, quàm Catholicè confecerit. Suìs lucubrationibûs pugnavit & contra Lutherum. Eraſmus Rotterodamus hæc Ejus opera dum perlegiſſet, aſſeruit Andream, *ſtrenuum Eccleſiæ propugnatorem, pedeſtri ſimul & equeſtri pugna cum Lutheranorum exercitu confligentem.* Idem Eraſmus non poſtremus ſcientiarum arbiter, in ſua Epiſtola ſcribit

H Krzyc-

Krzyccio: *Tu sic pangis carmen, quasi nihil aliud agas, sic texis orationem liberam, ut quanquam ad historicam sublimitatem assurgat, nihil etiam obstrepet Poeticæ licentiæ. Quo verò magis deploras, Te à litteris, quibus natus esse videris, ad Episcopi munus Reipublicæq; functionis pertractum, hoc nos impensius gratulamur orbi Christiano, cui nulli magis sunt utiles, quam qui reluctantes, à Philosophiæ dulcissimis studiis, ad Patriæ consulendum evocantur.*

Hac sua eruditione adeò inclaruit, ut omnium oculos in Polonia, in se converterit, à Sigismundo I. Cancellarius Reginæ Barbaræ factus, brevi ad Premisliensem Cathedram evectus est, egit Legatum ad Ludovicum Hungariæ Regem. Ab eo officio reducem ad Plocensem sedem idem Rex promovit, & Olomucium ad componendam pacem, inter Ferdinandum Cæsarem, & Joannem Hungariæ Regem electum, expedivit. Legatio hæc, quod optatum non habuerit exitum, Hungarorum Ferdinando ad hærentes, & à Joanne alienati animi effecerunt. Totum se postea impendit curis Pastoralibus. Plocensem Cathedralem Ecclesiam fulminis ictu dirutam, restauravit. Pułtusci palatium Episcopale comptius reddidit. Post obitum Drzewiccii ad Gnesnensem Metropolim translatus, annô regiminis secundô, ætatis suæ 54. à Christo nato 1537. Vir omnibus naturæ dotibûs ornatus mortalitatem exuit.

XLVII.

JOANNES IX. LATALSKI

De Stemmate Prawdzic.

Leo dimidius muro eminet, ore aperto, pedibûs sphæram tenens.

EX Regni Secretario, Gnesnensi, Cracoviensi, Posnaniensi, Lanciciensi Præposito, Reginæ Elisabethæ Cancellario, Posnaniensis Episcopus, pro primatu Ecclesiæ suæ, cum Drzewiccio Vladislaviensi Episcopo egit multis apud Łascium Archi Præsulem, sed hic (ut supra dictum est) Vladislaviensibus Præsulibus adjudicatus est. Post decem annorum spatium, ex Posnaniensi sede, promovente Regina Bona, ad Cracoviensem translatus, in solenni Cathedræ suæ ingressu, dum ad Sepulchrum S. Stanislai E. M. rem divinam ageret, imago S. Martyris repente se argenteis occlusit tabulis, & cereum accensum in caput novi Antistitis dejecit. Casum hunc Andreas Krzycki descripsit metrô, cui in Primatiali dignitate successit exactis duobûs annis in regimine Ecclesiæ Cracoviensis. Regni Primas Synodum celebravit. Olboriæ pro Concionatore proventum auxit. Posnaniæ, Ejus Urbis Præsul, congressui Legatorum ab exteris præfuit. Obiit 1540. ætatis suæ 77. à Krzyccio in Eppigrammatibus acutiorî calamô circumscriptus, ex ea ratione, quod illi hic Joannes ad Posnaniensem Ecclesiam prælatus esset. Ab aliis scribitur fuisse, sinceritatis, amoris in Patriam, clementiæ in subditos non postremæ: pluriumq; ædificiorum, igne vel vetustate collapsorum Restaurator.

XLVIII.

PETRUS IV. GAMRAT.

De Stemmate Sulima *Vide p. 91.*

HIc juxta nonnullos, & natalibûs, & ingeniô rudis cæterum, Familia Gamratorum adhuc sub Ladislao Jagellone eminuit honoribûs; privilegium enim Jedlinense de libertatibus Incolarum utriusq; status, annô 1433. inter præsentes subscripsit, Stanislaus Gamrat, Castellanus Połanecensis (a) & juxta Bielski, Joannes Gamrat de stemmate Sulima 1434. egit Legatum in Hungariam. Eam itaq; de hoc Petro opinionem inquit *Niesiecki*: fecit, præceps honorum incrementum, & exiguæ, imo fere nullæ in primordiis facultates.

(a) Volumen Legum I.

Rector primùm Ecclesiæ Viscovicensis, postea Decanus Varsaviensis, & Archidiaconus Pultuscensis, Episcopus tandem Camenecensis, ac brevi Premisliensis, ambiebat minus Regni Sigillum; & plenus spei gratiarum actorias paraverat, cum quibus ad Senatum veniens, dum Supremus Regni Mareschalcus, more usitato, Præfectos Sigilli denuncians, plura de dignitate hujus officii prolocutus, ad Gamratum conversus, diceret: *Tibi itaq; Præsul Reverendissime* consultò substitisset, Petrus, existimans ad se sermonem dispositum, assurrexit. Sed à Rege hac ironia contento sedere jussus, non absq; illius pudore, Joannes Choienski, Plocensis Episcopus, Pro Cancellarius Regni promulgatus est.

Factum hoc, lucro fuit Gamrato; nam brevi ad Plocensem, ex hac ad Cracoviensem, ac tandem ad Gnesnensem promotus Infulam, dispensante Paulo III id Bona Regina Poloniæ desiderante, Gnesnensem, & Cracoviensem diæceses, simul moderabatur. Humanitate, & profusa liberalitate, aulæ favores, & populi affectus meruit. Elisabetham Austriacam Sigismundo Augusto desponsavit. Cracoviæ Civis quædam ex primoribus, postposita fide Catholica, eo devenit dementiæ, ut Judaicam sectam professa fuerit. Evocata ad judicium Petri, & criminis convicta, ad forum civile pro pænis remissa, à quo ad publicum rogum damnata est. Synodum Provincialem celebravit, in qua, plurima pro bono Ecclesiarum statuit. Tulit legem, ne Suffraganei Cracovienses ex Religiosis Ordinibus, ut fieri hactenus solebat, sed ex Capitulo legerentur. Concionatores verò Ecclesiæ Cathedralis etiam Religiosi essent, primusq; constitutus est, Leonardus Sacræ Theologiæ Doctor, ad S. Hedvigem Præpositus, Canonicus Regularis Sacri Sepulchri Hierosolimitani, annô 1544. post modum Camenecensis Præsul.

In egenos munificentiæ singularis, die qualibet, centum de sua penu providebat; cùm verò iter ageret, bini currus euntem præibant aut sequebantur, lineis tunicis, hyeme verò, pellinis vestibûs onusti, ut ad manum haberet, quo nuditatem, & laceros egentium artus tegeret. Nec hanc beneficentiam impediebat exhaustum ærarium, contractis quandoq; debitis, pio mori satisfacere curavit. Eam bene merendi de pauperibus promptitudinem, abunde Deus compensare visus est; cùm vitam Petrus pie religioseq; confecerit.

Ad morum emendationem profuit illi sequens visio. In vigilia cujusdam festi, ad Ecclesiam iturus, dum solus in conclavi subsisteret, apparuit illi nobilis Kurosii, pridem vitâ functi persona (familiariter secum mutuorum conscii facinorum diu vixerant) exhorruit ad visam hominis redivivi speciem Episcopus; cùmq; ille, ut metu deposito secum ageret, hortaretur; collectô animô mortuum affatur Petrus: *Etiam ne tu vivis? &* *in quo tandem loco es?* respondet Kurosius: *Vivo longèq; feliciori, quam vos, fruor aurâ.* Tum Gamratus: *Tu ne quem flagitiis gravatum, & libidine, eu proh dolor conscio, fœtentem è vita excessisse constat, inter eos sis? qui felices sunt, haud credo. Credes*, inquit ille, *paulisper modò sustine: Juvenis admodum, cum essem in Germania, incidi in quendam, qui sacrilego ore Beatissimam incessebat, ego flagitii impatiens, homini impegi colaphum; nec mora; ille injuriam vindicans, armata manu duellum mihi offert: stringo ensem, congredimur, ac minimè læsus prosterno sacrilegum. Et ne homicidii ac duelli crimine succumberem, fugâ mihi consului. Ea res in ulteriori vita vix aliquando in mentem venerat. Sed cùm suprema adesset hora, animaq; è corpore exitura, inferni hostibûs insultantibûs, conflictaretur; egoq; certus exitii nullam spem haberem; Mater misericordiæ Angelicis comitata choris misero adfuit. Diffugiunt illico inferni belluæ horrendum frementes, prædam sibi eripi. Illa verò oculos clementiæ in me flexit, dicens:* Miles ne meus, defensor honoris mei peribit? *tum versa ad Fili-*

Filium: En uterus, in quo conceptus es, en ubera, quæ suxisti: hunc ego militem, quibus Te olim stringebam brachiis, complexum tantisper tenebo. Tu sangvinem quem ex meis traxisti visceribus, stilla; ego efficiam, ut ex ejus oculis fluant lachrymæ, delendis sceleribus sufficientes. *Dixit: ego solutus in lachrymas, summo Dei amore exardesco, atq; ita supremis meis, cælorum Regina assistente, exspiro: anima è corpore egressa, Angelorum ministeriô fertur in cælum. Unde ad te nunc missus venio, ut te mortis admoneam. Dudum jam merueras, ut exemplô Udonis, morte ferali mulctareris; tuæ in egenos eleemosynæ, ne in te sæviret Divina justitia, prohibuerunt. Scito autem, sexto ab hinc mense te moriturum; dispice, quid te agere oporteat?* His dictis disparuit. (b) Gamratus vero solutus in lachrymas, reliquos dies pœnitentiæ & piis operibus dedit, ac sexto mense 1545. Sacramentis munitus obiit Cracoviæ, in sacello, quod ei Regina Bona exstruxerat, sepultus.

Extremum diem cùm sibi imminere cerneret, duo dolia vini pretiosi quibusdam Religiosis disposuit. Illi, quos ad executionem ultimæ voluntatis suæ designaverat, hanc ejus intentionem immutârunt elargiti deterius, dispositum suis usibus reservarunt. Vice quadam, dum liberiùs indulgent potui, fores pulsari audiunt, sed cùm neminem reperiunt, casui adscribunt pulsum, & ad calices reversi, hilaritatem explent. Major iterum pulsus excitatur, perterritosq; reddit, sed sibi restituti, metum poculis solantur. Tertio deniq; post longe majorem sonitum, defunctus Gamrat, Præsuleo vestitu indutus, pastorali innixus pedo, cubiculum ingreditur, mensamq; percutiens: *Tenemini mihi* inquit *ad restitutionem; testamentum transtulistis, & distulistis.* Visio hæc non tantum ad correptionem fuit, sed etiam mortis causa exstitit; omnes enim intra annum extin-

(b) *Naramowski L. II. p. 132. Niesiecki Tom II. Lubienski in monitis de gerendo Episcopatu fol: 267.*

extincti, docuerunt, quàm sacrosanctè intentiones morientium observari debeant. *Kowalicki Conc: II. de morte Christi.*

XLIX.

NICOLAUS III. DZIERZGOWSKI.

De Stemmate Jastrzembiec Vide p. 79.

POmsciborii Castellani Ciechanoviensis Filius, Joannis Palatini Mazoviæ Frater, per gradus ad Primatialem pervenit dignitatem. Camenecensis primùm, brevi Chelmensis, postea Vladislaviensis Episcopus, septem Præsbyteris à Gorka in Ecclesia Cathedrali institutis, octavum superaddidit, dotemq; pro omnibus auxit, eo fine, ut essent commodo & obsequio Ecclesiæ. Byczyni paræciam erexit, eiq; præturæ Raciąznensis proventus attribuit.

Archiepiscopus Gnesnensis, Sigismundo Augusto, quòd Barbaram Radziviliam inscio senatu, in sociam vitæ duxisset, Regios tamen honores eidem deferendos promoveret, obstitit; magno motu ea res agitabatur (vide L. IV.) nihilominus de consensu omnium, eidem Barbaræ Regium diadema solito ritu detulit: post cujus fata, Catharinam Austriacam Ejusdem Regis sponsam, in Reginam coronavit: ad augendam hujus actûs pompam, venit Cracoviam trecentis equitibûs comitatus. Synodum Provincialem Petricoviæ 1551. celebravit, in qua legibus ad omnem disciplinam Clerum circumscripsit. Professionem Fidei Catholicæ à Cardinale Hosio concinnatam *Vide L. III.* promulgari, eamq: in omnibus paræciis observari præcepit. Stanislao Orzechovio, Joanni Łascio, Christophoro Ostrorogo, Stanislao Lutomirscio, quòd majorum suorum fide abjecta, novis sectis adhæserint, diem dixit. Sed nihil effecit, ob potentiam hæresis, quam plurimi Principum & Procerum secuti, ipsis Præsulibus erant metui

metui & periculo. Quare malum hoc ſerpebat latius. Gneſnenſe Capitulum officii Nicolaum admonuit, ut Metropolitana authoritate, alios Præſules, præcipuè Regem induceret ad ponendum obicem graſſanti hæreſi. Egit, quæ potuit ArchiPræſul. In ſua Archidiœceſi, Archidiaconum, Cuſtodem, Suffraganeum Gneſnenſes, & Præpoſitum Łaſcenſem conſtituit, qui in hæreticos inquirerent, & animadverterent. Lanciciæ, Uniejoviæ, Curzeloviæ Concionatores, qui errores refellerent, deſignavit de ſuo ærario proviſos. Vir in egenos munificus, cunctis affabilis, unde de illo. Janicius: *largus eras inopi, nec certè injurius ulli.* Libertatis Eccleſiaſticæ defenſor. Hoſius plus in eo eruditionis requirebat. Łubienski ambitum illi appinxit ex eo, quod cum Fratre titulum Comitis uſurpaverit, hic tamen poſt fata ejus evanuit. Obiit 1559. Gneſnæ ſepulchrum nactus.

Vixit ejus temporibus Joannes Saballius Ravâ oriundus, Boguſzyciis (bona ſunt ad præſens Collegii Ravenſis S. J.) ad Eccleſiam Vicarius, ibidem 1552. ante aram Beatiſſimæ ſepultus. Hic eam à Deo gratiam meruit, ut energumeni locum & ſepulchrum illius prætergredi non potuerint, ſed ſubſiſtebant vociferantes: *hic jacet noſter in vita ſua hoſtis.* Id ubi Mathias Łubienski reſciviſſet; Mauritium ab Andrejovia, & Thomam utriuſq; Juris Doctores, Gneſnenſes Canonicos miſit, ut ſuper hoc, & corpore Joannis inquirerent. Magnô ſtudiô conquiſitum, tandem ante prædictam aram repertum eſt in veſtitu Sacerdotali, manuum & pedum mira albedine commendatum, ſolaq; extremitate naſi corruptum, ac denuo ante idem altare reverentius conditum eſt. *Pruſzcz p. 177.*

L.

L.

JOANNES X PRZERĘBSKI
De Gente Nowinarum.

Joannis, Caſtellani Siradienſis Filius, poſt Samuelem Macieiowski Cracovienſis Epiſcopatûs adminiſtrator, Gneſnenſis, Vilnenſis Decanus, ad S. Florianum Cracoviæ Præpoſitus, Regni Pro Cancellarius, Chełmenſibus primum Infulis admotus, pro Catharina Auſtriaca, futura Auguſti Sponſa, Viennam expeditus, omnia ad vota Regis ſui peregit, Eandemq; in Poloniam, ſolenni deduxit apparatu. Fama erat in Polonia, quòd eo fine in Germaniam iverit, ut nomine Auguſti improlis, Regnum Poloniæ Domui Auſtriacæ deferret; ſed validis argumentis, rumorem hunc ſiniſtrum fuiſſe, Joannes demonſtravit.

Brevi Regni Primas, ad Ferdinandum Cæſarem, in negotiis Hiſpanicis, Hungaricis, Pruſſiæ & Sileſiæ; tum Romam ad Sedem Apoſtolicam, ivit Legatus, ubiq; comite actionum ſuarum gloria, & gentis honore. Fidei vindex acerrimus, Nicolaum Oleſnicki hæreſi infectum, quòd inſuper Eccleſiam Catholicam in uſus ſectæ ſuæ convertiſſet, ad jus evocavit, ſed hæreſis tumultu excito, manum Præſulis continuit, & ne promeritas ſceleri pœnas decerneret, auſu ſuo impedivit. Benedictum Herbeſtum, (qui poſtea Societati JESU nomen dedit) ex Academia Cracovienſi, Skiernievicios, ad inſtituendam in fide & doctrinis juventutem evocavit. Meditabatur ſcholas & Collegium Patrum S. J. ſed has ejus intentiones mors prævenit. Ad aulam ſuam fovebat Theologos, & in jure verſatos, eorum ubivis Patronus. A Cardinale Hoſio hoc meruit elogium. *Vir magno ingenio, prudentia, doctrina, vitæ honeſtate, ſacrarumq; litterarum peritia inſignis.* Obiit 1562. ſepultus Lovicii.

LI.

LI.

JACOBUS IV. UCHANSKI,

De Stemmate Radwan

Vexillum est tripartitum in formam Ecclesiastici, de super cruce insignitum.

HUjus indolem optimam, & ad summa idoneam advertens Andreas Tęczynski Castellanus Cracoviensis, ut utilem suo tempore, Poloniæ faceret, ad excolendum propriis juvit sumptibûs. Eundem postea insinuavit Sebastiano Braniccio Regni Referendario, ut ab illo jus Patrium disceret. Studiô suô votis Tęczynscii abunde respondit, in eumq; virum evasit, ut Regina Bona Secretarium Regni,& in negotiis juridiciis suum Procuratorem fecerit. Decanus postea Plocensis, Archidiaconus Varsaviensis, Referendarius Regni fieri meruit. Ad Chełmenses promotus Infulas, bienniô adlaborabat, ut Romam ad sui confirmationem inclinaret, eam adeptus, nonnulla privilegia suæ Ecclesiæ impetravit. Ex hac, promovente Rege, ad Vladislaviensem Sedem translatum, Paulus IV. censuris Ecclesiasticis impediebat, ne illius possessionem adiret, quod hæreticis favere videretur. Interea Sigismundo Augusto promotionem suam irritam nolente, Jacobus Vladislaviensem Ecclesiam moderari cæpit, quam probante Pio IV. Pauli Successore, pacifice rexit. Pułtusci ad Collegiatam, plures tenuioris sortis juvenes, in variis artibus erudiendos, propriis fovit impensis.

Post fata Przerębscii Archiepiscopus Gnesnensis, segnior fuit in comprimendis hæreticis, admonebatur ea de re tum à Capitulo Gnesnensi,tum à Romano Pontifice. Impediebat præterea, ne decreta Concilii Tridentini susciperentur in Polonia; verùm hæc in Synodo, cui Lipomanus, Nuncius Apostolicus, ob ægram valetudinem Jacobi præerat, vim suam obtinuerunt. Postea tamen, sibi restitutus, & Romanæ Sedi per Paulum Uchanski Palatinum Bełzensem reconciliatus, hujus Oécumenici Concilii exstitit singularis defensor. Legem tulit, qua libros hæreticos confixit, & illorum lectionem immaturæ præsertim ætati, severè inhibuit. Ipse ut exemplô esset aliis, cùm publica permittebant negotia, articulos fidei è suggestu explanabat populo, & ad tuendam Majorum religionem hortabatur.

Zelus pro fide Præsulis hujus maximè enituit sub tempus interregni post fata Sigismundi Augusti. Illa tota deplorabat Polonia, & ut dignum nancisceretur Principem, DEO Regnorum moderatori supplicabat. Templa orantibus erant plena, eleemosynis onustæ aræ, nec satis habuit interna devotione componi, luctum etiam externum, communem & singularem esse voluit. Sertum deposuère Virgines, matronæ atrum induère colorem, conticuère musici concentus, denıq; tota Poloniæ facies lugubris, cunctis dolorem, universis non fictam loquentibûs pietatem. Interea spem felicium eventuum interturbavit audax facinus sequentium falsa dogmata.

Polonia à primordiis susceptæ religionis Catholicæ, ejusdem semper fuit tenacissima, & sanctæ Romanæ Sedis studiosa. Schismata,per electos Antipapas, in Ecclesia sæpius exorta, varia sequebantur Regna, ab illis Regnum Poloniæ semper fuit alienum. Arii sequaces legum fulmine protrivit, & suis finibûs exesse jussset. Hussitarum secta in Bohemia potens, ad inficiendam Majorem Poloniam nonnullos expediverat, sed hos Andreas de Bnin Episcopus Posnaniensis intercepit, & flammis exussit. *Vide L. II. C. II.* Quærebat illa, ut esset fortior, patrocinium apud Ladislaum Jagellonem; istud ne obtineret, obstitit Sbigneus Episcopus Cracoviensis. Verùm impia Lutheri hæresis, latè per Germaniam & plura Regna dispersa, variis Principibûs, eam strenue etiam armis, ut ferocior esset, defende-

fendentibûs, hoc quoq; Regnum ubi invafit, plurimorum Magnatum pervertit animos. Et quia mala nufquam funt folitaria, non tantum ifta, fed & aliæ plures publicô colebantur exercitiô. Rex Sigifmundus Auguftus admonebatur fæpius, ut ignem in fcintilla opprimeret: ad hoc dignum Principe Catholico facinus inducebatur à Præfulibus. Sed hic Princeps femper craftinus (c) tandem decrevit: in materia religionis Epifcoporum effe fententiam. Edicta plurium Regum contra hærefes vide apud Załuski Tom II.

Poft Ejus obitum confulturi integritati Patriæ, ubi convenerunt Regni Proceres; hæretici, quorum tam in ordine Equeftri, quam Senatorio pars magna fuerat, fibi à judicio Præfulum metuentes, *Confederationem* antiquis legibûs nufquam habitam, pro pace, cum diffidentibus in Religione, mutuo fovenda, condiderunt. Ad eam rei novitatem cum Epifcopis, & aliis Senatoribus Catholicis exhorruit Jacobus Regni Primas, & ne vim legis obtineret, obftitit fortiter furenti hærefi. Ejus inftinctu, ut melius negotium religionis promoveretur, conclamarunt Catholici: *fufficere fibi leges antiquas, quare nullas confœderationes fe velle noffe nec ejus loci, & temporis effe, nova ftatuta condere præfertim cum interregni fpatiô, folam electionem Regis agi oporteret, ad fummum, rem differri debere donec novus Rex eligeretur.* In hac communi omnium lite, quidam ex primis Acatholicus, ut obicem in Archiepifcopo amoveret, illum non tantum fautorem promulgavit, fed etiam ipfius fectæ Lutheranæ infimulavit. (d) Nunquam hæretica temeritas majus vulnus famæ innocui Antiftitis infligere poterat: ad illud ingemuit, & ut fua innocentia omnibus palam fieret, profeffionem fidei à Pio IV. præfcriptam in facie congregatæ Poloniæ fecit. Hoc Præfulis factô exacerbata adverfariorum malevolentia, ut rebus fuis, & prætenfis fancitis majus robur adderet, Jacobum, ut-
pote

(c) ita vocatur à pluribus. (d) Niefiecki Tom IV.

pote Primatem, Primum Principem & Interregem ad fubfcribendam *confœderationem* minis adigebat. Tantus Hæreticorum aufus totum commovit cœtum. Epifcopi, & plures alii quefti funt contra iniquum fœderatorum ambitum. Archi Præful vim dignitati Primatiali, omnium libertati inferri, advertens, permiffurum potius, dextram fibi præfcindi, quàm ad calamum extendere, exclamavit. Statimq; finitis Comitiis, coram actis Caftrenfibus Sochaczovienfibus, Ferrâ tertiâ poft Dominicam Quinquagefimæ 1573. cum Adamo Konarski Pofnanienfi, Petro Myfzkowski Plocenfi, Alberto Starozrebski Chełmenfi, Epifcopis, eo nomine folennem *manifeftationem* (e) fecit. *Załuski Tom: II.*

Hujus dicti Archi Præfulei, licet acutô calamô eundem circumfcripferit, meminit Gratianus in vita Commendoni Cardinalis, Legati Pontificii ad comitia electionis poft fata figifmundi Augufti. In his Comitiis, (quæ 7. Aprilis 1573. ad Varfaviam inchoata funt) Orator Marchionis Brandeburgici Ducis Pruffiæ, & locum in Senatu, & votum in electione futuri Regis exigebat, afferens: *Civem Polonum effe titulô Pruffiæ quam jure fiduciario teneret.* Sed de confenfu Ordinum tulit refponfum: *fufficere Duci beneficium Reipublicæ, cui tanti feudi munus contulerat, locum verò in Senatu, & fuffragium in eligendo Rege non poffe concedi* Fredro. Habetur & in *Volum Leg: I. p. 485.* ea in re refponfum Sigifmundi I. negativum.

Electio hæc magno exterorum Legatorum concurfu, celebrata eft; præter Joannem Francifcum Commendonum, aderant Maximiliani II. Imperatoris, Galliæ, Hifpaniæ, Speciæ, Mofchoviæ, Turciæ, aliorumq; Principum Germaniæ Nuncii. Imperatoris Orator, Erneftum Archiducem Auftriæ, ad vacantem promovebat thronum. Sed quia Germaniæ Legati, & famo-
fum

(e) Terminus eft juris Poloni, quo de injuria quispiam queritur.

sum libellum in Henricum Valesium, Andegavensium Ducem, Varsaviæ sparserant, & divulgata morte Augusti, inconsultis Regni Statibûs, fines Poloniæ ingressi, Equitum ædes, & Magnatum oberrabant aulas, pro Ernesto solicitantes Polonorum animos, eo progressu rebus sui Principis plurimum nocuere. Orta deinde quæstio, inter Oratores Galliæ & Hispaniæ, de ingressu in Senatum, verùm Ordines primùm Gallos admisére: quo motus Hispanus, ne posteriori loco dici videretur, maluit non auditus regredi in Hispaniam. Ad eam urbanitatem Gallis deferendam, contribuit Nunciorum ejus gentis modestia; hi enim cùm appropinquarent Poloniæ, proximioribus arcium Gubernatoribus per litteras testati sunt, non se pedem illaturos in solum Polonum, nisi de Ordinum sententia, & Senatûs facultate. Hi pro Henrico Valesio Andegavensium Duce perorárunt. Sveci suum Regem, Moschi Magnum Ducem insinuabant Polonorum suffragiis. Turcarum Imperator, quod omnibus admirationi fuit, legationem plenam amicitiæ miserat, & per suum Nuncium omnia fausta Reipublicæ precabatur. Fuere & è Polonis plurimi, qui Indigenam proponebant, hac intentione, vel se, vel suos amicos promoturi; sed hos ab ambitu Regni, Joannes Zamoyski, rerum in ante, & postea gestarum prudentiâ orbi notus, facilè submovit; petiit ille: *Quoniam externorum Principum Oratoribûs absentibûs, ad dicendas de Rege sententias decurreretur, sic æquum esse, abessent cives, qui peterent Regnum, ne gratia major, aut offensa pararetur libertate sentientium.* Cùm verò nemo ob verecundiam, aut invidiæ metum, palam ambire regnum auderet, de incola Rege deliberatio sponte quievit. *Fredro.*

Tandem computatîs Palatinatuum suffragiîs, apparuit, Henricum Valesium, electum fuisse. Quare ab Archiepiscopo Jacobo in Regem Poloniæ nominatus est. Decretum electionis compositum, subscriptumq; à Senatu. Ivêre postea Plociam deputati ad Legatos Henrici Varsaviam evocandos, qui ubi supervenerunt, eo quo par erat, apparatu, in Senatum admissi sunt. Tum Archiepiscopus, Primas, & Princeps Senatûs, Nuncios allocutus: *Quandoquidem placuit Deo, Henricum Andium, Borboniorum, & Alvernorum Ducem, Polonorum Regem fieri, & nostra vota in eum dirigere, itaq; Regem eum denunciamus. Vos quoq; Oratores ab Eo cum absoluta, & sufficienti potestate missi, ac primario à Carolo IX. Rege Galliæ, Ejus Fratre, has conditiones utrorumq; nomine acceptabitis, & juramentum in fidem deponetis.* Lecti postea pactorum conventorum articuli, quos Oratores Galli, nomine suorum Principum, jurejurandô confirmarunt. Pro invitando, & deducendo in Poloniam Henrico, Legati ex Senatu, & Equestri Ordine utriusq; gentis designati. Princepsq; Legationis, Adamus Konarski Episcopus Posnaniensis constitutus est. *Vide Lib: II.*

In longum protraxit Polonorum desideria Henricus tandem post superata itinerum incommoda, 1574. die 24. Januarii, fines Majoris Poloniæ attigit, Posnaniæ, à loci Episcopo, & aliis Proceribus, pro Regia Majestate susceptus, ac Cracoviam deductus, die 20. Februarii, à Jacobo Uchanski solenni ritu insignia Regni accepit. Magnam spem fecit omnibus optimi futuri regiminis. Interea anno eodem Carolus IX. Rex Galliæ ultimum diem obiit. Catharina de Mediceis Mater, citissimis Nunciis rem Henrico detulit, utq; adventum suum in Galliam maturaret, obligavit, & nisi citius adesset, posse aliquem reperiri à parte Principis Condei, qui absentiâ Henrici in suum commodum uteretur. Affecit ea res non leviter Principis animum; in Galliam trahebat suorum amor, & hæreditaria purpura, in Polonia retinebat Reipublicæ cura, par regni & incolarum amor. Communicat itaq; consilium cum Gallorum fidelissimo. Noverat optime suum abitum è Polo-

Polonia, nonnisi de sententia Ordinum permittendum fore. Sed rerum circumstantiæ celeriorem requirebant, illum itaq; determinavit; ne tamen præcipitanter agere videretur, de suorum Gallorum mente, aliquos Senatorum convocat: illis tristem Caroli Fratris obitum nunciat, quamve necessario, Gallia suo adventu opus haberet, exponit. Condolent Senatores morti Regiæ, non dissvadent, imo optant ut in Gallias proficiscatur, seq; comites futuri itineris pollicentur, modò de eo negotio Ordines certiores redderet.

Hoc responsum præviderat Henricus, sed ne suspicioni locum faceret, illi acquiescere videbatur: interea omnem moram exosus, suas intentiones exequi parat. Ad vesperam declinante luce (erat dies 18 Junii mensis ab inchoato regimine quinti) convocat eosdem triumviros Gallos, quos à secretis habuit, alteri equos imperat, reliquis duobus litteras: imò aliquas ipse manu sua conscripsit, Latii apprime gnarus sermonis, quibûs consignatis relictis, profunda nocte, arce egressus, itineri se accinxit paucis Gallorum comitantibûs.

Illucescente die, ubi innotuit Henricum clam abiisse, præsentes Cracoviæ Proceres, tam inopinato casu perterriti, quid causæ esset, inscii, in diversos sensus abierunt. Abitus hic vel maxime affecit Custodes Regiæ, præsertim Joannem Tęczynski Archicamerarium, cui pro ratione officii & familiaritate cubiculi Regii incumbebat suspiciosa quæquæ Ordinibus denunciare. Verebatur ille, ne in conscientiam facti traheretur. Conscensis igitur equis, cum comite itineris Nicolao Zebrzydovio, Regem sequi proponit, & assecutus ad fines Poloniæ ultra Osviecimum, ambo pedibus Henrici advoluti postulabant, ut iter desereret, liberaret metu Rempublicam, parceret Regiæ famæ & Polonæ, hôc Regis factô apud exteros traducendæ: parabant plura, sed lachrymæ intercipiebant vocem. Ad ea Henricus breviter respondit: *Non dubitare vos velim de mea in Rempublicam cura, multa Patriæ vestræ, & vobis debeo, qui me sponte tanti populi Regem creastis. Credere vos velim, quo ad mihi vita & sangvis superest, vestræ humanitatis semper sum non immemor; cæterum ut ab hoc itinere desistam, nec ego facere, nec vos svadere potestis. Si apud vos mansero, Regnum Galliæ, hæreditas mea, aliorum paratur manibus. Discedo, brevi rediturus, nec ideo me Regem amisistis; imò multum valebit, ad majestatem Reipublicæ vestræ, & ad potentiam, si obtentô Regnô Patriô, integros Regni Poloniæ proventus, ejusdem necessitatibus dicavero.* Sequebantur euntem cum lachrymis adhuc reditum svadentes, sed cùm frustra dari verba cernerent, Regiam manum ad osculum, valedicturi, postulârunt. Ad ea Henricus collachrymans: *En vobis* inquit dextram extendens *pignus mei erga vestram Patriam animi* post hæc annulum porrexit Tęczynscio subnectens: *Tene signum & testimonium fidei Regiæ, brevi me visuri estis, eas verò litteras, quas, Cracoviæ in conclavi reperietis, quæso, curate reddi, quibus scriptas intelligetis, reliquam mentem fidelis meus Dansen vobis aperiet.* Fredro.

Reversi Cracoviam, præsentibus illa in urbe Senatoribus rationem, & ulteriorem Henrici mentem retulerunt. Allatæ litteræ, & quibus inscriptæ erant, redditæ, unam dedit Rex ad Senatum, in qua rationem sui facti, necessitates Regni hæreditarii exponebat, breviq; pacatis rebus Galliæ, spondebat reditum. Hæ & reliquæ ad alios particulariter datæ, lectæ publicè, advocatus Dansen protulit libellum Regium, in quo eadem omnia continebantur.

In tam perimenti & tanto rei momento, quia præpropere Ordines congregari non poterant, ut authoritas Reipublicæ esset in integro, conclusum est, emissis tabellariis, Regis abitum, & causas illius etiam vicinis Principibus evulgare, præsertim Maximiliano Impe- I rato-

ratori, per cujus ditiones Henrico transeundum erat, ne, si apud eum falso rem accusasset fama, & à fato Caroli Regis Galliæ in Polonos causam discessûs Regii transtulisset, Rempublicam argueret alicujus injuriæ. Vix aliquam gentem advertes suorum Regum adeò studiosam; Principes eligunt Poloni, & quia in eorum electione, innata & prudenti decertant libertate, quos semel liberè suo præficiunt imperio, illos semper reverenti prosequuntur amore.

De excessu Henrici ex Polonia vix rumor sparsus est, plurimos Procerum excivit Cracoviam. Initum consilium, conventûs generalis, dies 10. Septembris, locus, Varsavia, designatus. In particularibus Palatinatuum congressibus, qui generalibus Comitiis præmitti solent, magno motu contra Senatum res acta, omnisq; culpa in eundem rejecta. Post multas tandem querelas, conclusum, ut Legati irent in Galliam, nomine Reipublicæ, hoc modo faciliùs Regem reddituri Poloniæ, cùm viderit populi sibi subjecti constantiam, amorem; visendos cupiet, quos sic avidos sui conspectûs experitur. Disceptatum postea de publica securitate: constitutum in Palatinatibus Tribunal *Kaptur* dictum *vide p. 3.* lecti Judices, qui causas injuriarum cognoscerent, vitæ, necisq; potestatem habituri; ultimò, firmum limitibus Regni provisum præsidium.

Ut pactum erat, 10. Septembris conventus Varsaviæ celebratus est, lectæ denuo litteræ Henrici Regis, auditæ variorum legationes: Maximiliani Imperatoris, Ducis Prussiæ, & Turcarum. Selimus deferebat, frustra expectari reditum Henrici, quare eligendum Regem, qui esset amicus Portæ Othomanicæ, svadebat: proponebat Joannem Kostka, Virum ingeniô, ætate, & sapientiâ maturum: qui si displiceret, insinuabat Regem Svecorum, aut Stephanum Bathori Transylvaniæ Ducem, amicum suum, Principem integritate, prudentiaq; singulari ornatum, pacem & amicitiam colere scientem, in gubernatione regni sapientem ac strenuum. Quorum quempiam si elegerint, appromittebat Selimus, se modis omnibûs auxiliô, quibusvis Regni necessitatibus adfuturum, & contra quosvis hostes opem laturum.

Non poterat non esse grata Polonis ejusmodi Legatio, per quam tanta promittebatur securitas à tam prævalido Christiani nominis hoste. Reddebantur etiam certi de nulla spe redituri aliquando Henrici; cæterum ne præcipitarent, & præsertim, quòd ad illum conventum plurimi, & ipse Primas Regni desideraretur; placuit Varsaviâ 18. Septembris expedire Legatos in Galliam cum litteris, quibus Henrico supplicabant, ut maturaret suum adventum, plurima Regno imminere pericula, Rempublicam turbari; quæ omnia, Rege præsente, & avertenda & componenda fore.

Huic Varsaviensi congressui non aderant (ut dictum) plures Procerum Poloniæ, potissimum Ordines Magni Ducatûs Lithvaniæ, quod non per Primatem Regni (ut consvetudinis est) sed authoritate paucorum Provincialium conventuum coactus esset: Damnosum quidem mansit posteritati exemplum, Primatialem prærogativam à nonnullis usurpari. Archi Præsul ipse hanc dignitatis injuriam ferebat ægrè, & de illa querebatur sæpius. (a) Sed periculum Reipublicæ prævaluit, cùm Uchanscius in prævidendis malis à multis segnior censeretur.

Non tantùm in Polonia contra ejusmodi Comitia querelæ circumferebantur, sed & ipse Henricus per Joannem Jarzyna aulicum suum Lugduno 14. Septembris ad Primatem datis litteris, eadem damnabat. Interea Hieronymus Rozrażewski & Thomas Drohojewski, qui missi fuerant, è Gallia tulêre responsum, quo significabat Henricus suam benevolentiam erga Regnum

(a) *Fredro.*

gnum Poloniæ, seq; in Poloniam velle redire, modò rebus Gallicis tutum provideret. Hæc vario affectu à Polonis accepta, interim sua egère, diem 12. Maji 1575 quàm condixerant, præstolantes, alii in spe visuri Henricum, alii de novi Principis electione anxii: omnes tamen pro die statuta Stęzyciam (oppidum est Palatinatûs Sandomiriensis, sui Districtûs caput ad Vistulam situm) confluebant.

Illuxit dies 12. Maji, Ordines coivère in circulum, aut Regem salutaturi aut novum quæsituri. Oblatæ in Collegio Henrici litteræ prodromæ, ut apparuit advenientium Legatorum paucam moram requirentes. Lecta item Ducis Venetiarum epistola omnis officii plena: ejusdem humanitatis ab Amurathe, Turcarum Imperatore, qui Selimo recenter successerat, oblati articuli: auditæ præterea Legationes Ducum Prussiæ, & Curlandiæ, renovabant illi antiqua postulata, ut quasi Cives, locum in Senatu haberent, verùm id utriq; denegatum.

Dum hæ Legationes audirentur; expectabantur Henrici Oratores, sed quia non comparebant, illudi se credentes Poloni, ad electionem novi Regis adjecere animum. Despeseus nomine Henrici in Polonia degens, harum intentionum studia morari conabatur, sed nullo fuit obstaculo. Nihilominus disputatum adhuc inter Ordines, num expectandi essent Legati? expectandos magna pars censuit cum Regni Primate, relictandos... qua accelerandam electionem urgebat fortiter. In his controversiis aliquot dies consumpti. Tandem proclamatum: Henricum Galliarum Regem pro Rege Poloniæ non haberi, & novæ electioni dies 7. Novembris Anni ejusdem designata; nam Ordines confluxerant spe potius videndi Regis, quàm absentem abdicandi.

Trahebatur hujus negotii tempus in terrorem abdicationis, aut celerioris reditûs occasionem. Verùm, cum Henricus moras necteret, fluctuans inter amorem Polo-

Poloniæ retinendæ, & metum amittendæ Galliæ, cui mederi, nisi præsens poterat. Poloni perficiendo operi seriò se accinxère. Neq; Henricus postea vitiavit ea Polonorum studia, seu gentis condonans libertati, seu propriæ authoritati; cùm sponte cedere juri Regni, plus honori duceret, quàm sibi id adimi, quod nullatenus retinere potuit.

Advenit Comitiorum dies, auditi variorum Principum Legati, sequentibûs diebûs consultatum de eligendo Rege. Pars major Senatûs unicum votis quæsivit Imperatorem, ea tamen conditione, ut Ernesto Filio nuberet Anna Princeps, Sigismundi Augusti Soror, cujus tutela erat penes Rempublicam. Reliqui Senatorum, Incolam Regem eligendum censuère. Equestris Ordo, qui pluribûs votis antecellit Senatum, è medio sui Regem eligendum, & nullatenus ab Austria petendum, exclamavit. In ea sensuum diversitate, divisa erat Respublica, plurimis Senatoribûs, & ipso Primate, in Maximilianum inclinatis, Equestri Ordine cum aliis Magistratibus à Germania alienis, & Indigenam exposcentibûs.

In duos potissimum propendebant animi, Joannem Kostka Sandomiriensem, & Andream Tęczynski Belzensem, Palatinos. Ægrè ea accepit Senatus, cùm alii generis splendore, in rebus gerendis dexteritate, si non superiores, certe pares se esse palam profitebantur. Kostka & Tęczynski, qui vocabantur ad solium, modeste tulerunt eas querelas. *Gratias habere se* inquiebant *Equitibus, apud quos eo in pretio virtus sua esset, cæterum nolle ea electione Rempublicam periclitari, tutiùs quæri in extero solo Principem, quàm domi cum tumultu, & invidia eligi.* Fredro.

Tum Archiepiscopus suspicatus Equestrem Ordinem cum nonnullis Senatoribus, ex exteris novum quæsituros Regem, præoccupandos ratus, collatô cum Proceribus suarum partium consiliô, Maximilianum Roma-

Romanorum Imperatorem, in Regem Poloniæ nominavit, publicationem verò electi, in diem craſtinum tranſtulit. Reperti tamen non pauci, qui locô conſiliorum egreſſi, cum querela, tutiùs eſſe, domos ſine Rege abire, quàm in diſcordiis Reipublicæ, paucorum conatu, Principem imponi; ajebant. Sequenti nihilominus luce, ſtudiô ArchiPræſulis Maximilianus voce Mareſchalci denunciatus eſt.

Interim Equites &Purpurati, qui deſeruerant Senatum, quæ per Primatem incautiùs agebantur, minùs curavêre, armîs etiam pro libertate certaturi, ſuam quoq; electionem accelerarunt, & 14. Decembris Annam Principem, Sororem Sigiſmundi Auguſti in Reginam, in Maritum ſimul et Regem, Stephanum Bathoreum Tranſylvaniæ Ducem elegerunt, quem Stanislaus Karnkowski Epiſcopus Vladislavienſis nominavit.

Delatus rumor ad Senatum, Annam Principem in Reginam, Stephanum in maritum & Regem, electos, retraxit à Maximiliano plurimos; demisêre illi de ſuo affectu ad Cæſarem, ad Annæ nomen, fortunam Ejus adorantes; nec melius illi proſpectum fuiſſe à Republica concluſerunt, quàm, dum in Reginam electa eſſet. Equeſtris Ordo ut opus perficeret, indixit armatum Conventum Andrejoviæ pro 18. Januarii anni ſequentis 1576. Placuit inibi congreſſum fieri, quod Principem Palatinatum occupare, & prope Cracoviam, ſedem Regum, convenire, tutum erat. Sed illud vel maxime prævaluit, quod locus eſſet non longe à finibus Hungariæ, unde adventus Stephani ſperabatur, & prope Sileſiam, qua Maximilianus ad Regnum iturus erat, arma huic in terrorem, illi in ſecuritatem oſtendenda erant. Scripſit inſuper pars Stephani ad Maximilianum Cæſarem ſupplex, ne ſuam electionem ab exigua Polonorum parte factam, urgeret, neve Stephanum longe à pluribus conſtitutum impediret; concluſum enim eſſe: armis libertatem & jura Patriæ tueri.

Ad eas litteras acerbiùs repoſuit Imperator, eſſe ſibi in animo, electionem ſui proſequi, nec trhonum ſibi oblatum, alicui ceſſurum; hortatur illos poſtea ad internam tranquillitatem, niſi extrema quæquæ experiri velint.

Hæc Imperatoris Epiſtola, auxit partes Stephani; Archiepiſcopus tamen cum aliquibus ſententiâ moveri non poterat. Pacta Conventa die 8. Februarii 1576. Meggeſæ (civitas eſt Tranſylvaniæ) jam Stephanus jurejurando confirmaverat. (b) Magnus itaq; numerus armatæ Nobilitatis, & Senatorum Andrejoviam confluxit. Ad recipiendum Regem e Tranſylvania venientem, expediti præcipui e Senatu, & Equeſtri Ordine, tum alii, quibus imperatum, Annam Cracoviam ſequi. Supervenit & Stephanus, ſuîs & Polonîs Proceribûs comitatus, ac ſolenni ritu cum Anna Conjuge à Stanislao Karnkovio Vladislavienſi Antiſtite in Regem inauguratus, ſuis Regiîs virtutibûs, & heroica dexteritate, Poloniæ fortunata fecit tempora. Maximilianus etiam anno eodem deceſſit fatis, quare Regni Primas fortunam Stephani adoravit, Eidem plene reconciliatus. Et cùm Gedanenſes imperium Stephani detrectarent viribus ſuis confiſi; felicibûſq; armis Bathorei ad officium reducti eſſent; Jacobus ad eam Regis victoriam non exiguum militiæ robur contribuit; centum armatos pedites ſubmiſit, quibûs copias Regias refecit.

Superatîs tot pro Patria difficultatibûs, ordinandæ Diæceſi dedit operam. PetricoviæSynodum anno 1578 abſolvit, Ejus ſancita typô impreſſit, & ut Romana Sedes confirmaret, ſummo Pontifici ſupplex fuit. Aureum calicem, patenam, pedum Paſtorale, tres annulos ſuæ Eccleſiæ, pluraq; alia donô obtulit. Mortuus Lovicii, ubi palatium de ſolido muro erexerat ac in ejuſdem urbis templo 1581. ſepultus. Ejus elogium in

(b) *Lubienski Geographia.*

descriptione Poloniæ annotavit Sarnicki, ubi eum dicit *Virum expediti ingenii, acerrimumq; prærogativarum Ecclesiasticarum defensorem.*

Illo Gnesnensem Metropolim moderante, Provincia Polona Societatis JESU ab Austriaca, (quæ hactenus una erat) 1575 divisa est: primusq; Provincialis Poloniæ, R. P. Franciscus Sunyerus ab A. R. P. Everardo Mercuriano, Præposito Generali constitutus est.

LII.

STANISLAUS I. KARNKOWSKI
De Stemmate Junosza.

Agnus est coloris albi, in campo rubro, plurimarum Familiarum avitum decus.

JOannis Episcopi Vladislaviensis Nepos, Ejus curâ teneram ætatem in Patria scientiis excoluit, altiorem in Academia Perusina, ubi Doctoris lauream adeptus est. Redux in Patriam, primum Gnesnensis Custos, Scholasticus Lanciciensis, Regni Secretarius, brevi Referendarius, ex ea dignitate ad Vladislaviensem evectus Sedem, regimen ab officiis optimi Pastoris inchoavit. Imprimis hæresi, quæ incuriâ suorum Antecessorum late diffusa, præcipue in Pomerania, altas radices fixerat, extirpandæ, serio incubuit. Plures Ecclesias, quas violentæ sectæ sibi usurpaverant ejectis antiquis possessoribûs, vindicavit, & religione commendatis provìdit Rectoribûs, alias suo decore spoliatas restauravit & dotavit. Libros variis erroribûs repletos (hunc modum semper adinvenit hæresis, ut virus suum latiùs spargat) per urbes & Provincias circumferebant emissarii, ut si loqui auditoribus non possent, saltem mutìs istìs præceptoribûs falsitatem lectoribus porrigerent. Huic malo ut obstitisset Præsul providus, rudimenta fidei Catholicæ & ejus dogmata, patrio sermone imprimi curavit, & non solùm suæ diæcesi, sed & aliis communia fecit. Inventum hoc Stanislai, optatum fructum habuit; plurimi in religione instructi, alii constantes redditi. Anno 1570. in generali Regni conventu plurima moliebantur hæretici, suas intentiones etiam vi promovere parati. Ea est dissidentium in fide indoles, ut legibûs Divinìs postpositìs, humana & civilia jura vilipendant. Karnkovius eo animo furori obstitit, ut inter vindices violatæ religionis primus fuerit judiciô Commendoni Cardinalis. Mores cleri in sua diæcesi depravari adverterat; nec id mirum, Apostolorum Collegium Judam habuit; illos ut corrigeret, Synodum diæcesanam indixit, & quæ irrepserant, vigil Pastor emendare curavit. Georgius Clefeldus Elbingensis, Burgrabius Gedanensis, authoritatem sibi vendicabat in Ecclesias, eam prætensam jurisdictionem, urbe abiturus uxori committebat. Scripsit eidem Karnkovius, hunc ausum temeritatis arguens, & reprobans rationibûs, ac testimoniis Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, variisq; profanis exemplìs. Verba illius sunt: *Atq; ne ignorantiam possis prætexere, licet tu omnem scientiam, te devorasse jactes, sententias quasdam è divinis litteris, & Sanctis Patribus depromptas, tibi mitto: ex quibus cognosces, non Burgimagistris, neq; sutoribus, aut sartoribus, neq; fæminis, curam animarum, & jus ligandi, atq; solvendi sed solis Sacerdotibus convenire.* (c) Pro ea Pastorali cura, Cardinalis Commendonus, datis Tudertô, egit Stanislao gratias, & ut in officio pergeret, eundem hortatus est.

Circumspectus ad omnia Præsul, ut idoneos fidei Catholicæ haberet ministros, Seminarium ad erudiendum clerum instituit, bonìs Witow & Zbląg eidem inscriptis. Canonicos assiduos circa Ecclesiam voluit, ut eos præsentes efficeret, bona Osielsko, Dobra, Czarnowo, Trzebatowo, Siekotowo, Sikołomko, Lipnica, Zale-

(c) *Epist: Vir: Illustr: Lib: III. Epist: 72.*

Zalesie, in Palatinatu Junivladislaviensi, eisdem attribuit. Nec egenis defuit, in illos ubiq; liberalis, præter alia munificentiæ suæ in pauperes documenta, Vladislaviensi nosocomio quavis hebdomada pensionem largiri solitus.

Hanc Pastoralem solicitudinem, illis temporibus, quæ & mores depravati, & insolens hæresis affligebant, ut magis efficacem redderet, exemplô compositæ ad omnem probitatis regulam vitæ, commendatam esse satagebat. Incruentum Missæ sacrificium, præparatione cum lachrymis præmissa, quotidie celebravit. In deliciis habuit, concionari ad populum, aurem præbere confitentibus, rudem plebeculam, & teneram ætatem, Christianæ fidei elementis erudire. Eos esse laborum suorum voluit socios, quos vitæ probitas & doctrina commendabat. Erat illi mensa Episcopalis, statui Senatorio condigna, quam lectio sacra, Theologici vel politici condiebant sermones.

Henricum Valesium salutavit oratione ad omnem culturam composita. Gedanum delegatus à Republica, multa egit, ut exortos tumultus comprimeret. Stephanum Bathoreum cum Anna conjuge coronavit. Qui Antistitis hujus virtutem maximis dignam honoribûs remunerans, post obitum Uchanscii, anno 1582. ad Primatialem evexit dignitatem.

Nec hic defuit suo muneri, Provincialem Synodum convocavit, in qua, ad emendationem temporum illorum plurima sancivit. Ad Synodum Brestianensem Episcoporum ritûs Græci, multum contribuit. Archidiæcesim visitavit. Ecclesiam Camiensem de cocto latere exstruxit, ad illam Archidiaconum constituit, cui & Clero ad eandem manenti, proventus auxit, concessit. Civitati verò plurima privilegia benigne concessit. Gnesnensem Cathedram elegantiore penicillo, & pluribûs donis comptiorem fecit. Karnkoviæ (bona illius hæreditaria) ad perennem nominis memoriam, Ecclesiam de solido muro fundavit. Plurima palatia pro commodo tam Præsulum Vladislaviensium, quam Archiepiscoporum ædificavit. Sigismundo III. anno 1587. die 27. Decembris, & Annæ Austriacæ 1592. die 30. Maji Regia insignia detulit.

Stanislaus Hosius ut in Varmia (loci erat Præsul) hæresi grassanti obicem poneret, Patribus Societatis JESU Collegium condiderat, Ejus exemplum secutus Karnkovius, Calissii (urbs est sui Palatinatus caput) Collegium eidem Societati, Templum (quod anno 1596 die 8. Septembris sub titulo Sanctorum Adalberti & Stanislai Martyrum per Reverendissimum Gniazdoski Suffraganeum Gnesnensem consecrari fecit, ipse ad populum concionatus) Scholas magnifico opere, pro dignitate Primatiali, pro commodo Reipublicæ erexit & dotavit. Contubernium ad erudiendam juventutem Polonam, ad idem Collegium, illi sua debet primordia, cujus patrocinium Gnesnensi Archicapitulo commisit.

Obiit Antistes hic 1603. annos ultra octoginta emensus, Calissii in Templo Patrum Societatis JESU, sepultus, ut à Patribus his, quos in vita adamaverat, nec post mortem divelleretur, illorum beneficus tutor, & contra malevolos Patronus singularis. ArchiCapitulum gratum tanto Præsuli, Calissii, ubi quiescit, monumentum de marmore posuit, ac insuper, pro anima Ejus, Gnesnæ ad sepulchrum S. Adalberti, quolibet mense, rem divinam celebrandam lege sua statuit. Post fata uni ex Canonicis Gnesnensibus apparuit, vultu ad omnem hilaritatem composito, asserens: frui se Sanctorum societate, ad eam tamen, vix se pervenisse: id dum miraretur Canonicus, ejus vitæ testis, subjunxit Præsul: *noveris strictissima esse judicia Divina, nec humanis æqui parari posse.* Niesiecki Tom: II.

De Matre hujus Antistitis rem singularem annotavit Piasecki sub Anno 1603. Scribit ille, nonaginta annos viventi dentes de novo crevisse.

LIII.

LIII.

JOANNES XI. TARNOWSKI

De Stemmate Rolicz.

Rosa est, triplici dente aratri circumducta.

PEtri Vexilliferi Lanciciensis Filius, ut indolem ad summa natam melius expoliret, ad exteras nationes excurrit, Inde redux ad aulam Karnkovii divertit, quo promovente Secretarius & Referendarius Regni factus, dexteritatis in agendo non unum dedit specimen. Et quia Adalbertus Baranowski Regni Pro Cancellarius, ad Episcopatum Plocensem transferebatur, munusq; sigillum, ut liberius suæ Diæcesi attenderet, in manus Regias deponebat, Sigismundus eam dignitatem Tarnovio contulit. Per annos aliquot munus hoc gloriose obivit, quo etiam tempore, cum eodem Rege post fata Joannis, Regis Sveciæ Paternum Regnum vindicante, ivit in Sveciam, magnoq; huic Principi in rebus Sveticis fuit adminiculo. Hæc Ejus merita remunerans Sigismundus, post obitum Koscieleccii, Joannem ad Posnaniensem Sedem evexit. Cathedralis hujus diæcesis Ecclesia, magna ex parte erat instauranda, in eum finem, Episcopatus istius proventum convertit, & ut comptior esset, penicillô adornavit. Palatium Episcopale in meliorem redegit formam. Meditabatur plura, sed annô tertiô post obitum Rozrażevii, ad regimen Vladislaviensis Cathedræ translatus, brevem moram beneficiorum magnitudine compensavit. Vladislaviæ ad Ecclesiam sacellum erexit, æreâ texit laminâ, dotem assignavit Sacerdotibus, qui officium de Beata Virgine cum sacro votivo canerent, illiq; ut adessent Canonici, disposuit: ipsi vero Ecclesiæ præter sacrum apparatum, aureum calicem obtulit.

Interea Stanislaus Karnkowski ultimum diem obiit. Sigismundus, ut tanto Primati æque dignum substitue-

stitueret, hunc Tarnovium Clementi VIII. insinuavit. Facile Romanum annutum obtinuit Joannes, cujus merita huic Pontifici, & aliis erant perspecta. Adoravit Primatem Archidiæcesis, tanto læta Præsule, sed communis hæc lætitia in luctum abiit; dum Tarnovius quinto, à cœpto regimine, mense, præesse & vivere desiit anno 1604. *Vide Niesiecki Tom IV.* Ex ejus ultima voluntate ad Loviciensem Ecclesiam magnifico opere sacellum marmoribus adornatum, ære tectum, ejusq; munificentiâ dotatum. Statuit præterea, ut illius Præpositus, locum inter Lovicienses Canonicos haberet, & Patre, aut Matre Tarnovia genitus esset, ad eamq; Præposituram villam Wola Tarnowska in Palatinatu Lanciciensi sitam applicuit.

Brevem in Archiepiscopatu Gnesnensi vitam Tarnovii, & mala secutura post ejus fata prædixit Mathias Pstrokonski: cujus sensum in Monitis de gerendo Episcopatu fol: 251. adducit Łubienski Episcopus Plocensis. *Tarnovium, vix dum Archiepiscopum Gnesnensem renunciatum & ejus dignitatis possessionem adeptum, fatali ictum morbô, in complexu meo è vita cessurum. Mortem ejus vel ipsis inimicis, ne dicam amicis, acerbâ fore video, livor iste, qui nunc vivum arrodit, quiescet post fata. Virtus ejus tunc maximè desiderabitur, cùm turbatis in Patria nostra rebûs, non seditio modò, sed bellum civile excitabitur.*

LIV.

BERNARDUS MACIEIOWSKI

Vitulò pro Stemmate insignis.

BErnardi, Castellani Lublinensis, Tremboyliensis Præfecti & Elisabethæ Kamieniecka Filius, Samuelis Episcopi Cracoviensis Nepos. Juventutem in aula Ferdinandi & Maximiliani Cæsarum, indolem ad omnia aptam expolivit in castris. Henrico Valesio erat in amoribus; Vexillifer Regni propemodum adolescens

lescens, in expeditione Moschovitica, ultra ætatem, fortitudine, & rei bellicæ experientiâ eminuit. Hanc illius virtutem Stephanus Rex Boleslaviensi Præfecturâ compensare satagebat, sed Bernardus favori renunciavit, rerum fluxarum pertæsus, & sanctiorem togam indutus, Romam perrexit; ubi in celeberrimo urbis illius scientiarum collegio, superioribus studiis finitis, Sacris Ordinibus initiatus est. Plurium Cardinalium merebatur affectus; Hosius de illo Romæ degente suum testimonium posteritati transcripsit; *singulari pietate, morumq; suavitate, Majorum suorum manes sic expressit, ut non possim illum non vehementer amare.*

Redux in Poloniam, Cracoviensis Canonicus, Varsaviensis Decanus, promoventibus Karnkoviô Gnesnensi, Solikoviô Leopoliensi, Archiepiscopis, post fata Victorini Wierzbicki, Luceoriensis Præsul consecratus est. Cathedralem Ecclesiam brevi ruituram, ne ultimum subiret discrimen, impedivit magnis sumptibus, & reparatam Ecclesiastico apparatu ditavit, Vicariis, qui præsto essent populi obsequiis, constitutis & dote provisis. Ad suum officium ut alacriores facere, propriô præibat exemplô, Eucharistiam ad ægros deferentibus assistens, & quos virium debilitas vitæ termino faciebat vicinos, eos ut felicem attingerent, in viam æternitatis disponebat. Accidit: Villanus quidam, de bonis Zamniec, Sacerdotem invitaturus ad infirmum, Luceoriam supervenit, & quia nullum reperit, ipsum Episcopum invitavit. Gessit morem postulato Pastor optimus, ad ægrum perrexit, simplici illius hominis vectus curru. Redux, ubinam moraretur, quærentibus: fuisse se in nundinis, in quibus multa se lucrifecisse, respondit. Et morbi, & fames illas oras afflixerant: in ea publica calamitate, penum & ærarium egentibus aperuit Præsul munificus. Vice quadam, cum ad manum non haberet, quo egestati cujusdam mulieris defunctæ subveniret, partem catenæ de collo pendentis, in sepulturam illius elargitus est.

Sigismundus III. qui Stephano successerat, Patre Joanne Sveciæ Rege, Catharina Sigismundi Augusti Sorore 1566. die 20. Junii genitus, proximè à sua inauguratione, Bernardum Romam expediverat, ut suo nomine obedientiam Supremæ Sedi redderet. Grata fuit ea legatiò Pontifici; spes enim erat, quia Regnum Sveciæ, quod jure successionis ad Sigismundum devolvebatur, operâ suâ hic Princeps (Gustavus Vaza illud Lutheranum fecerat) jurisdictioni Romanæ Ecclesiæ, denuo subditum effecturus esset. Ibi Gregorio XIV. imaginem D. Hyacinthi obtulit pro decernendis Ejus sacris honoribus supplex, quam ubi Pontifex recepisset, detecto capite, & flexis coram effigie genibus, hoc elogium Hyacintho dedit: *Vere Sancti hominis facies est, Deus hanc concedat gratiam, ut hujus Beati viri honoribus serviamus.* (*d*) Ad sepulchrum S. Stanislai Kostka, olim Viennæ sui condiscipuli, argenteam lampadem justi ponderis & pretii appendit. Redux accinxit se cum Benedicto Herbesto, jam Societatis JESU Religioso, visitandæ & ordinandæ diœcesi, qua juxta Canones disposita, ivit ad Brestianensem Synodum 1594. Episcoporum ritûs Græci, eiq; nomine Clementis VIII. præfuit, unionem cum Ecclesia Romana promovens, effecitq; ut nonnulli Præsulum ritûs hujus obedientiam summo Pontifici præstiterint. Promovebat eundem Sigismundus III. ad Vilnenses Infulas, sed Lithvani fortiter obsistebant nominationi Regiæ suis fulti legibus, quarum beneficiô hujus Ducatus dignitas quævis indigenis debebatur. Nec movebantur recenti Radzivilii ad Cracoviensem Sedem in Regno ascensu, asserebant se legibus, non exemplis regi. Annis aliquot ea res tractata. Tandem Lithvanis cedente Rege, ad Vilnensem Ecclesiam Benedictus Woyna, ad Cracoviensem verò, post fata Radzivilii, Maciejovius promotus est. Illum & Clemens VIII. inter Purpuratos Patres emi-

(*d*) *Frydrychowicz.*

eminere voluit, ac proxime ante sua fata 1604. Cardinalem S. R. E. sub titulo S. Joannis ante portam Latinam promulgavit, ac per Fabianum Konopaccium, Posnaniensem Decanum, Gnesnensem, Varmiensem, Culmensem Canonicum, Breve & insignia dignitatis hujus misit, quæ à Claudio Rangonio, Nuntio in Polonia Apostolico solitis cerimoniis accepit. Brevi post obitum Tarnovii Archiepiscopus Gnesnensis, consentiente Paulo V. utramq; diæcesim rexit. Proventus omnes, qui vacante sede Gnesnensi, collecti fuerant, donavit fabricæ Metropolitanæ Ecclesiæ, quam insuper plurimis, tam in argento, quàm aliis monilibus adornavit.

A Paulo V. ad benedicendum matrimonium, inter Sigismundum III. & Constantiam Austriacam Legatus a latere designatus, Neo sponsos Cracoviæ conjunxit sacro fœdere. Et quia necdum habuit Romanas litteras, nominationem sui in Archiepiscopum Gnesnensem confirmantes, Constantia à Petro Tylicki, VladislaviensiEpiscopo inReginam coronata est. Duas hebdomadas tenuit eaNuptiarũ festivitas&dignitasBernardi, Legati à latere. Ultima die, Rex instinctuRangonii, umbellam Bernardi in Ecclesia deponi mandavit. Maciejovius facti inscius, Templum ingressus, ubi id advertit, Cracoviâ ad palatium Episcopale, Promnik dictum, abiit, eo Regis progressu, læsam in se Romanam authoritatem conquerens. Inopinatus hic Cracoviâ abitus Bernardi, non leviter perculit Sigismundum. Regiis ejusmodi nuptiis, cum Constantia, defunctæ Annæ germana sorore, offendebatur Polonia, erant & alia, quæ mentes Polonorum Regi infensas in diversas partes pertrahebant. Rex tantum Virum, ut erat Maciejovius, rebus suis opportunum, ne amitteret, Petrum Skarga, suum à sacris exedris præconem, Prominikum expedivit. Excusavit ille Sigismundi factum, favores Regios exposuit, & feliciter Cardinalem Regi benevolum reddidit.

Brevi pars magna Polonorum DuceZebrzydovio Palatino Cracoviensi, contra Sigismundum conscripsit arma. Fuit ea multorum opinio: Cardinalem factô Sigismundi læsum, partibus *Rokossianorum* (a) adhæsisse. Ægre tulit Bernardus hanc nomini suo appingi labem. Quare, qui privatæ injuriæ publicum bonum præferebat, multô studiô adnitebatur, ut animos Regi offensos ad saniora reduceret. Et quia id efficere non potuit, eorum consilia, tanquam perniciosa Patriæ, Poloniæ Ordinibus aperuit: quo facto, sinistrum de se aliquorum judicium sustulit.

In plures diæceses, multa corrigenda irrepserant, quare Petricoviæ Provincialem Synodum instituit, in qua statuta Concilii Tridentini, sacrosanctè observari præcepit, & alia pro bono Ecclesiarum decrevit. Extat ejus Pastoralis epistola, quam nunquam satis laudatam Starowolski asserit. Cracoviæ Seminarium Clericorum à Radzivilio inchoatum perfecit, ejusq; proventus auxit. Statuam argenteam D. Bernardi, justæ magnitudinis, Cracoviensi Ecclesiæ donavit. Societatem JESU, quam à teneris Viennæ adamavit, non satis habuit favore & affectu prosequi, beneficiis ditatam voluit. Lublini (urbs est Palatinatûs Lublinensis, à Tribunali agitari solito commendata) locũ eidem providit, Collegium erexit, bonis suis hæreditariis Chodel in illius dotem inscriptis.

Ad prædictum oppidum extat collis, beneficiis Lauretanæ Virginis, & concursu populi excellus. Bernardus hic, adhuc Regni Vexillifer, in more, quem sanctè retinuit, habebat, ut intempesta nocte, de lecto consurgens, Divinæ supplex fieret Majestati, Matriq; Sacerrimæ. Evenit autẽ sæpius, ut in aula, quæ tunc sita fuit e regione Templi Chodeliensis stagnum versus, ab Illustrissimis suis Parentibus ædificati, è fenestra di-

(a) *terminus est inPolon a usitatus, seditionem denotans. Vit: Præs: Tom: I.*

ctum collem aspiceret, in quo nunc visitur ædes Lauretanæ Virginis, semperq; admirabili luce coruscantem adverteret: Quare sacris initiatus, quoties Chodlum venerat, toties de nocte consurgens, paucis stipatus, ad eum collem recurrebat, quem & ipse, & sui comites, sæpius insolito lumine splendentem notârunt, & singulari erga Deiparam affectu afficiebantur, cui etiam Bernardus suam ad sacrum Ordinem vocationem deberi palam profitebatur. Hinc induxerat in animum, sacellum inibi dedicare cultui Mariano, sed negotiis Reipublicæ præpeditus, colossum duntaxat erexit ampliorem, in perenne beneficentiæ Virgineæ monumentum. Inscriptis vero Societati JESU bonis, eidem ulterioris Mariani honoris promovendi, commisit negotium. Quare suarum esse partium rata Societas, anno 1616. Divinissimæ Matri Lauretanæ sacram excitavit domum; quò in suis ærumnis & periculis, certatim populus concurrere, vota litare, ac ceu ad tutissimum præsidium confugere cæpit. Et sic locum, quem supplicibûs, pro se, suisq; negotiis, precibûs, sacravit populus, eundem exauditis deprecationibûs, præstitis gratiis, miraculis patratis, fecit MARIA thaumaturgum. Ejusdem Collegii Ecclesiæ, Crucem argenteam & dentem S. Joannis Baptistæ, quem à Clarevallensi Abbate, illud visitans cænobium, donô acceperat, in pignus sui erga Societatem amoris, obtulit. Corpus præterea Adalberti adolescentis, à Judæis crudeliter interfecti *vide L. III.* introduxit, quod hucusq; in sacello hujus Collegii domestico asservatur.

Divo Bernardo, Patrono suo devotus, in honorem illius Cracoviâ, Cænobium Mogilnense, seu Claræ Tumbæ, milliari dissitum, pedes visitabat sæpius; Sancto Tutelari obligationis pensum persolvens. Vice quadam rusticana fæmina, nulli, nisi Archiepiscopo secreta conscientiæ manifestare voluit, præbuit aures confitenti modestus & affabilis Præsul: hæc finita exomo-

xomologesi, obtulit Antistiti villanum panem, suscepit donum Bernardus, suæq, mensæ apponi jussit, asserens optimè sibi sapere panem Pastoralis laboris. Annô & tribûs mensibûs, in Archiepiscopatu Gnesnensi, in Episcopatu Cracoviensi annis sex, Luceoriensi annis quindecem, vitæ verò suæ sexaginta novem expletis, annô Christi 1608, Præsul sæculis dignus, obiit Cracoviæ, in sacello Maciejoviano, sub titulo S. Mariæ Majoris sepultus, funus Sigismundo Rege, & Constantia Regina deplorantibûs. Ultima illius verba fuisse scribuntur. *Tædet animam vitæ meæ* Hist: Coll: Posn: S. J.

Eodem hujus Cardinalis fatorum anno 1608. Provincia Polona PP. S. J. quæ una erat cum Lithvana, licet ab aliquo tempore propter locorum insignem distantiam, Lithvanam Vice Provincialis moderaretur, in Polonam & Lithvanam exdivisa est. Primam R. P. Petrus Fabricius, alteram R. P. Paulus Boxa regendam ab A. R. P. Claudio Aquaviva, Præposito Generali acceperunt.

LV.

ADALBERTUS III. BARANOWSKI

De Stemmate Jastrzembiec. vide p. 79.

AD aulam Sigismundi Augusti, honoris & fortunæ jecit fundamenta. In Academiis Italiæ, Galliæ, Germaniæ ingenium excoluit, eamq; in dicendo facultatem assecutus est, ut sive nomine Regis responderet, sive in Senatu peroraret, facilè omnium animos in suum sensum traheret. Ex Primicerio Gnesnensi, Lanciciensi Scholastico, Regni Secretarius, brevi Premisliensis Episcopus & Regni ProCancellarius.

Civitas quædam hæretica, causæ diffidens, negotium evincere muneribûs intendebat, præter pecunias, aliaq; pretiosa, currum singulari vinô onustum offerebat Baranovio, sed incorruptæ fidei Antistes, gene-

roso animo sprevit omnia, offerentes redarguit, causam pro justo & æquo decidit. Ea Præsulis indoles placuit Regi Stephano, & quæ inique oblata rejecerat, dilaudata magnanimitate, ex suo ærario, & cellario abunde data magnanimitate, ex suo ærario, & cellario abunde compensavit. Sigismundum Sveciæ Regium Principem, electum Poloniæ Regem, ad portum Gedanensem, nomine totius Regni salutavit, & diploma electionis eidem reddidit. In Sveciam ad Joannem Patrem parabat iter Sigismundus: hoc, uti perniciosum Reipublicæ, efficaciter dissvasit Adalbertus, & ejus nomine Legationem optato eventu absolvit.

Episcopus Plocensis factus, licet in Comitiis Varsaviensibus, Joannes Zamoyski dignitatem hanc Præsuleam cum sigillo Regni à Baranovio posse sustineri, multis rationibus evincebat; Adalbertus legum studiosissimus, Sigillum in manus Regias deposuit. Liberior à curis aulæ, suam diœcesim sæpius visitabat, id si publica impediebant negotia, per Archidiaconos suppleri curavit. Disciplinæ Ecclesiasticæ custos accuratus, Synodos aliquot absolvit, & ut illarum statuta ad manum omnibus essent, typô imprimenda fecit. Diæcesim primus in Decanatus divisit. Pultusci Seminarium pro 20 Clericis, sub cura Patrum Societatis JESU instituit, ædes ad eorum commodum ex solido muro erexit, ac bibliothecâ providit. Collegium eorundem Patrum, ibidem liberali perfecit manu, Religionis hujus Tutor ubiq; singularis. Anno 1607. in Comitiis Regni, Institutum, mores & fama Societatis carpebantur acerbius à malevolis, præsertim hæreticis. Egit pro illa Oratorem Baranovius, & quam plurimi damnabant; Adalbertus Sanctam, Regno, Ecclesiæ Catholicæ utilem demonstravit, & deduxit. Pro eo favore, Patribus gratias agentibus respondit: *Quidquid egi, minùs vestra laude egi*. Palatium commodo Episcoporum Plocensium Bartodziejoviciis, Plociæ erexit, inchoavit aliud Varsaviæ, sed hoc mutata intentione, Primati-

matibus Regni applicuit, quod Joannes Lipski perfecit.

Bona inter se dissita, cum annutu Capituli & Romano vendidit, ac bona Grodek commodiora in Palatinatu Podlachiæ emit. Motam ab Antecessoribus quæstionem de fundis Gorzno per vim usurpatis à Stanislao Kryski Palatino Mazoviæ, fortiter promovebat. Læsit eo juris processu Palatinum, qui parabat in Comitiis publicam de optimo Præsule vindictam, sed interventu Procerum res composita. Romæ hospes à Clemente VIII. (cum quo in Polonia Nuncio Apostolico familiariùs vixerat) in magno honore habitus, ad intima in negotiis Ecclesiæ consilia adhibebatur.

Post ascensum Petri Tylicki ad Cracoviensem Sedem, Vladislaviensis Episcopus, jurisdictionem suam à Synodo inchoavit, in qua ad normam Concilii Tridentini plurima constituit. Olboriâ (oppidum est Vladislaviensium Præsulum) suspectas de pudicitia fœminas exesse jussit. Ita etiam locum, quem incolebat, aut qui juris sui erat, sanctum esse voluit. Annô non expletô Archiepiscopus Gnesnensis nominatus, à Paulo V. confirmatus, Cathedralem Ecclesiam flammis vastatam restauravit. Uniejoviæ, Łyskoviciis, Chrosinii, commoda Primatibus palatia erexit. Skiernieviciis ædem dum perficit, vitam consummavit anno 1615. ætatis suæ 66. in sacello à se ædificato, proventibûs & Sacerdotibûs aucto, Gnesnæ sepultus.

Vir zeli magni, amoris in Patriam summi, pro severiori habitus à dissolutis, quos paterne corripiebat, & dum monitis morum emendatione non responderent, severiùs in illos animadvertebat censuris quandoq; Ecclesiasticis, cælo ipso pœnas approbante; sæpissime enim observatum est, à Baranovio censuris punitos, aut annum non supervixisse, aut singulari infortuniô edoctos parere monitis & correptioni Præsulum.

LVI.

LAURENTIUS GEMBICKI

Fasciâ pro Stemmate insignis.

HUnc in tenera ætate, continuis morbis afflictum, Parentes deplorarunt; sed ope Deiparæ, cui ex voto oblatus erat, ab omnibus infirmitatibus liber, adolevit, semperq; eidem vixit devotus. Posnaniæ, in Lubransciano Collegio juventutem, postea in Collegio Patrum Societatis JESU, à Konarscio Episcopo Posnaniensi, erecto excoluit, (Nomen ejus extat in albo Sodalium Congregationis Marianæ Collegii prædictorum Patrum) tantumq; in Græcis & Latinis litteris profecit, ut inter eos, qui Henricum Valesium salutarunt, Laurentius palmam tulerit. Consiliô Procerum, & Regis ipsius, annô ætatis decimô sextô, exteros invisit. Ingolstadii Philosophiæ, & Jurisprudentiæ dedit operam. Visitatis postmodum primis in Germania Urbibûs, rediit in Patriam. Et quia defunctum Parentem reperit, ad Albertum Nininski Regni quondam Secretarium, Juris utriusq; Doctorem, Canonicum & ArchiPresbyterum Cracoviensem, Matris suæ germanum, divertit. Sed brevi propter styli & sermonis elegantiam à Baranovio protunc ProCancellario assumptus est.

Stephanus Rex legerat vice quadam Pro Cancellarii litteras ad se datas, & negotii magnitudine, & styli maturitate graves, & ubi à Baranovio Gembiccium, litterarum authorem cognovit, Eundem inter Regni Secretarios adscivit. Parem affectum & apud Sigismundum III. nactus est; Legatus ab illo expeditus ivit ad Clementem VIII. Sigismundo & Regno offensum operâ Sigismundi Transylvaniæ Ducis. Querebatur ille apud Pontificem, exercitum suum in Valachia cæsum Polonosq; cum Turcis in perniciem Christianorum con-

spirâsse. Hæc sinistra fama adeo Polonis injuriosa, Romæ ab amicis Ducis Transylvaniæ sparsa, ab inimicis Polonorum in dies aucta, addictum olim Poloniæ Clementis VIII. animum ita avertit, ut Legatum Gembiccium non admiserit. Longiorem moram trahebat Laurentius, & cum intellexisset Pontificem in suo proposito constantem, publice conquestus est: Legatum se Regis Poloniarum esse, & tamen aditu Pontificis arceri, non expectaturum se diutius, cum dedecore Gentis Polonæ, Romanæ Sedi à primordiis fidei susceptæ, semper devotæ, sed non visô etiam Romano Antistite, nec rebûs attentatis, in Patriam propediem rediturum, hancq: inclementiam Clementis, & totius Romæ, Regi & Statibus Reipublicæ delaturum. Hæc Gembiccii querela cum intimo animi sensu, & dictorum majestate facta, alienatum Pontificis sensum in partes Poloniæ inclinavit. Solitis cerimoniis admissus Legatus, famam a Duce Transylvaniæ sparsam, à veritate alienam injuriosam nomini Polono ostendit, Valachiamq; esse Provinciam Poloniæ, earumq; virium, ut absq; adminiculo Transylvaniæ Principis, cum Polono exercitu Turcis resistere possit. Hôc, & aliis motivis, aulam Romanam & cor Clementis integrum lucratus est.

Ex hac Legatione redux, Culmensem accepit Tiaram; Pastorali officio ut satisfecisset, aulæ valedixit. Regimen diæcesis ab illius visitatione inchoavit, Ecclesias plures, quas inique usurpaverat hæresis, vindicavit, & Catholicis restituit. Societatis Patres Torunio, quos plebs fidei inimica ejecerat, authoritate sua, urbi, & suis ædibus reddidit. Ibidem, die Sacratissimi Corporis Christi, processionem solennem ab Antecessoribus suis ob metum tumultûs intermissam innovavit. Virgines Deodicatas S. Benedicti Culmæ, approbante Clemente VIII. ad strictiorem instituti observantiam induxit.

Ad Culmensem Episcopatum brevi accepit Ma-

jorem Regni Signaturam, eam dignitatem ſic obivit, ut promotus ad Vladislavienſem Sedem (quæ juxta leges cum officio Cancellarii ſubſiſtere nequit) diſpenſante in ſuis ſancitis Republica, eandem ſuſtinuerit. In rebus gerendis dexteritatem Viri noverat optime Sigiſmundus, quare abiturus in Moſchoviam cum exercitu, illi commiſit Regni regimen (vacabat tum poſt fata Maciejovii Primatialis dignitas) Cruſviciæ nonnullis Epiſcopis monumenta, & honores ſepulchri fieri curavit. Typographiam Caliſſienſem S. J. ſuis impensis juvit. Ejusdem Inſtituti Patres, quos Rozrazewski locavit Gedani, Szotlandiæ in ſuburbio conſtituit illorum Collegii Patronus munificus. *Confœderationem* exercitus Poloni, ne malum hoc invaleſceret, ſtudiô, & propriô ærariô diſſolvit. Eccleſiam Raciązi à Rozrazevio inchoatam perfecit, adornavit, dotavit, Cathedrali vero lampadem argenteam donô obtulit.

De Patria & fide optime meritum, Sigiſmundus III. annò 1616. ad Primatialem evexit dignitatem: pro hac Regi acturus gratias, jam à Romana Sede confirmatus, cum iret, Crucifer Crucem, quæ Primatibus præferri ſolet, caſu fregit. Res hæc non diuturni regiminis omen erat; octo tamen annis Gneſnenſem moderabatur Eccleſiam, quam ſuo decori, ex integro reſtituit: Ærea texit laminâ, juſtamq; pecuniæ ſummam in ejus ornamentum numeravit. Petricoviæ 1621. Provincialem Synodum abſolvit. Varſaviæ palatium ad uſum Primatum vindicavit. Skiernieviciis à Baranovio inchoatum perfecit. Turrim ad Eccleſiam Lovicienſem erexit. Sub tempus belli Chotimenſis, à Sigiſmundo III. Vice Rex conſtitutus, per totam Poloniam publicas ſupplicantium preces indixit pro felici belli hujus eventu. Vice quadam, dum in eo Regni negotio, Deo & Deiparæ Virgini, Poloniæ Reginæ ſupplex eſſet, poſt fuſas preces, ex palatio Skiernieviciis proſpiciens, vidit primâ noctis vigiliâ, ſuper tilia Virginem Sanctiſſimam, cornibus lunæ decreſcentis inſiſtentem, ſibiq; dicentem audiit: *Ne timeas, Filius meus mala hæc avertet ab hac Patria, ne tua ætate contingant.* Viſione hac lætus Laurentius, cùm & fama publica memorabilem Polonorum victoriam de Oſmanno Turcarum Imperatore, loqueretur, Beatiſſimam eo ſitu, ut vidit, depingi curavit. (b) Feſtum gratiarum actionis in Polonia pro victoria prædicta, approbante Gregorio XV. inſtituit: de quo feſto poſtea Ladislaus IV. Sigiſmundi Patris in throno Succeſſor; ab Urbano VIII. Officium Divinum impetravit. Obiit Præſul hic 1624. ætatis ſuæ annô 63. Gneſnæ in ſacello Lalaſciano ſepultus.

Illius temporibûs, Sulejoviæ Frater Ladislaus Laicus Ordinis Ciſtercienſium obiit: ex ejus corde poſt fata arbor excrevit, in cujus foliis voces *Ave MARIA* à natura efformatæ legebantur, in præmium devotionis ad MARIAM; nullam enim diem vivens prætermiſit, qua Roſarium non abſolveret. (c) Obiit præterea Caliſſii die 26. Julii 1618. P. Martinus Smiglecki S. J. Polonus, Philoſophiæ & Theologiæ in Academia Vilnenſi Doctor ut ſcriptis in lucem editis, ſic victoriis de pluribus hæreticis inſignis, vitæ probitate inſignior. Ad huc in ſæculo degenti Martino adoleſcens e piacularibus flammis apparuit ſupplex, ut libros, quos mutuos ab alio acceperat, ſuo nomine redderet. *Peſzakowski.*

LVII.

HENRICUS III. FIRLEY
De Stemmate Lewart.

Eſt Leopardus in rubro campo, pedibûs erectus cum capite coronato.

ANnus 1574. Henrico huic, Joanne Palatino Cracovien-

(b) *Nieſiecki Tom: II.* (c) *Praſzcz peg 214.*

covienſi, ſupremo Regni Mareſchalco, & Mniſzchowna Regni Succamerarii Filia, Parentibûs genito, primus vitæ fuit. Idem, primus Regni Henrico Valeſio, à quo de ſacro fonte levatus, Ejuſdem nomen ſortitus eſt. In tenera ætate, Patre hæreſi addicto orbatus, à Matre Catholica in fide vera inſtructus, inPolonia litterarum rudimenta didicit. Ad majorem ingenii culturam, ad Academiam Græcenſem, quam munificentia Caroli Archiducis Auſtriæ, Patris Ferdinandi II. Societati JESU condiderat, (d) poſtea Romam expeditus à Clemente VIII. qui Firlejorum Nomen in Polonia præpotens noverat, benigne acceptus, ad eam authoritatem pervenit, ut ab eodem Pontifice, Camerarius, Prælatus domeſticus, Comes Palatinus, utriuſq; Signaturæ Referendarius, & Prothonotarius creatus fuerit. Cum iisdem titulis poſt abſoluta Romæ ſtudia, comes Cardinalis Cajetani, Legati Pontificii in Poloniam rediit. Romæ præſens, cum Stanislaus Koſtka 1568. die 15. Auguſti in cælum translatus, majoribûs in dies clareret miraculis, impetravit, ut hæc authoritate Pontificia approbarentur.

Româ redux pares affectus meruit apud Sigiſmundum III, ab eodem per gradus ad ſupremas dignitates promotus. Præpoſitus Plocenſis, Cracovienſis Scholaſticus, Canonicus Sandomirienſis, Regni Secretarius, brevi Referendarius, & Miechovienſis Præpoſitus, ivit ad Clementem VIII. in difficillimis Poloniæ negogotiis, quæ ad vota Patriæ feliciter compoſuit.

Miechovienſe Canonicorum ſacriSepulchri Hieroſolimitani cænobium, beneficiis ſui Præpoſiti gratum ſemper fuit: illud optimis legibûs circumſcriptum gratiis dotavit, murô cinxit, Eccleſiæ tectum novum ex integro providit, eamq; ſacro apparatu adornavit, altare privilegiatum pro defunctis a Paulo V. & nonnulla privilegia ipſi cænobio à Sigiſmundo III. impe-

(d) *Sacchinus Hiſt: S. J. Par: V. L. V. & VI.*

impetravit. Poſt aſcenſum Pauli Wołucki adVladislavienſem Sedem Luceorienſis Præſul, brevi in Plocenſi, Martino Szyſzkovio ſucceſſit. Ubi parvo tempore egit plurima, Pontem de coctо latere, opere commendatum, ad arcem Pułtovienſem poſuit. Hortum, ne cuivis pervius eſſet, murô clauſit. Palatium Borkovienſe inchoaverat, ne finiret, Primatialis dignitas, ad quam à Sigiſmundo evocatus eſt, impedimentô fuit. Multa ſibi Rex & Patria in hoc Archi Præſule pollicebatur, ſed etiam deſideriis mors invida, altero regiminis anno, à Chriſto nato 1626. ætatis illius 52. longiore vita dignum è vivis ſuſtulit.

Præſul clementiæ adeò magnæ, ut à quibuſdam putaretur neſcire iraſci. Humanitate in omnes, pietate in Superos, miſericordiâ in egenos, amore in Patriam commendatus. In primo ingreſſu in Gneſnenſem Cathedram, ſupremum diem imminere ſibi prædixit, quare ſepulchrum, urnam parari curavit, eam ſemper ſecum devehebat, hanc domi intuebatur, ſeq; hortabatur ad mortem fortiter, & ſancte obeundam.

Liberalitatis Ejus, præter ſuperiùs annotata, extant monumenta, Tiara Pontificia, aurô & gemmis dives, ſtatua de argento, Divi Barnabæ Apoſtoli, Gneſnenſi Eccleſiæ donata. In Templo Lovicienſi, altare marmoreum, in quo Corpus S. Victoriæ integrum, Româ tranſmiſſum, & exuvias inſigniores S. Bennonis Epiſcopi à Vilhelmo, Duce Brabantiæ donatas depoſuit. Ibidem organa affabre facta Eccleſiæ PP. Ordinis Minorum de Obſervantia, applicata: Lublini Sacellum apud PP. Ord: Prædicatorum, pro conſervando ligno S. Crucis erectum: Ciemierniciis, bonis Firlejorum hæreditariis, Templum Beatiſſimæ de cocto latere ædificatum, & Sacerdotes ad canendum Officium de B. Virgine conſtituti, ac dotati. FF. Inſtituti S. Joannis de Deo, ſuum ingreſſum Lovicium & Pułtuſcum, & impenſas quibûs ſubſiſtunt, eidem debent Præ-

Præsuli. Familiæ&successoribus, ut memoriam sui relinqueret, pro eorum commodo palatium Ciemierniciis exstruxit.

LVIII.

JOANNES XII. WĘZYK

Serpente, Domûs suæ insigni, pro Stemmate usus.

MAjor Polonia, Palatinatus Siradiensis, Præsulum, Virorum in Polonia optime meritorum ferax, Hujus natale solum. Parentibûs, Hieronimo, & Dorothea Zaleska gestis honoribûs, ac generis nobilitate distinctis, in lucem editus, juventutem studiis in Patria expolivit, ulteriorem ætatem ut perfectiorem redderet, ivit Romam, ubi septennium commoratus, Theologiæ, Juris prudentiæ operam dedit. Sandomiriensis Præpositus, & Cracoviensis Canonicus rediit in Poloniam, Joanni Tarnovio, Episcopo Vladislaviensi, post fata Karnkovii Archiepiscopale pallium deferens, à quo Primatialis Cancellarius factus est. Brevi à Sigismundo Rege Mogilnensem Abbatiam, & Premisliensem Episcopatum accepit, à Laurentio Gembicki dum in Episcopum consecraretur, tertius successor suus in Archiepiscopatu Gnesnensi prædictus est. Diæcesim Premisliensem ad Synodum convocavit, in qua solicitudine Pastorali, quæ irrepserant, correxit. Anno 1624. ad Posnaniensem promotus Episcopatum, Cathedrali Ecclesiæ aureum calicem obtulit. Demum 1626. post fata Firlei, Regni Primas salutatus est. Sigismundo III volenti, ut aliquem ex Filiis suis, Respublica stante vita sua, in Regem eligeret, damna ex eo subsecutura demonstravit, mentemq; Regiam immutavit.

Post obitum hujus Principis Inter Rex, ita providit Poloniæ, ut nullum discrimen subierit. Electum Ladislaum, Sigismundi Filium nominavit & coronavit,

vit, & ejus postea Conjugem, Ceciliam Renatam. Ambiebat Princeps hic in Sociam vitæ, Filiam Friderici Palatini Rheni, sed quia hæc Parentibus diversæ fidei genita, hæresim cum lacte suxit, eamq; profitebatur, svasionibûs, & cùm his non proficeret, Primatiali admonitione, ejus desideriis obstitit: effecitq, ut mutata intentione, ad Ceciliam Renatam Austriacam cor inflexerit. Biblia Polono idiomate prodierant Gedani impressa, Ladislao dedicata. Inventum fuit hæresis, ut ejusmodi libris Poloniam inficeret, & opus à Regio nomine commendatum faceret; advertit subtilem hæreticorum astum circumspectus ad omnia Primas, ne Rex librum, quem dissidentes adulteraverant, suscipere, author fuit: ac ne per Poloniam, & ejus ditiones, virus tantum vilî etiam pretiô venale esset, Regiô cavit mandatô, Ipse verô in legentes, Ecclesiasticas censuras promulgari fecit. Nulla Regni Comitia prætermisit, quin illis pro dignitate Primatiali Patriæ amans adesset, & ejus necessitatibus consuleret.

Nec ita se permittebat negotiis Reipublicæ, ut Pastoralis officii, & sui oblivisceretur. Provincialem Synodum gemino conventu Præsulum absolvit; Et constitutiones antiquas Synodales in unum opus collegit, quod, Romæ approbatum, typô impressit. Libros ad cerimonias Ecclesiasticas comptiori prælo imprimi curavit. Episcopos decem consecravit, sacrum Præsbyteratûs ordinem prope quatuor millibus contulit, Et licet podagra, & chiragra afficeretur, hæc tamen membrorum afflictatio minimè fuit obex exercitii Præsulei; æra campana, calices benedicere, accedentibus ad mensam Eucharisticam, panem Angelicum distribuere, in usu habuit. Officium Divinum, nisi aliter infirmitas svaderet, flexis genibûs solitus absolvere. Conciones sacræ negligebantur à multis, ut esset aliis exemplô, pro his audiendis pedes adibat Ecclesiam. Lecto jam affixus, per spatium quinque mensium, quotidie

tidie Sacrâ Eucharistiâ refici voluit, horîs vero à se constitutis sacra lectione, ægri corporis leniebat ærumnas, in illis acerbitatibus sæpius ingeminare solitus: *Domine auge dolorem, sed adde patientiam.* Et si aliquando aliquod signum impatientis animi prodidit, culpam adstantibus notam fecit, veniamq; ab illis & à Deo postulavit. Fracto laboribus, & morbis corpori, non curavit commoda, sola contentus culcitrâ, persæpe etiam visus, in nudo assere quietem fallere.

Cæterum, qui suas commoditates neglexit, alienis operam dedit, in egenos præcipue liberalis 1629. publica Regni calamitas famem in Polonia causaverat, concidebant plurimi, alii, velut viva cadavera, oberrabant ædes, vel pro obolo supplices, quo famelicum lenirent stomachum. In eo populi gementis statu, penum propriam egenis Joannes communem fecit: insuper 6000. fl. Pol: Ecclesiæ Loviciensi numeravit, ut ab illis census in posterum cederet egentibus. Civitas Loviciensis conflagraverat; non satis habuit Joannes sylvas ad ædificandas domos permittere; omnes census civibus dimisit, pluresq; juvit suô ærariô. Id curabat maxime, ne subditi à suis Oeconomis aliquam paterentur injuriam. Ultima voluntate sua, omnem supellectilem domesticam, in bonis frumenta divendi jussit, & pecuniam, in subsidium subditorum erogari.

Hanc in membra Christi liberalitatem superavit in Deum & Ejus Ecclesias munificentiâ. Gnesnæ sacellum restauravit, & ære texit, ibidem impen as ad perficiendas turres contribuit. Lovicii sacellum Sanctissimi Sacramenti fundavit 30000. fl. Pol: relictis: in alias vero Ecclesias ultra 100000. expendit. Gnesnensi Archi Cathedræ aureum calicem, & quatuor candelabra argentea, aliis sacris ædibus calices argenteos, tam ad Missæ Sacrificium, quam asservandam Eucharistiam: Patribus Ordinis Minorum de Observantia Lovicii Bibliothecam donavit. Joanni de Stemmate Odrowąż, Cra-

Cracoviæ in Templo SS. Trinitatis honorem sepulchri marmoreum struxit, Arcem Uniejoviensem magno sumptu reparavit, Turrim cum horologio in Arce Loviciensi levexit.

Sic in Patriam pius, in Deum, & Ecclesias liberalis, in pauperes misericors, depositis animæ noxîs, in viam æternitatis ab uno e Patribus S. J. dispositus, fractum ætate, laboribus, morbis corpus deposuit 1638 Lovicii in sacello à se fundato sepultus. Urbano VIII. adeo fuit in amoribus, ut ejus effigiem Pontifex hic in suo palatio curaverit, adscribendum Collegio Cardinalium intendebat, sed intentioni Romanæ, obicem fata Joannis posuere. *Niesiecki Tom: IV.*

Ut Antistes hic corporis ærumnas tranquillô tulit animô, sic eas intendi voluit P. Blasius Płocinius Polonus S. J. qui obitu suo 1634. die 22. Octobris Calissii fata illius præcessit. Hic adhuc adolescens ab eo, cui erat in obsequiis, arenti terræ pluviam flagitare jussus, paruit, in genua provolutus cælum ad suas preces flexit; dum hoc in copiosos imbres solutum est. In Societate ad legum normam Religiosum egit; duo se à Deo postulare, ajebat: ut acerrime ægrotaret, & ne domesticis molestus esset; utrumq; obtinuit, dolorum intensa acerbitate, brevitatem ægritudinis compensante. *Drews in Fastis S. J.*

LIX.

JOANNES XIII. LIPSKI

De Familia & Stemmate Ładarum.

LAurentii, Judicis Ravensis Filius, ab exteris Nationibus redux, ad quas, ut ingenuam indolem erudiret, excurrerat, à Kryski Regni Cancellario, ad aulam evocatus, Regens Cancellariæ Regni creatus est. Vir facundiæ rarioris, à Claudio Memmio, Galliæ Oratore præcipuo, Polonus Lipsius dici meruit. Styli elegantiâ

gantiâ, ingenii maturitate, omnium oculos & animos in se convertit. Sigismundus III. Referendarium Regni, Regina Constantia suum Cancellarium constituit. Brevi ad Culmensem Tiaram promotus, cultum B Joannis Torunensis Ordinis Minorum, instante Capitulo Culmensi, factô juxta Bullam Urbani VIII. in vitam & virtutes ejus examine; permisit.

Hic Beatus voce populi, tempus, quod Religiosis muniis supererat, dabat continuæ orationi, & meditationi Infantilis ætatis Christi. Id præcipue svavi recolebat mente, quòd ex amore erga genus humanum, nasci, Virgineoq; lacte ad normam aliorum Infantium, pasci dignatus esset. Placuit ea Joannis devotio Salvatori, in qua ut confirmaretur, Mater Sanctissima cum Infante JESU sæpiùs illi apparuit, longiùs ad animæ ejus solatium, cum eodem colloquens. Vocem Virgineam audiebant sæpius prætereuntes Religiosi, sed quia hic ipsam videbatur spirare sanctitatem, nihil mali suspicari poterant. Vice quadam, cùm & vocem sesquioris sexùs, & planctum infantis adverterent, nec ad signum datum, cellam Joannes aperiret, rem Superiori detulere. Hic effractis foribûs, cum aliis cubiculum ingressus, cùm neminem, nisi Joannem in genua provolutum ante Crucis simulacrum, cui Corpus justæ magnitudinis affixum cernebatur, reperisset; ut facti veritatem enarraret, obedientiâ adstrinxit. Ingenue fassus est Joannes apparuisse sibi Christum Infantem, cum Matre sua Sanctissima, magno cum gemitu plorantem, & dum de causa fletûs interrogaretur, respondisse: Flere se ideo, quia fides & devotio Catholica, in Prussia, ope & studio, hostium suæ Ecclesiæ, cum maxima animarum pernicie brevi interitura esset. *Pruszcz pag: 143.*

Ladislaus IV. rationibûs Joannis Wężyk inductus ad Ceciliam Renatam Ferdinandi III. Filiam animum adjecerat, ad eam desponsandam, hunc Joannem Legatum

tum misit: gratô animô ea Legatio ab Imperatore accepta; & Cæsar, & Cecilia desideriis Ladislai annuit. Virturem, authoritatem, & magnanimitatem Præsulis advertens Ferdinandus, eum & ejus Illustrissimam Familiam, inter Comites Sacri Imperii adlegit. Redux Viennâ, ab eodem Rege, brevi Archiepiscopus Gnesnensis inaugurаtus, familiam domesticam pro majestate dignitatis fovebat numerosam, sed omni disciplina & modestiâ commendatam.

B. Raphaelis corpus (quod Vartæ in Palatinatu Siradiensi apud suos Religiosos magno populi concursu colitur) 1640, post spatium 107 annorum ab ejus obitu levavit. Hic in Academia Cracoviensi, Philosophiæ Doctor creatus, dignitates, quibus parabatur, elusit, annô ætatis suæ vigesimô quintô, Stradomiæ Ordinem Minorum de Observantia ingressus, Religiosis virtutibûs, inter cæteros eminuit. Variis cænobiis & ipsi Provinciæ præesse jussus; eam exemplô vitæ suæ ad normam Instituti componebat. Religiosus quidam, locô non contentus, ejus mutationem flagitabat, annuit postulatis Raphaël, ea tamen conditione, ut priùs conscientiam expiaret, remq; Superis commendaret, ipse interea Deo supplicabat, ut mentem illius Clerici, ad obedientiæ regulam inclinaret. Peracta exomologesi Religiosus ille statim infirmari cæpit, & brevi obiit (a) posteritati relinquens exemplum, quàm sancte coli, & servari Superiorum dispositiones debeant.

Ut in dilatando Sanctorum cultu sedulus, sic in ampliando temporali bonorum statu, pro commodo ArchiPræsulum fuit accuratus. Palatium Primatum, Varsaviæ a Baranovio inchoatum in augustiorem redegit formam, & perfecit. Zyskoviciis novum erexit, & imaginibûs ArchiPræsulum adornavit. Indixerat Provincialem Synodum, sed optime cæpta mors impedivit.

(a) *Pruszcz pag: 171.*

divit. Duobûs tantùm annis præfuit Gnefnenfi Metropoli, fed zelô memorabili, & factô heroicô, longam multorum ætatem fuperavit.

Temeritas hæretica lignum, Redemptionis humanæ fignum, gravi affecerat contumelià. Author facinoris, opibûs, & familià potens, plenus erat fpei, delictum tantum, à Statibus Regni, aut diffimulandum, aut nefas fuum vindicantium omnem impetum potentià elidendum. Hæc Crucifixi Numinis ignominia movit ArchiPræfulem, quare in Comitiis generalibus Vindex honoris Divini, tanto aufu læfi, facti atrocitatem expofuit: Regem, Senatores, congregatam nobilitatem, facundo, & gravi fermone, hortabatur ad vindicandum fcelus: orationemq; fuam, hac ad Regem converfus finivit allocutione: *Venit itaq; in Tuum Rex Sereniffime confpectum, Rex Regum, Deus nofter, & velut Tu caufam illius decernes, ita ille Tuam olim judicaturus eft.* (b) Movit fermo, Primatiali dignitate fultus, & ipfa caufæ æquitas Regem & Proceres; fupplicia conclamavit nobilitas. Licentia hæretica fibi metuens, non dubitavit in hominem fieri crudelis, quæ in Deum & ejus effigiem fuit impia: ut in uno Primate, omnem vindictæ impetum amoveret, ejus medicum numeratô juftô pretiô, & majori promifsô, in partes fuas traxit, induxitq; ut Præfulem e vivis venenô tolleret. Dedit vinctis manûs opibus homo inhians, virus innocuo Antiftiti propinavit: Et dum, cum fatis luctantem advertit, facti pænitens, cùm nemo adeffet, ad pedes Præfulis provolutus, culpam faffus, & quia nullum malo erat remedium, veniam deprecatus eft: Facinus medici admiratus Præful, heroicô animô, interfectori fuo condonavit injuriam, & infuper 100. aureos ex ærario numerari juffit. (c) Tali fatô foli fceleri invifus occubuit Antiftes fæculis dignus, anno 1641. A Potocio ex eo vel maximè dilaudatus: quod, *neminem ex propinquis*

(b) Niefiecki Tom: III. (c) Idem ibidem.

pinquis vel neceffariis fuis, aut fafcibus Ecclefiafticis, aut eminentiori dignitatum admovit faftigio, cæterum qui proximam cælitibus egit vitam, haud diu in terra detineri potuit. Potocki in Centuria Virorum.

Ultima voluntate fua, ærarium in pia opera, & Ecclefiarum dotes difpofuit. Pro facello confervando ad Ecclefiam Lovicienfem 2000. fl. Pol: ad idem pro octo Sacerdotibus 30000. pro Sanctuario Euchariftico, ejusdem facelli 6000, pro die obitûs fui anniverfaria 2000, ad varias Religiofas ædes 50000. defignavit.

Ejus temporibûs obiit Califfii 1639. die 18. Augufti, Ladislaus Czaplinski S. J. Coadjutor temporalis (gradus eft in Societate eorum, qui curant obfequia, & rem domefticam.) Inter alias pias induftrias, utebatur ille & hac ad faciliùs eliciendos in Deum affectus: Alphabeti litteras pronunciabat, & fingulis, vel Pfalmum ab eadem littera incipientem, vel aliquem verfum fubjungebat. Sic & fimplicitas, in fuis precibus ingeniofa eft. Iftius devotionis habitus, magnô eidem fuit adminiculô in fuprema infirmitate; in illa totum fe immolabat Deo, auditufq; eft, fæpius ingeminare: *O Iefu, omnefq; corporis & animi mei vires, diftillare poffem vel in unam guttam guftûs & beneplaciti Majeftatis Divinæ,* Pofzakowski.

LX.

MATHIAS ŁUBIENSKI

De Stemmate Pomian. vide p. 62.

BOna Łubna Palatinatûs Siradienfis, à quibus agnomen Familia hæc nacta eft, nativum folum Mathiæ fuerant: Parentes, Sventoslaus & Barbara Zapolska, nominis & fangvinis dignitate diftincti. Hic cum Fratribus fuis dum ex fcholis à litteris vacaturus rediret, Barbara Mater, lectiffima fæmina, pridie adventûs filiorum, in fomno, Mathiam Pontificali apparatu,

pretiosâ Infulâ, Stanislaum in simili vestitu sed humiliore mitra ornatos. Albertum in Canonicali almutio, Martinum in veste Societatis JESU, Joannem verò in equestri toga conspexit (tot filiorum erat genitrix) Id admirata, cùm narraret marito, ambo mysterium potius, quam visionem reputârunt. Barbara sumptâ hinc occasione, præsago spiritu, pòstmodum, Mathiam Archiepiscopum, Stanislaum Episcopum, Albertum Canonicum, Martinum Societatis JESU Rectorem, ac si nomine proprio vocabat. *(d)* Nec vana furit visio; nam hic Mathias Archiepiscopus Gnesnensis obiit, Stanislaus ex Luceoriensi, Plocensi Episcopatui immortuus est. Albertus Canonicus, majores dignitates minime ambiens, satis eas mereri habuit. Martinus Collegium Calissiense S. J. rexit. Joannes in statu equestri ultimum diem expertus est.

A minoribus subselliis, summa adiit Mathias, ubiq; Virum promovente virtute: Primum Canonicus Posnaniensis, postea Gnesnensis, Præpositus Lancicienſis, Cracoviensis, & Primicerius Sandomiriensis, in aula vero Sigismundi III. Secretarius & Regens Cancellariæ Regni institutus est. In his officiis quàm bene meruerit, in sua epistola, dum illi Præposituram Miechoviensem conferret, Sigismundus expressit. Verba Regis sunt: *Est in illo animus, virô, nobilissimô locô, natô dignus, & quæsita diuturno usu prudentia, sunt aliæ præclaræ dotes, ac præcipue in sancta functione obeunda, divino; cultu propagando, singulare studium.*

Regis opinioni respondit Mathias, cùm in hoc cœnobio, non tantùm vetustate detrita, & labentia refecit ædificia, sed & disciplinam Religiosam in Conventu generali novis ordinationibûs stabilivit, & ut omnibus præiret exemplô, eandem vitæ normam professus, vilissima Tyronum non abhorrebat munia. Ecclesiam S. Barbaræ, ad nosocomium Miechoviense de

(d) Buydecki in vita Mathiæ.

de cocto latere struxit, & dotavit; cum Fratre suo, Stanislao, Ecclesiam Parochialem Wągczoviensem in Palatinatu Siradiensi juris Regii (in qua Antecessorum Ejus quiescebant exuviæ) a Rege impetratam, & ex fundamentis e solido muro instauratam Canonicis sui Ord: regendam dedit: villâ Prochno, in usum illorum emptâ, & censu attributo à decem millibus elocatis, quot annis recipiendo. JuxtaNiesieccium,Camenecensis primùm Præsul: cæterum *Buydecki* vitæ Archiepiscopi hujus Scriptor, litteras Regiæ nominationis Mathiæ ad Episcopatum Chełmensem, adducit, ex quibus patet, quòd ex solo Præposito Miechoviensi,Chełmensem Sedem regendam accepit.

Possessionem Chełmensis Ecclesiæ ubi adiit, laboris socium, Suffraganeum instituit, Abrahamum Sladkowski ex Ord: Prædic: eximium Ecclesiastem,& Theologiæ Doctorem. Cathedralis Crasnostaviæ Ecclesia, injuriis temporum, & bellorum vastata, ultimam minabatur ruinam, eam restauravit, & turri adornavit. Diæcesi visitata, Synodum celebravit, quam, ejusq; sancita, imprimi Zamostiæ curavit. Paræciam Grabovecensem Capitulo applicuit, ejusq; proventus in præsentes ad Cathedram Canonicos, probante Roma, convertit. Ad Posnaniensem promotus Sedem, apud Regem impetravit privilegium, ne quispiam hæreticorum, urbis hujus obtineret Magistratum. Templum Cathedrale, non ita pridem flammis exustum, restauravit, & adornavit. Diæcesis tota læta erat tanto Præsule,quam curisPastoralibûs,in omnibus accuratam fecit, & suis laboribûs insignem. Trienniô, quo præfuit, præter sacris Ordinibûs initiatos, Sacramentum Confirmationis 13682. personis contulit. Et quia favore Regio, disponebatur ad Vladislaviensem Tiaram, Nobilitas congregata ex Comitiolis Sredensibus, Legatos expedivit Regi supplex, ne suo Antistite privaretur. Morem tamen gerere jussus voluntati Regiæ, memoriâ & de-

& desideriô sui relictô; Vladislaviam perrexit. Eam per annos duodecem, solicitudine, beneficiis ampliorem reddidit. Lemburgensem & Bytomiensem Decanatus, Diœcesi Vladislaviensi, annô 1638. adjunxit, Ciechocinensem Tractum, consentiente Fratre suo Stanislao, Episcopo Plocensi, Urbano VIII. probante, eidem applicuit. Ut alibi, sic & hic sponsam suam munificentiæ suæ participem esse voluit. Eam turribûs erectis, augustiorem fecit. Clericos octo, qui die ac nocte laudes Deo canerent, instituit. Thecam Eucharisticam ex solido auro, adamantibûs & sapphiris distinctam, S. Mathiæ statuam de argento, cubitô majorem, æs campanum eidem obtulit. Smarzevicios, Patres Ord: Min: Conventualium, ad S. Annam introduxit. Ibidem palatium Episcopale in meliorem redegit formam. Præsulibus Vladislaviensibus honores sepulchri de marmore, & Sorori suæ Otoboci, ejus loci Antistitæ fieri curavit.

Gravi ægritudine correptus, decumbebat satis proximus: suum Præsulem periculosa ægritudine teneri, inaudiit Mathæus Judycki Archidiaconus Pomeraniæ, Romam ab eodem in nonnullis negotiis expeditus; quare de Illius valetudine solicitus, ad B. Josephum Calassantium Conditorem Scholarum Piarum, tum in Urbe vitæ sanctitate commendatum, non ita pridem à Benedicto XIV. Beatorum fastis adscriptum, recurrit supplex, ejus precibus incolumitatem Mathiæ insinuans. Post tres dies orationi datos, idem Beatus, & vitæ incolumitatem, & majorem in Ecclesia dignitatem prædixit, *certifico te*, inquiens *nomine Dei, quod Mathias Łubienski sit sanus, vivet diutius, & superabit 80. Annos vitæ suæ, eritq; magnus Prælatus in Sancta Ecclesia, & magnus servus Dei.* (e) Veritatem dictorum probavit eventus.

Post fata Lipscii, vacabat Primatialis dignitas, e-

am

(e) Vita B. Josephi Calassantii.

am Ladislaus IV. Mathiæ contulit. 71. annorum jam erat; hæc tamen ætas nullô fuit impedimentô, avido laborum Præsuli. Ipse magnam partem Archidiœcesis lustravit, reliquam Archidiaconis visendam commisit. Synodum Archidiœcesanam 1643. convocavit Uniejoviam, in qua 300 consulebant de bono Ecclesiæ. Provincialem quoq; Anno eodem Varsaviæ celebravit. Ossa Bogumili, olim Archiepiscopi Gnesnensis, in Templo Uniejoviensi deposita levavit, ut hujus Sancti Præsulis, receptum in Polonia cultum, magis publicum redderet, Bartholomæum Nigrinum, acerrimum Calvini defensorem, Ecclesiæ Catholicæ lucratus, quem, quod ejusdem sectæ non pauci secuti essent, zelus Mathiæ effecit.

Mariam Ludovicam, Ducis Nivernensium Filiam, Ladislai IV. alteram Consortem, in Reginam Poloniæ coronavit. Rex hic victoriis suis gloriosus, nominis sui Majestatem ampliorem intendebat; moliebatur in Turcas bellum, quærebat apud varios armorum societatem; authoritate Primatiali Łubienius admonuit Ladislaum periculi, quod providus Antistes prævidit, effecitq; ut Rex mentem mutaverit. Post ejus fata, Poloniam Inter Rex pacifice & prudenter moderatus, Joanni Casimiro, defuncti Ladislai Fratri, in Regem Poloniæ electo, diadema & Regia insignia detulit, & pro felici ejus regimine, obtulit in anathema, pretiosam laminam Thaumaturgæ Częstochoviensi Virgini. Matri, Fratribus ultimum sepulturæ obsequium exhibuit; & licet amans suorum esset, nullum tamen opibûs cumulavit; illas distribuit in Templorum decorem, in institutionem Nobilis juventutis, quam Romæ & alibi numerosam suis impensis fovit. Ejus merita & recte facta magni fecit Urbanus VIII, sæpius dicere solitus: *in Polonia multi sunt Prælati, solus Mathias est Episcopus.* Si quempiam ex suis domesticis offendisset, statim eundem deprecatus, dono ali-

 quo

quo injuriam oblitterare curabat. Mensæ nusquam accubuit, nisi prius aliquem ex egenis pavisset, nullum diem elabi passus est quo sacra lectione animum non reficeret. Dierum & meritorum plenus, ætatis suæ anno 81, a Christo nato 1652. mortalem vitam in meliorem mutavit. Funus Gnesnæ, & defuncti laudes, prima die Princeps Czartoryski Posnaniensis Episcopus, ab eodem consecratus, alterâ Paulus Kaczynski S. J. à sacris exedris adornârunt.

Ut rebûs laudabiliter gestis, sic munificentiâ non tantùm in aliis diœcesibus, sed & Gnesnensi eminuit. Loquuntur liberalitatem illius tam Sacræ quam profanæ ædes erectæ, & pluribûs muneribûs dotatæ. Loviciensis ea majestate, qua cernitur, Camiensis, Belchoviensis exstructæ, & secunda ad titulum Collegiatæ evecta. Sacella, Gnesnæ Lubiensianum cum duodecem Sacerdotibus, quorum Præpositus, locum habet post Canonicos, Lyskoviciis, ædificata. Czestochoviense Miraculosæ Virginis amplìatum, & consecratum. Fabrica Templi Varsaviensis Patrum Carmelitarum Discalceatorum justis eleemosynis promota. Turres ad Gnesnensem Cathedram conditæ, & eidem Ecclesiæ theca Eucharistica ex auro donata. Uniejoviæ, Templum dilatatum. Aulæ Campinii, & Chroslinii collocatæ, Arx Gnesnæ restaurata. Nec Societatem JESU, à suis beneficiis alienam esse voluit. In reparationem Scholarum Calissiensium, decem millia numeravit; & quia fabrica hæc stante ejus vita perfici non potuit, eidem 11000 Collegio ipsi 5000, Templo 2000. ultima voluntate disposuit.

Famuli sui sanctitatem post fata notam esse Deus voluit. Cum Sveci Poloniam depopularentur Engell Colonellus Sveticus venit Gnesnam, aurô argentoq; & pretiosâ supellectili Ecclesiam spoliare non satis habuit, etiam sepulchra, præsertim Præsulum, ut in mortuos sæviret, scrutatus est. Mathiæ sepulchrum & sarcophagum, in quo Corpus ejus incorruptum jacebat, aperuit avara & sacrilega manus; & dum audacior quidam crucem de collô ejus pendentem, alter annulum Pastoralem eripere conaretur, Mathias de feretro se levavit, hostes Ecclesiæ & Patriæ terruit, ac a suo tumulo, & Ecclesia fugavit. Huic adfuisse scribitur Generosus Dunin, vir nobilissimæ in Polonia familiæ. Anno 1746. die 17. Januarii ejus corpus visitatum, integrum, odorem balsami spirans, repertum est. Tanti Præsulis memoriam conservans Domus Lubiensciorum, ejus effigiem in æde bonorum suorum Kalinowa, pro decore & exemplo Familiæ fovebat. Contigit ædificium ex incuria famulorum, grande incendium concepisse, cum omnia flamma depasceret & ad eam comprimendam invitatus loci Parochus cum Sanctissimo Sacramento appropinquaret, Imago Mathiæ, nullius adminiculô, suô locô mota, evolavit Numini Eucharistico obvia, & in aere pendula supra Venerabile Sacramentum substitit, tandem ad manus cujusdam senis villani commendatæ vitæ, delapsa est. *Buydecki in Vita Mathiæ.*

LXI.

ANDREAS III. LESZCZYNSKI

De Stemmate Wieniawa. *vide p. 41.*

MAjoris Poloniæ. Palatinatus Posnaniensis, Comitum de Leszno, sedes est. De his Balbinus in Epitome Rerum Bohemi L. II. C. VII. *Qui Lesczynsciorum genus ignorat, Poloniam ignorat. Triumphalis Familia, ex qua tot Duces, tot Senatus decora, tot Antistites, & Archiepiscopos numerare licet.* Domus hæc plusquam per septem sæcula opibûs & honoribûs in Polonia enutrita, in Serenissimo Stanislao Poloniarum Rege, Lotharingiæ & Barri Duce, per Mariam Filiam, cum Ludovico XV. Galliarum Rege, matrimoniali vinculô juncta

juncta, per Delphinum, ejusdem Mariæ Filium, cum primis in Europa Regibus connexa, decedit Serenissima.

Tali & tantâ Familiâ Andreas oriundus, Venceslai Cancellarii Regni, Majoris Poloniæ Præfecti, & Annæ Rozrazewska Filius. Nepos Raphaëlis Brestensis Cujaviæ Palatini, Radziejoviensis Præfecti. Hic cùm a Statibus Regni lex condita fuisset, ut nemo in uno Palatinatu jurisdictionem Castrensem & Senatoriam possideret, excepto Palatinatu Cracoviensi (f) legum & libertatis studiosus, Palatinam dignitatem dimisit, solâ Præfecturâ contentus, ut in Statu Equestri pro legibus liberiùs decertaret. Sigismundus Augustus Barbaram Radziviliam, clam in uxorem duxerat. Plurimi Senatorum, præcipuè Petrus Kmita, Palatinus Cracoviensis, tam præceps Regis factum, damnabant; gravi Palatini hujus sermone Sigismundus offensus, eundem interpellavit: *Esse molestus desineret, se enim tam gravem disciplinam ferre non posse.* Ea vis, liberæ voci Senatoriæ illata, læsit multos, præsertim hunc Raphaëlem quare Regem affatus est: *Oblitus, videris mihi, Serenissime Rex, quibus nam hominibus imperes! Polonis inquam, si forte nescis; interpellas clarissimos viros, ac si Tuo arbitratu sit nobis de Republica, & dicendum & tractandum. Patre Tuo fuerunt nobis sententiæ liberæ, ut Te quoq; Rege sint, Respublica providebit.* Orzechowski Annal: II.

Ex Canonico Cracoviensi, Lanciciensi Præposito, Premetensis Abbas, cùm soli Deo, inter privatos illius cœnobii lares vacare vellet, à Ladislao IV. ad Camenecensem Infulam evocatus, Regni Pro Cancellarius, & Tinecensis Abbas factus est. Hujus asceterii ædes, vetustate, & injuriis temporum collapsæ, ne ultimò ruerent, ad eas reficiendas, certa bona concessit. Czervini apud Canonicos S. Augustini, Theologiam, & Philosophiam docendam instituit. Cecilia Renata his tem-

(f) *Constitut: 1562.*

temporibûs obierat, ejus funus Andreas lugubris Orator deploravit. Ad Culmensem promotus Sedem, plus Principi Carolo, post fata Ladislai, quàm Joanni Casimiro, in electione favit: cæterum Joannes, virtutes & merita Andreæ, plurimum æstimans, post obitum Ossolinii, Romæ, in Anglia, & alibi pro Regibus & Polonia Oratoris, ætate sua celeberrimi, sigillum majus eidem obtulit, & brevi post fata Łubienscii, Primatialem dignitatem.

Illa tum in Polonia erant tempora, quæ ultimam cladem ominabantur huic Regno. Duce Chmielniccio, Cosacorum rebellio, Scytharum, & Moschorum viribûs fulta, Ukrainam, Russiam, Minorem Poloniam inundavit, ferrô & igne vastans Provincias. Brandeburgus, Svecus Prussiam, Majorem Poloniam armîs circumdedit. In tam deplorando Regni statu, egit quæ potuit Optimus Antistes, ad Beresteczkum tempore conflictûs, Joannis Casimiri individuus comes, ad fortiter agendum contra rabiem rusticam pro sacris, pro Rege, pro Patria, hortabatur Polonam militiam, multumq; contribuit ad memorabilem illam, quæ contigit, victoriam. Retrahebat à partibus Sveci Marchionem Brandeburgicum, sed cùm mala in dies crescerent, Nissam in Silesiam abiit, ubi Patriæ memor, suis eam juvit consiliis. Tandem dolore ex tot infortuniis Poloniæ, & podagræ affectione consumptus, Obiit Lovicii 1658. Ibidem sepultus. Culmæ inchoaverat Seminarium Clericorum, quod Małachowski perfecit. Potocki hanc ei laudem concinnavit: *Candore vir singulari, sedatâ prudentiâ, ingenuâ atq; dignâ libero homine, sentiendi, dicendiq; perspicaciâ, innoxia popularitate. Honorem Cancellarii, haud venali fide exercuit, & congestum munere publico privatarum opum ærarium, paternô, avitôq; exemplô, à Leszczyniana magnanimitate, procul esse ostendit.*

Ejus temporibûs, 1656. die 5. Decembris Coneci P. Stephanus Staroscirski S. J. Vir Apostolicus & Eccle-

Ecclesiastes obiit charitatis victima, non tantum in vita, sed & post mortem lucro animarum intentus; cuidam enim socio in Svetico carcere pro fide tabescenti, apparuit, monuitq; ut æternam vitam per lucra patientiæ adipisci contenderet. *Poszakowski.*

LXII.

VENCESLAUS LESZCZYNSKI

De Stemmate Wieniawa. vide p. 41.

ANdrea, Palatinô Brestensi Cujaviæ, & Sophiâ Opalenska, Filia Castellani Rogosnensis, natus 1605. Post fata Patris, litterarum & eruditorum Patroni, sed Genevensibus erroribus implicati, à Matre Opalenia in fide Catholica instructus est. Voluerat equidem Raphael Frater ejus, postea Palatinus Belzensis, ex Anna de Firleie progenitus, Patris errores secutus, hujus Venceslai Tutorem agere, eaq; de re etiam jure processit. Sed Tribunal Regni juri Materno præjudicare noluit. Ab illa ad Posnanienses S. J. scholas expeditus, ut teneram ætatem in omni pietate & litteris secure excoleret, mansit in cænobio Ord: Minorum de Observantia, Matre omnem proli suæ charissimæ securitatem providente. Excultum ingenium ut meliùs expoliret, cum Joanne Baykowski postea Posnaniensi Suffraganeo, in Germaniam, Italiam ivit.

Redux cùm ad Sacros Ordines adjecisset animum à Sigismundo III. Secretariis Regni annumeratus, Cracoviensis Canonicus, Lanciciensis Præpositus, ad Tribunal Regni Judex deputatus, dignum se maximis officiis probavit. Cum Luca Opalenscio, supremô Regni Mareschalcô in Galliam & Italiam profectus, post biennium, magna sui famâ relictâ, rediit, à Ladislao IV. Regni Referendarius, & Præpositus Plocensis declaratus, brevi Konopaccio, in Varmiensi Sede successit. Cum Christophoro Opalenscio Palatino Posnaniensi, ejusdem Regis, pro Mariâ Ludovica, Ducis Nivernensis Filia in Gallias ivit Legatus. Sub finem Octobris Parisios ingressi, aulam Gallicam, totamq; Urbem in spectaculum & admirationem evocarunt. Cultus Polonus genti illi incognitus, non levi quæsitus pretiô, equi generosi, peritia equitandi, scenam illam, pompamq; Legatorum, aulæ, omnibusq; gratam & amænam adornârunt. Pro Sponsa impetranda suo Regi, ad Reginam Galliæ, præsente Ludovico XIV. Rege, tum annos octo nato, peroravit Venceslaus. & 5. Novembris 1645, in Regio sacello, Mariam Ludovicam ritu Ecclesiæ Catholicæ, Ladislao despondit, Paranymphum agente Palatino Posnaniensi, novamq; Sponsam solenni comitatu in Poloniam deduxit.

Post obitum Ladislai IV. Polonum solium ambiebant, Joannes Casimirus, & Carolus, defuncti Regis, Fratres; ne Carolus, majorem natu Joannem impediret, effecit Venceslaus. Erat in propinquo Annus Sanctus Jubilæi Magni, hunc Venceslaus ut obiret in ipsa urbe, Romam excurrit, ab Innocentio X. & Purpuratorum Patrum Collegio humaniter acceptus.

Redux belli Cosatici gliscente incendio, equestrem cohortem propriis lectam impensis in subsidium Patriæ expedivit. Ad infortunium Poloniæ non satis erat Cosacorum rebellio, Carolus Gustavus, novus Rex Sveciæ, Majorem Poloniam, & Prussiam occupavit, Varmiensem Episcopatum juris sui fecit. Præsul rabiem hæreticam fugiens, Regiomontum secessit. Vacuum Antistite, & milite Ducatum facilè depopulabatur potentia Svetica. Intendebat illa, Patres Societatis JESU Brunsbergâ (quæ prima nascentem in Polonia Societatem exceperat) pellere. Intentiones ejusmodi in aula Electorali Brandeburgica, tractari, præsensit Leszczynius, ne ad effectum deducerentur, Ministrum Calviniani dogmatis, qui Consorti Electoris erat à consiliis, in suas partes traxit non levi nume-

numeratô pretiô. Hic causam Societatis egit feliciter, effecitq; ut Brunsbergæ subsistere permissa fuerit. Factum hoc Præsulis causa fuit sinistræ de illo opinionis; traducebatur apud Joannem Casimirum, quasi in ejus perniciem, cum hoste conspirâsset. Sed Viri fidelitas Regi optime cum esset perspecta, Provinciam tractandi cum Electore eidem commisit Joannes, comite laboris addito, Vincentiô Corvinô Gąsiewski, Supremô Ducatûs Lithvaniæ Thesaurariô, & ejusdem Ducatûs militiæ Campestri Duce. Pax coalita, à Sveco, cujus vires, armis Lubomirii & Czarnieccii, multis in locis atterebantur, Dux Prussiæ divisus, Episcopatus quoq; Varmiensis Venceslao restitutus.

Redditus suo gregi Præsul, Varmiensi Cathedræ aureum calicem, & sex candelabra argentea obtulit. Springbornensem Ecclesiam Divæ Matri a Szyszkovio ex voto erectam reparavit. Altare D. Antonio Patavino miraculorum gloria celebri, in Ecclesia Vartemburgensi erexit. Thomam Ujeyski, Episcopum Kijoviensem Seeburgi in Templo illius oppidi consecravit, Varsaviæ verò Albertum Pilchovicz Episcopum Hipponensem in Suffraganeum suæ Ecclesiæ instituit. Arces Seeburgensem, Ressehensem, vetustate fatiscentes restauravit.

Tandem post fata Andreæ, Fratris sui patruelis, relictâ in Episcopatu Varmiensi sui memoria, ad Archiepiscopatum Gnesnensem translatus, Thaumaturgæ Virgini Częstochoviensi catenam auream adamantibûs distinctam transmisit, aræ ex voto appendendam. Multos, cum quibus illi sangvinis intercedebat nexus, ab hæresi reduxit ad fidem Catholicam. Juvenes nobiles, etiam inferioris sortis, in scholis sumptu proprio educari fecit: eleemosynis quas amabat nesciri, multorum sublevavit inopiam. Ante obitum suum, ab exedris promulgari jussit, ut, si qui injuriam aliquam ab eo passi essent, se adirent, satisfactionem habituri

bituri. Sic nemini injurius, multis beneficus, 1. Aprilis 1666, ætatis suæ 61. Żyskoviciis mortalis esse desiit. Lovicii ante majorem aram in sepulchro Fratris sui conditus.

LXIII.

NICOLAUS IV. PRAZMOWSKI

De Stemmate Belina vide pag: 64.

Andreæ Castellani Varsaviensis & Sophiæ Kożuchowska Filius, per gradus ad hanc dignitatem, promovente virtute, eluctatus est, quam Nicolaus Lancicius S. J. vitæ Sanctitate, & libris in lucem editis clarus, præsaga mente, Francisco ejus Fratri, Brunsbergæ litterarum studioso prædixit; cum enim hic fatis Nicolai, quæ sinistra fama sparserat, illachrymaretur, eum solatus Lancicius, *Flere desine, Frater Tuus vivit sanus, certusq; sis, quòd in Polonia supremus futurus sit Episcopus.* Hoc Lancicii vaticinium de Fratre suo, Franciscus, cum Judiciis Tribunalis Regni præesset, non semel retulit. *Hist: Coll: Petric: S. J. 1690.*

Romà cum Joanne Casimiro in Poloniam rediit Gnesnensis Præpositus, ab eodem jam Rege Referendarius Regni, Abbas Sieciechoviensis, Præpositus S. Michaelis in Arce Cracoviensi institutus est. Post fata Korycinii Cancellarii Magni cùm Andreas Trzebicki minoris sigilli Præfectus Cracoviensem Sedem adeptus esset, Regni Cancellarius, & Luceoriensis Præsul, Ecclesiam suam, ob continuos in Polonia, præsertim Russia bellicos motus, nunc primùm annô 1664. adiit. Ex Comitiis generalibus, ad tractandum cum Moschis designatus, Joannem Casimirum ad castra secutus, suô effecit consiliô, ut pax optata cum Moschovia coaluerit. Pacta Olivensia cum Svecis 1660. die 3. Maji subscripsit, civile bellum compescuit, fædûs exercitûs Poloni, saniora svadens dissolvit. Sic optime

me de Patria meritum Joannes Casimirus ad Archiepiscopatum Gnesnensem promovit. Initia regiminis sacrorum cultui dedicavit. Anno 1667. Studziannæ Imaginem Christi, Matris ejus Sanctissimæ, & D. Josephi, mensæ assidentium, miraculis claram, ad honores publicos, & solatium confluentis undiq; populi in ara majori exposuit. Icon hæc sub cura Patrum Congregationis S. Philippi Nerei conservatur.

Annus 1668. supervenit, quo Joannes Casimirus regiminis Regni pertæsus, per annos viginti variam fortunam expertus, de abdicando Regno intentionem Senatûs consilio detulit. Rei novitas, ArchiPræsulem, & alios Proceres turbavit plurimum. Regem confestim adeunt, rationibûs, ut sensum immutaret, gravissimis hortantur: multi lachrymas etiam, ut citius animum emollirent, motivis addidere. Sed flecti Joannes non potuit, imò Conventum generalem Ordinum, eo fine pro die 27. Augusti Varsaviam indixit. Confluxit nobilitas, convenere Magnates pro die condicta, in materia insolita, & nusquam in Polonia agitata, tractaturi. Rex in proposito constans, per Olszovium Regni Pro Cancellarium congregatis Statibus denuo intentiones suas aperuit. Magno animorum motu ea Principis propositio accepta est. Et quia adhuc speraverant Casimirum flectendum, legibûs, juramentis in medium adductis, ne Regnum, subditos desereret, preces renovarunt. Verùm sui judicii tenax Princeps, pauca prolocutus, diploma abdicationis, quo ab obedientia Polonos absolvebat, per Olszovium Reipublicæ tradidit, plenamq; potestatem novi Regis eligendi fecit. Brevi ille valedixit Regno, ac in Galliam perrexit: Respublica verò 300000. fl. Pol: quot annis se numeraturam Eidem obligavit.

Regni Primas pro die 5. Novembris, ejusdem Anni convocavit Rempublicam, in quibus Comitiis, dies 2. Maji anni sequentis, electioni designata. Interea,

rea, pax intestina cauta, & securitas limitibus Regni provisa. Multi ambiebant solium, inter quos erant præcipui: Duces Lotharingiæ, Neoburgensis, & Princeps Condeus. In longum trahebatur electio, diversis diversos candidatos promoventibûs, eratq; periculum, ne rebûs infectis congressus solveretur. Tandem ultra spem omnium, ultima consiliorum die, Palatinatus Michaelem Wisniowieccium, Jagellonici sangvinis successorem, Hieremiæ, Palatini Russiæ, Hectoris Poloni, in malis Patriæ, ingeminare soliti: *Calamitas Patriæ, lamentatio Hieremiæ*, (a) & Griseldæ Zamoyska Filium, Regem conclamârunt: quem Prażmowski cum omnium consensu nominavit, & Cracoviæ, annô eodem 1669, Eleonoram verò Austriacam, Leopoldi Cæsaris Sororem, Michaelis Consortem, Varsaviæ probantibûs Ordinibûs, annô 1670. coronavit.

Princeps hic adhuc juvenis crescebat in spem throni Regii, quem velut quondam Rudolpho, Sacerdos ominatus est. In exteris Nationibus indolem excolebat Michael: contigit, ut die quadam, relevandi à studiis animi causâ, equo insidens, egressus urbe, Divinam Eucharistiam ferentem obvium habuerit cujusdam Ecclesiæ Rectorem pedes euntem: prosiliit ex equo Princeps, eumq; Parocho ad conficiendum iter offerebat, quem cùm recusaret Sacerdos; ut saltem pallium, quo a pluvia esset tutior, (pluebat tunc cælum) admitteret, impetravit, pedesq; peditem ad ægrotum secutus est. Absolutô ministeriô, pro humanitatis studio Presbyter effusus in gratiarum actionem Principi precatus est: *Non sunt condignæ, nec pares tanto muneri grates meæ; quas etsi rependo, nullæ sunt; rependat ille, qui humanitatem semper largè refundit, nec se in ea vinci, à quopiam permittit. In me vili Princeps honorâsti Deum, quem colis, Deus Te, ut Rudolphum I. ob simile obsequium, Patriâ honoret coronâ*, (b) Sub tempus verò Comitiorum

(a) *Niesiecki Tom: IV.* (b) *Naramowski L. I. C. II.*

rum, cùm ad locum electionis diſceſſurus, priùs auditum ſacrum litâſſet cælo in æde ſuburbana Varſavienſi, PP. Minorum de ſtrictiori Obſervantiæ, videre viſus eſt, per Angelum ſemel iterumq; ſibi porrigi coronam. (c) Acceſſit & alia præſagitio ipſo electionis die: examen apum e ſuis prosiliens ſedibus dum varios in campo prætervolat Palatinatus, in ſigno Sandomirienſi ſubſtitit, in quo Princeps hic reperiebatur. (d) Ita Michael Korybutus, Ducum Lithvaniæ ſangvis, non ambitu ſuo, ſed Deo diſponente Polonum obtinuit ſolium. Sed qui tanta animorum unione evectus erat, multa tolerare debuit.

Videbatur ille contra jura, & pacta conventa agere. Legum Tutor, & ad omnia circumſpectus Primas eum in Comitiis 1670. jurisjurandi admonuit, ſed cùm nihil profeciſſet, 1672. in publico itidem congreſſu, cum Joanne Sobieski, Duce Exercituum, pluribuſq; Senatoribus gravi ſermone adhortatus eſt: *Noveris Te Princeps Polonum, ad ſolium Regni Patrii electum, legum Poloniæ optimè gnarum; quare ad earum obſervantiam, ex nexu gratitudinis electori populo, & conſcientiæ, utpote juramento firmatarum, teneri & obligatum eſſe.* Publica hæc Regis admonitio magnorum motuum in Polonia fuit occaſio. Tam pro parte Regia, quam pro parte Primatis & Ducis, Palatinatus conſcribebantur. Fæderati pro Rege, Gołembium, (locus eſt ad Viſtulam) convenerunt, acturi pro integritate Regni & Majeſtatis. Hanc dum conciliare debuerant, magis proſciderunt. Primas Regni, Sobieski Dux, & alii pro perduellibus declarati.

Interea Archi Præſul Lovicii congreſſum celebravit. Pruſſiæ, Lithvaniæ, & nonnulli Poloniæ Palatinatus illi aderant. In eo puncta contra Regem conſcripta, totiq; Regno communicata ſunt. Dum ita Rex & Regnum in ſuam perniciem conſpirant, proh dolor!

Came-

(c) Naramowski L. I. C. III. (d) Idem ibidem.

Camenecum, antemurale Poloniæ, urbs à natura munita, per Turcas expugnatur, capitur, totaq; Podolia occupatur. Ad eam Provinciæ Polonæ jacturam ingemuit Orbis Chriſtianus, ſola Polonia vulnus hoc, ac ſi non proprium eſſet, aut leve, exiguo doloris ſenſu tulit, in gravius armata; dum anno ſequenti 1673. fædus ad Gołembium inchoatum proſequi, & exequi intendebat. Ita quandoq; magnîs non deprimimur malîs, ſed majora, imò maxima ipſi quærimus, quibûs plene obruamur. Cùm Varſavia contra Lovicium extrema meditatur, plurimi Senatorum Pharſaliam exoſi, ultimam Regni cladem averſuri, Regi, & fæderatæ Nobilitati, niſi velint Rempublicam perdendam, unionem animorum ſvadent ſupplices. Magno motu res hæc tractata. Tandem boni interni amor, multorum ferociam compoſuit. Andreas Trzebicki Cracovienſis Præſul, Chrapowicki, Palatinus Vitebſcenſis, Lovicium deſignati, feliciter rem egerunt. Primas Prażmowski, Sobieski Dux Exercituum cum ſuis venerunt Varſaviam, ac reclamato actu Gołembovienſi, Regi ſibiq; reconciliati, unanimi ore robur militiæ 60000. contra Turcas concluſerunt.

Prażmowski in dies debilior, cùm publicè profeſſus eſſet, Nihil ſe voluiſſe, nihil intendiſſe, illudq; ſolum conſuluiſſe & feciſſe, quod erat legibus conſonum, & Patriæ utile, ſub finem Comitiorum obiit 1673 Lovicii ſepultus, cum hac Inſcriptione: *Vir conſil.ô magnus, Eccleſiæ immunitates, & Patrias leges fortiter tutatus, paratum contra TyrannumOrbis Chriſtiani impetum, in ſe à civibus converſum fortis ſuſtinuit, ac demum de invidia victor, malaciam Patriæ reſtituit. Tandem morbô Pulmonis extinctus Jazdoviæ 1673. die 15. Aprilis, annô ætatis 56.*

M 2

LXIV.

LXIV.

FLORIANUS CZARTORYSKI

Equite Lithvano pro Stemmate insignis.

DUcum Lithvaniæ, Russiæ, ac primarum in Polonia Familiarum Sangvis. Nicolai Palatini Volhyniæ, Collegii Luceoriensis PP. S. J. munifici Patroni, & Isabellæ Ducis Corecensis, Filius. Michaelis, Palatini Sandomiriensis (qui in Duacensi S. J. Collegio, cum Samuele Carolo Duce Corecensi dans operam litteris, Hymnum D. Casimiri Principis Poloniæ, cum ejus effigie primus imprimi curavit) Frater. Juventutem Luceoriæ in scholis S. J. excoluit. Romam profectus, sub Joanne de Lugo S. J. postea Cardinale, Philosophicas & Theologicas theses cum magno plausu defendit. Doctoris lauream in Collegio Romano adeptus, sacris ordinibus initiatus, Laureti in æde Nazarethana primam Deo hostiam litavit. Redux ex Italia, Corpus S. Bonifacii E. M. à Cardinale Barberino donatum, Clevanium (bona sunt horum Principum) solenni apparatu introduxit: à Joanne Casimiro ad Posnaniensem Cathedram promotus, per Mathiam Lubieniúm, cujus postea funus sacra adornavit panegyri, in Præsulem consecratus, unde annô quartô ad Vladislaviensem translatus est.

Joannes Casimirus, cùm illum ad hanc Sedem promoveret, plenam laudis Floriani ad Innocentium dedit Epistolam: *Eâ generis claritudine, fulget in Regno nostro Casimirus Czartoryski, ut minimè nos latere potuerit, Ejus probitas, doctrina, & cæteræ egregiæ animi dotes, quibus urbis oculos, cum ibi studiorum causâ ageret, in se converterat.* Eo vel maximè Præsul hic erat commendatus, quòd nullam dignitatem ambiverit, nullam curaverit, licet Urbano VIII, Innocentio X. Ladislao, Casimiro, Regibus esset percharus. Fædus Swiderscianum

anum Patriæ perniciosum, in conventu Olboriæ, postea Leopoli, magno conatu & felici eventu dissolvit. Plura inter varios dissidia composuit, ex eo Antonomasticè *Præsul connexualis* (e) dictus. Post fata Prazmovii Archiepiscopus Gnesnensis, interregnum ab obitu Michaelis promulgavit. Ipse congregata pro Comitiis Nobilitate, subito calculi dolore oppressus è vivis abiit, anno 1674, Varsaviæ in Templo S. J. sepultus.

Cultui Deiparæ Virginis, per totam vitam apprime addictus, annis singulis sacram Ejus ædem Częstochoviæ invisebat. Imaginem S. Mariæ Majoris, Romæ curâ suâ depictam, omnium judiciô Romano prototypo similem, quam semper circumtulit, ultima voluntate Templo Cracoviensi Domus Probationis S. J. cum variis Sanctorum exuviis disposuit. Extat illa & colitur in Ara majori ejusdem ecclesiæ. Collegio Ravensi ejusdem Societatis bibliothecam & manuscripta donavit. *Electa Divi Augustini* (sic libro præfixus titulus) magnô studiô ex operibus hujus S. Doctoris collegit, & ordine Alphabetico disposuit, quæ post ejus fata, Thomas Stanislaus Niemiera Archidiaconus Vladislaviensis typo impressit.

LXV.

ANDREAS IV. OLSZOWSKI

De domo Prussorum.

VAleriani Castellani Spicimiriensis & Sophiæ Duninowna Filius. Calissii in Collegio Karnkoviano S. J. prima litterarum rudimenta posuit. Adolescens ad omnem maturitatem, & modestiam compositus, cùm ad Sacrum Ordinem aspiraret, Mater post indictum sibi, & toti aulæ jejunium, post susceptam sacram Synaxim, conductis eo fine sacrificiis, velut alterum Samuelem, Deo consecrans, in Ecclesia Vielunen-

(e) Niesiecki Tom: I.

nensi, veste Clericorum, à Sacerdote benedicta, eundem induit, plena spei, Andream Præsulem in vita se visuram. Spem ejus & vota Deus coronavit, nam ultimum diem obiit, cùm Andreas Regni Pro Cancellarius Culmensem Sedem moderaretur. Ivit brevi Patavium, ac Romam, ut ingenium maturius severioribûs scientiis expoliret: ubi Innocentio X. electo panegyricum scripsit, sub titulo: *Publica spes*, quo dum laudes hujus Pontificis comprehendit, ipse non postremas ab Urbe tota meruit, omnium ore dictus, Orator Poloniæ Doctor Romæ creatus, ivit in Galliam, ac Parisiis præstantium in Theologia Doctorum auditor, in admirationem sui ingenii Sorbonam traxit.

Reduci Nicolaus Koniecpolski Canonicatum Gnesnensem procuravit. Brevi à Mathia Łubienski, ejusdem Cathedræ Cancellarius, tum Regni Referendarius, Cracoviensis Decanus, Præpositus Posnaniensis factus, à Joanne Casimiro ad Culmensem Episcopatum promotus, Regniq; Pro Cancellarius promulgatus est. Diæcesim regendam ubi suscepit, ab iniquis usurpatoribus aliquot Ecclesias Catholicas vindicavit. Templum S. Jacobi, & cænobium Deo dicatarum Virginum Instituti D. Benedicti, Torunii à Crucigeris adhuc Anno 1311 erectum, frustra fremente hæresi, eisdem Virginibus restituit. Catholicos ibidem, ne opprimerentur à hæreticis, sua fovit authoritate. Ecclesias Culmæ, Starogardæ, Uiezdiæ restauravit, Olszoviæ verò, ubi sacro fonte tinctus est, de cocto latere erexit. Mariæburgum primus PP. S. J. introduxit. Eosdem Patres per Prussiam instituit, ut derelictum à suis Rectoribus gregem spirituali pascerent alimoniâ. Varsaviæ fabricam Templi Patrum Scholarum Piarum liberali manu evexit, Leopoli tempore famis 500 aureos in pauperes distribuit. Cracoviensi Academiæ plurimos libros contulit, impensasq; dedit, eo fine, ut bibliotheca Academica, esset usui publico. Abdicationem

nem

nem Joannis Casimiri, cum aliter fieri non posset, ad vota ejusdem perfecit. Delegatus à Republica ad *confæderationem* Lithvani exercitûs eam præmisit epistolam, quâ, judiciô Georgii Lubomirscii, Regni Mareschalci, Viri sago & toga emeriti, fortiorem, & ad persvadendum magis idoneam, ipse Chrysostomus non conscriberet. Illâ, & oris facundiâ effecit, ut fædus hoc militum, quod perniciem Regno, Magnoq; Ducatui satis afflicto minabatur, saniora susceperit. Francofurtum ad Comitia Germaniæ, pro electione Leopoldi ivit Legatus, in quibus evicit, ut miles Germanus ex Polonia revocaretur. Viennam postea expeditus, Eleenoram Austriacam Michaeli Regi despondit, eamq; in Poloniam Regia Majestate deduxit. Jusjurandum à Civitatibus Prussiæ nomine Michaelis Regis recepit.

Post fata Michaelis, Ordinibus persvasit electionem Piasti, id est Indigenæ; electusq; est, & à Trzebicio Cracoviensi Episcopo nominatus, Joannes Sobieski supremus Exercituum Dux, non ita pridem ad Chotimum gloriosus Turcarum Victor. Huic affectui Andreæ respondit Joannes, dum illum ad vacantem Metropolim Gnesnensem promovit, & ad Romanam Purpuram Clementi X. commendavit. Parabatur illa tanto Præsuli, sed Olszovius Patria dignitate contentus primus in Polonia esse maluit quam Romæ secundus: breviq; Joanni 1676. Cracoviæ insignia Regni detulit. Hujus Actûs festivitatem, obitam Olszowski maximæ duxit gloriæ; nam sepulchro suo hanc inscriptionem præfigi voluit.

JOANNIS III. CORONATOR

Hoc satis æternæ laudi, si cætera desint;
Cætera si fuerint, scribiten posteritas.

Archiepiscopus Gnesnensis, suæ Cathedræ marmoreum providit pavimentum: pro dignitate & prærogativa Primatiali cum nonnullis Præsulibus Poloniæ egit

jure

jure in Curia Romana, causamq; obtinuit. De hac dignitate edidit librum ut rerum notitiâ abundantem, sic Sedi Gnesnensi gloriosum. Lovicienſibus & Skiernievicenſibus Oeconomis, cùm lues peſtifera ſæviret, ne hominibus in neceſſariis ad vitam deeſſent, ſerio injunxit. Vix tribûs annis rexit Archidiæceſim, Vir de Religione, Patria optime meritus, die 29. Auguſti 1677. Gedani obiit, à P. Petro Dunin S. J. dilaudatus.

Sarmatiæ Primas, Gnesnæ caput, anchora Regni
Ore, Stylô, meritis, maximus OLSZOVIUS.

Suprema ſua voluntate, Gneſnæ ſepeliri voluit, ad latus Mathiæ Łubienſcii, à quo Uniejoviæ, quintus poſt ſe Primas prædictus fuit. Laboris ejus plura extant in typo monumenta. In vindiciis contra Svecos ingenii & ſtyli elegantiâ excelluit. *Kochowski in Climact. III. L. III.* hoc Andreæ inſcripſit elogium: *Tam candore inter Præſules, & integritate vitæ præcellens, quàm in Miniſterio aulæ prudentiâ & in Patriam affectu jure merito lilium inter ſpinas nominandus.*

LXVI.

JOANNES XIV. WYDZGA.

De Stemmate Jaſtrzembiec vide p. 79.

JOannis, Subjudicis Leopolienſis, copiarum Ductoris Filius, vividum & acre ingenium, in Polonis primùm gymnaſiis, dein per Europam excoluit. Lovanii Ericium Puteanum, Nicolaum Vernuleum, audivit Præceptores. Jus Canonicum, Andrea Vallenſe prælegente didicit. Galliâ, Hiſpaniâ, Italiâ peragratâ, Romæ Theologicis eruditus diſciplinis, ubiq; & famæ, & doctrinæ memoriâ relictâ, in Patriam redux Leopolienſis Canonicus, brevi Præpoſitus, à ſacris exedris Verbi Divini præconem egit, dicendiq; facundiâ, urbem hanc in ſui admirationem traxit.

Alexander Trzebinski Premislienſis Epiſcopus, Re-

Regni Cancellarius, ſangvinis conjunctione affinis, ſolidam doctrinam & præſtans ingenium Joannis noverat familiariùs, quare ad aulam Ladiſlai IV. eundem evocavit. In primo Regiæ aditu, adeò Regi placuit, ut poſt fata Stanislai Grochowſki Leopolienſis Archiepiſcopi, vacantem Abbatiam Sieciechovienſem acceperit. Imminente annô Sancti Jubilæi, Romam excurrit, à ſeverioribus curis, totq; annorum labore reſpirium nacturus. Inde redux Reginæ Ludovicæ Cancellarius, brevi Referendarius, Major Regni Secretarius, Joanni Zamoyſcio in Luceorienſi Sede ſucceſſit. Ad eam ſolennem parabat ingreſſum, ſed Carolô Guſtavô, Rege Sveciæ, armîs Poloniam impugnante, cum Rege & Regina, ejus Cancellarius, comes aulæ ivit in Sileſiam. Conſumptâ ibi longiore morâ, Cathedram ſuam Coſatica, Moſchovitica, Scythica hoſtilitate vaſtatam, inviſit, & deploravit. Ex qua ad Varmienſem translatus, illam æque Svecorum & Boruſſorum armîs attritam reperit. Cum Joanne Leſzczynſcio, Pro Cancellario Regni, Majoris Poloniæ Præfecto Regiomontum deſignatus, pacta Bidgoſtienſia inter Poloniam & Electorem Brandeburgicum ad effectum deduxit. Nobilitas Pruſſiæ (quæ nunc Ducalis eſt) ejuſq; Tractûs populi, juramentô præſtitô, Brandeburgum Ducem ſuum recognovêre. Subſecuta urbium à milite libertas: Fravenburgum, Brunsberga reſtituta Antiſtiti.

Suæ Sedi redditus Præſul, Sprinborgienſem PP. Ordinis Minorum de Obſervantia Eccleſiam ex ſolido muro erexit. Brunsbergæ Gregorio XIII. Seminarii Conditori ſequens elogium inſculpi fecit: *Gregorio XIII. Boncompagno, Patriâ, Bononienſi, Pontifici, virtute, doctrinâ, meritis in Urbem & Orbem, maximo, Seminariorum, pro diverſis mundi partibus, viginti trium, & in his, Brunsbergenſis pro Svecia, Gothia, Vandalia, Norvegia, Dania, Pomerania, Pruſſia, Livonia, Moſchovia, Ruſſia, Polonia Lithvania Hungaria 1582. Fundatori munificentiſſimo,*

mo, memoriam hanc erigi fecit, Joannes Stephanus Wydzga, Episcopus Varmiensis, ut legant & videant, qui carpunt, quæ non capiunt; Romanis Pontificibus esse simul, divitias, artem fruendi: & Catholicam Ecclesiam habere opes, non ut servet, sed ut bene eroget, anno 1664. Fasti S. J. p. 136.

Inciderant in ea tempora, fata Ludovicæ Reginæ, corpus delatum Cracoviam, funeris pompam Wydzga lugubris Orator adornavit. Joannes III. in Comitiis, dispensante Republica in sua lege 1676. eidem Sigillum Regni contulit & post obitum Olszovii Primatem nominavit. Viginti annorum Varmiensis Præsul, sex annorum Archiepiscopus, repentinô fatô sublatus, annô 1686.

Antistes hic, ut erat ingeniô magnus, in dicendo facundus, sic in respondendo subtilis & facetus. Invitabatur jam Archiepiscopus, à quibusdam Religiosis, pro adornanda eorum festivitate: excusabat, quantum potuit, inter alias rationes, etiam Primatialem dignitatem, & impedimenta interponebat: et cùm postulatam illi Religiosi augerent, saltem hac una vice, beneficium istud sibi concedendum flagitantes, locô responsi, argutam Joannes adduxit fabellam. Mater quæpiam, filium nacta, ut litterarum haberet studiosum, alphabeti notas eundem docuit, sed puer, ut eas addisceret, adduci non potuit. Multa egit mulier, blanditias adhibuit, ut saltem primas alphabeti litteras pronunciaret; tum filius subridens, reponit Matri, si A, B, C, didicero, facile trahar usq; ad Z. hôc facetô responsô Præsul importunas preces, fecit inanes. Ex aulicis ejus accusabatur unus cujusdam criminis, veritatem facti inquirit Præsul, negantem testimoniis convincit; sed pertinax famulus cuncta diffitetur. Reum & sceleris & mendacii pedissequum ad promeritam pænam destinat; metu pænæ perterritus famulus veniam rogat, & omnia se facturum spondet. Tum Wydzga: Quidam auceps, ait, longo studio aviculam pronuntiare docuit: *dicam carmen* contigit avem evolasse: ad consvetum locum & officium sæpius eam invitabat auceps, sed hæc libertate læta effugiebat manum: homo iratus retia avi tetendit cepit illam & plures alias; & dum socias enecaret, avicula timore correpta *dicam carmen* ingeminat, sed auceps: *malo carnem, quam carmen* respondit Adolescens quidam ab exteris redux, vana rerum experientià tumens, cùm præsente hoc Antistite, multa sinistre de illis oris narraret: Wydzga earum regionum bene gnarus, quærit: utrum in Italia in arce Tumen fuisset? Juvenis ut se sciolum ostenderet, fuisse se, arcemq; hanc prævalidam & bene munitam asserit: quærit denuo Præsul: fluvius, qui prædictam arcem alluit, cujus esset nominis? ac hæsitanti suggerit: forte Tiris. Nomen fluminis approbat adolescens, & profundum, navigatoniq; percommodum allegat. Ad eum sermonem subrisit Episcopus, aitq; si has binas voces: *Tumen Tiris* in unam composueris, quam efficient compositæ? Advertit se circumventum propria dicacitate adolescens, & confusus loquacitatis nimiæ, & exiguæ notitiæ opinionem de se reliquit. *Niesiecki Tom: IV.*

LXVII.

STEPHANUS WIERZBOWSKI

POst fata Joannis Wydzga promovebat eundem Joannes III. ad Gnesnensem Metropolim, sed Roma Expeditionem differebat. Ultimam diem obiit in Posnaniensi Sede. Illius gesta *vide L. II.* inter Posnanienses Episcopos.

LXVIII.

MICHAEL RADZIEIOWSKI

De Stemmate Junosza vide p. 136.

HIeronymi Pro Cancellarii Regni, malevolorum invidia, & Joannis Casimiri dissimulatione, de Patria

tria proſcripti, & Euphroſinæ Eulaliæ bini Nominis Tarnowska Filius. Favore & impensîs Ludovicæ Reginæ educatus. domi foriſq; excultô ingeniô, Italiâ, Galliâ, Germaniâ luſtratâ, ſanctiorem indutus togam, per minores gradus, Gneſnenſem Cracovienſem Canonicatum, Præpoſituram S. Michaelis in Arce Cracovienſi, promovente Joanne III. ſangvine juncto, ad Infulam evaſit Varmienſem, à Joanne Małachovio Epiſcopo Cracovienſi conſecratus.

Ipſo die ſolennîs ingreſsûs ſui in Cathedram, Chriſtianum Sect Juris utriuſq; Doctorem, & in Academia Regiomontana Profeſſorem, dogmata Lutheri ejurantem Romanæ reconciliavit Eccleſiæ. Circa adminiſtrationem ſacrorum nonnulla irrepſerant, quare librum Rituum Romanis cerimoniis conformem imprimi juſſit, & pro regula toti diæceſi propoſuit. Elbingam, Regiomontum Civitates Diæceſis ſuæ inviſit, & cùm ad Eccleſiam Regiomontanam pergeret, à Barone Truchſeſſio, Colonello Electorali, ex mandato Ducis Pruſſiæ, cum rhedâ & cohorte Equeſtris militiæ, obvio, ad ipſam Eccleſiam deductus eſt, iiſq; officiis humanitatis exceptus, quæ conveniebant Principi Electori. Diem S. Caſimiri, Principis Poloniæ, hactenus profeſtum, in ſua diæceſi celebrem indixit. Sacellum in Arce Heilsbergenſi & Eccleſiam Frauburgi adornavit.

Gratiâ Romanâ, & promotione Joannis III. Cardinalis S.R.E. ſub titulo S. Praxedis creatus, ac ab eodem Rege Primas Regni renunciatus, Clericos Inſtituti S. Vincentii à Paulo Lovicii conſtituit, dotem eiſdem aſſignavit. Interrex poſt fata Joannis III. Principi de Conte adhæſerat, eumq; Regem Poloniæ nominavit, cùm altera pars diviſæ Reipublicæ per Stanislaum Dąmbski Epiſcopum Vladislavienſem, Auguſtum Saxoniæ Ducem nominâſſet, quem 1699. die 16. Junii per diploma, uti verum & legitimum Regem recognovit;

vit; ſed poſt cladem Saxonum ad Rigam in Livoniâ, anno 1701. & iteratam ad Kliſzow in Palatinatu Cracovienſi 1702. die 26. Julii cùm Carolus XII, Rex Sveciæ armîs potens, & victoriîs elatus novum Regem Poloniæ eligendum exigeret; Cardinalis ut furori Svetico obicem poneret, Interregnum 1704. promulgavit. Subſecuta electio in conſveto electorali campo. Stanislaus Leſzczynski Palatinus Poſnanienſis in Regem electus, per Święcicciuni Epiſcopum Poſnanienſem nominatus, & in anno 1705. per Zielinſcium Archiepiſcopum Leopolienſem coronatus eſt. Huic electioni Radzieiowski erat contrarius, Stanislaus ipſe invitus trahebatur ad ſolium, ſed eò jam res proceſſerant, armîs Sveticîs promotæ, ut vulnus hoc Patriæ ſanari non potuerit, niſi plurium annorum conflictu, & plurimo ſangvine. Cardinalis ut remotior eſſet à curis publicis, & e longinquo fortunatiora expectaret tempora, Gedanum ſeceſſit, ubi mærore, & infortunô Patriæ conſumptus obiit 1705. Varſaviæ apud PP. Miſſionarios ſepultus. Vir in utraq; fortuna conſtantis animi, in dicendo facundus, in ſcribendo acutus.

LXIX.

STANISLAUS II. SZEMBEK

Tribûs rosîs, & binîs caprîs pro Stemmate inſignis.

FRanciſci Caſtellani Camenecenſis, & Sophiæ Pieniążkowna Filius, Poſt obtentam Romæ Juris utriuſq; Doctoris lauream, redux à Trzebiccio Cracovienſis Canonicus, à Małachovio ſocius laboris Præſulei; Suffraganeus Cracovienſis, & Vicarius in ſpiritualibus factus, ad primas in Polonia dignitates, prodroma virtute parabat greſſum. Poſt aſcenſum Stanislai Dąmbski ad Cracovienſem Sedem, promovente Auguſto II. Vladislavienſis Præſul, ac demum poſt obitum

Ra-

Radziejovii Archiepiscopus Gnesnensis. Adhuc Vladislaviensis Antistes sub tempus incursionis Sveticæ, cum vitæ periculo, facultatum detrimento, Regni clenodia, ut eorum integritati, & securitati provideret, extra fines Regni evexit. Pro hoc obsequio, grata Respublica, in Comitiis Lublinensibus anno 1703. publicas Stanislao egit gratias.

Regni Primas id intendebat maximè, ut in tuto esset Patria. Post delatum Stanislao Leszczynski Poloniarum Regnum, Rex Sveciæ cum exercitu perrexit in Saxoniam, hæreditarium Augusti II. Principatum, vi & armis ad abdicandum Regnum Poloniæ, Eundem adacturus. Magnis tributis exhauriebat Provinciam. Augustus ne propter solium Polonum, suas ditiones periculo exponeret, Tractatum Altransztadiensem, quo Regi Stanislao Thronum cedebat, subscripsit, & diploma abdicationis 1706. Eidem reddidit. Et licet brevi, anno eodem, cruento ad Calissium conflictu, gloriose de Svecis triumpharet, tamen Varsaviâ in Saxoniam redux, eundem Tractatum & abdicationem ratam habuit.

Contra potentiam Sveticam in anno 1704. pro defendenda Majestate Augusti II. Sandomiriæ fœdus inierat Respublica, *(f)* Stanislao Chomentowski, Præfecto Radomiensi postea Palatino Mazoviæ; Mareschalcô constitutô. Post Calissiensem Svecorum cladem, convenerant Leopolim, Regni Primas, Mareschalcus Chomentowski, & alii Proceres de bono Patriæ consulturi: Interea supervenit notitia de abdicatione Augusti II. Ad eam famam exterriti Senatores, totusq; Leopoliensis congressus juramentô se obstrinxerunt, pro tuendis legibus, fide, & libera electione, non priùs ab hoc jurerando, & Sandomiriensi fœdere liberi, nisi habito certo & legitimo Regnante: & ad fortiùs agendum, novum congressum in anno 1707. Lu-

(f) Pułaski.

blinum indixerunt, promulgatô per Primatem interregnô.

Noverant optimè Regni capacissimam indolem Stanislai, qui non tantum ab Andrea Załuski *(g)* adhuc Præfectus Odolanoviensis, *Deliciæ generis humani, decus Poloni, Patriæ communis amor. Ponendus semel in superbiam nostri sæculi, gaudium universæ plebis* dici & scribi meruit; sed à plurimis dignus soliô censebatur. Verùm, quia armis Sveticis imponebatur liberæ genti, vis hæc libertati illata, ne in præjudicium transiret ad posteros, vacantem Poloniæ thronum promulgârunt. Interea, ne magis divideretur Respublica, amantes Patriæ Cives in illo Lublinensi congressu, nihil de electione Regis statuerunt, sed consilium in aliud tempus distulerunt. *(h)* Interregnum tamen ad annum 1709. protractum, quo post plenam Moschorum Pułtaviensem de Svecis victoriam, 27. Junii partam, Augustus Torunium supervenit, & Tractatum Altransztadiensem ac abdicationem Regni, in Saxonia, vi fatorum subsecutam retractavit, ac Pacta Conventa, tum diploma Regium 1710. die 4. Februarii in Comitiis Varsaviensibus confirmavit. Eo modo Augustus II. Regno restitutus; plena tamen quies ab armis non data Poloniæ.

Milite exotico exacerbatus miles Polonus, ivit in fœdus, Ladislaum Gorzenski Ducem, a cujus nutu penderet, instituit. Palatinatus Russiæ, potior pars Minoris, & Majoris Poloniæ accessit fœderi. Tarnogrodi (civitas est Palatinatûs Russiæ) totius fere Poloniæ inita *Confœderatio* anno 1615. Stanislaus Ledochowski Succamerarius Cremenecensis, postea Palatinus Volhyniæ, Mareschalcus fœderatæ Reipublicæ electus. In eo rerum statu, extrema quæquæ metuebat Polonia, domesticis & externis oppressa viribûs. Ut tandem respiraret, & optata pace frueretur, suis consiliis Szembek

(g) Tomo II. Epist: Famil: (h) Pułaski.

bek contribuit. Hac felicitate Patriæ uti non diu permissum optimo Primati; obiit meritorum plenus 1721.

LXX.

THEODORUS POTOCKI

Pilavita Semitrina Cruce insignis.

FAmilia hæc, (ut ex testimoniis plurium concludit *Niesiecki Tom: III. fol. 598. & 682.*) Nominis sui conditorem habet Sulislaum Alexandri Filium, Nepotem Zyroslai, Boleslai Crivousti bellorum socii. De Benedicta hujus stemmatis, cænobii Krzeszoviensis in Pomerania, Divi Norberti institutum professa, rem singularem in exemplum servandæ, Deo consecratæ, castitatis, scribit Idem Author Tomo eodem *fol: 599.*

Dum Lithvani, adhuc infideles, late ditiones Polonas depopularentur, Krzeszoviensis religiosa ædes, illorum non evasit manus. Cum aliis Virginibus, & Benedicta ivit in prædam, ac vincula. Hæc dum periculum suæ Virginitatis adverteret, nec illud precibûs, lachrymis avertere posset; lenoni, modò ab impia intentione desisteret, secretum, quo ab ictu cujusvis ferri liber esset, se manifestaturam spopondit. Dedit fidem homo notitiæ ejusmodi avidus; Tum Benedicta *Dictorum* inquit *veritatem experieris, si os aliquod frontis meæ, tecum circumferes.* Hoc astu Virgo illusit lenoni, caputq; eligens vitæ, quàm pudicitiæ jacturam, acinaci submisit, quod impius amputavit: nullum tamen beneficium nactus, brevi à Davide Grodeccio hastâ transfixus occubuit. Corpus verò Benedictæ Krzeszoviæ cum debita reverentia conditum est. Id ipsum scribit in Vitis sui Ordinis, non ita pridem in lucem editis, sub die 2. Julii Daniel Kraszewski Vitoviensis Abbas.

Domus hæc ut à primordiis, opibûs & honoribûs enutrita, sic in Sago & Toga (vix enim aliquis est in Republica Magistratus, qui huic Familiæ non esset domesti-

mesticus) heroicis virtutibûs, & constanti in Patriam amore, adulta, crescit in decus Poloniæ. Id illi deerat, ut Primatialem, Vice Regiam, inquam, in Polonia dignitatem haberet propriam, illam in hoc Theodoro nacta est.

Theodorus Pauli Castellani Camenecensis, scientiâ, & libris in lucem editis, orbi noti, & Eleonoræ Sołtykowna Filius. Finitis in Polonia studiis, Romam excurrit, ubi sub Allemanno & Caregno Professoribus, in Collegio S. J. Romano, Theologiæ operam dedit, magna ingenii & Nominis sui laude. Redux, Præpositus Premisliensis, & Canonicus Cracoviensis; 1699 in Culmensem Episcopum consecratus, 1711. ad Varmiensem Sedem translatus, tandem 1722. Regni Primas ab Augusto II declaratus est.

Antistes nullis laboribûs fractus, nullis Reipublicæ curis in officio optimi Præsulis impeditus; ita se permittebat Patriæ, ut Dei esset integer: illum non ætas gravior, non domestica, non publica negotia retrahebant à solicitudine Pastorali, à studio Ecclesiarum, ex quibus binas Societatis JESU Petricoviæ & Ravæ consecravit: liberalitate verò plures condidit, in Deum, ejus famulos, & diæceses munificus. In Varmia Crosensis, Norbergensis, Sprimbornensis cum cænobio PP. Ord: Min: de Observantia, Varsaviæ cum domicilio PP. S. J, Provinciæ Polonæ, Lovicii cum ædibus FF. Instituti S. Joannis de Deo, ibidem S. Joannis cum domo pro commodo Sacerdotum seniô & laboribûs fractorum, erectæ Ecclesiæ: eadem in urbe Sacellum SS. Rosarii & ara Deiparæ ad Templum O. d: Prædic: alterum Gnesnæ in Principe Basilica (in quo post fata quiescit) perfecto opere exstructa: Turris ad eandem Cathedram ære tecta: in veteri Rava & Koscierzoviæ ædes sacræ de ligno constitutæ, multæ aliæ censibûs, sacro apparatu dotatæ: beneficentiæ Theodori

dori monumenta sunt. Retinent gratias Principis hujus Arces, Lovicienſis, quam reſtauratam picturis & ſacellô adornavit: in Varmia, Helsbergenſis, Vattenbergenſis, Vornetenſis, Brunsbergenſis reparatæ: Bisdorfienſis vero & Szmolenenſis ex fundamentis poſitæ: Varſaviæ palatium Primatiale magnis impensis inſtauratum & auctum: Civitas Lovicienſis poſt flammas ex cineribus ſuæ integritati reſtituta: Ad Collegium Torunenſe PP. S. J. Theologica facultas, Lanciciæ ad ædes eorundem Patrum (quos hanc in Urbem introduxit) contubernium Nobilium pauperum ſtudioſorum munifica manu conſtitutum. Brunsbergæ domus pro converſis ad fidem erecta, ac pro duodecem alendis dos numerata. Pauperum greges quotidianis eleemoſynis proviſi, tempore famis, Lovicii octingenti, ducenti Skiermeviciis Præſulea penu ſuſtentati, Virgines, quibus, ne nuberent honeſte, egeſtas e-rat impedimentô, exdotatæ: hæ ſortem ſuam, illi vitam adſcribebant Theodoro.

Innata vero Genti Potoccianæ fidei & Divini honoris cura, quanta fuit Præſuli huic! Cum regeret diœcesim Varmienſem, contigit: Ebria plebs ruſtica ſterilitatem agrorum acerbe ferens, ac ſi ſangvine reficienda eſſet, Chriſti Crucifixi effigiem flagellaverat. Novos glorioſi Numinis in ſua imagine tortores pro pænis remiſit ad judicium civile, quod ad ſecures damnavit ſcelus: Theodorus vero, ut monumentum vindicatæ læſionis in ſua effigie Chriſti ad terrorem & continuam reverentiàm poſteritati relinqueret, in loco delicti Szynveziæ ſacellum erigi curavit cum inſcriptione: *Pœnæ non pietatis opus.* Nieſiecki Tom: III.

Nunquam prætermitti, nec ſatis celebrari poteſt zelus hujus Primatis in cauſa Torunenſi contra ſacrarum Imaginum violatores. *Facinus hoc vide L. IV. C. III.* Nonnulli Principes per ſuas Legationes, Torunenſibus Decretô Regiô ac ſi injuriam illatam beneficiis com-

compenſandam intendebant: eoq; fine annô 1725 ſuis ad aulam Polonam Oratoribus puncta apud Rempublicam obtinenda commiſerunt, & niſi id faceret, arma minabantur. (*a*) Intentionibus his Theodorô, præcipuo Authore obſtitit Rex, Senatus & Nobilitas, viribus vires opponere parati. Hôc obſequiô Fidei Catholicæ Potocki haud contentus, ut hæretici nulla dignitate eminerent in Polonia; per *Confæderationem* Ordinum in Comitiis Convocationis poſt obitum Auguſti II. 1733. die 27. Aprilis celebratis, ejus efficaci ſvaſione lex lata, qua ab officiis in Comitiis, Tribunalibus, à dignitatibus quibuſvis Palatinatuum, Terrarum, & Caſtrenſibus, in Regno univerſiſq; Provinciis Diſſidentes à Fide Catholica arcentur: eisdem conventicula, patrocinii alicujus apud exteros Principes tam per ſe, quàm per alios procuratio ſub pænis ſuper perduellibus ſancitis prohibita. (*b*) Lex hæc ut poſteritati maneret approbata; eam in Comitiis 1736 ſub feliciter Regnante Auguſto III. confirmatam effecit. (*c*) Nec id Diſſidentes mirentur; conſulant Regna, ditiones à Romana Eccleſia alienas, & advertent, quibûs ſtatutis etiam contra jura Gentium fides Catholica illis in oris circumſcripta ſit.

In tractandis negotiis, componendis inter Nobilitatem diſſidiis, plus quàm felix. Auguſtus II. ejus conſiliô multa egit: ad ſuas ditiones hæreditarias abiturus, illius curæ Rempublicam committebat: nec fefellit opinionem Auguſti Theodorus, ita res Poloniæ moderabatur, ut nullum detrimentum ſubierint. Viri dexteritas, compoſiti ad omnem humanitatem mores, adeò omnium, Civium merebantur amorem, ut facile inclinarentur animi, quò illos ſolicitudo optimi Primatis convertit. Conatu ſuo in rebus agendis efficaci non aliter nominari meruit, niſi *Magnus Primas.* Comitia Grodnenſia quòd ſuum effectum nacta ſint? Tribunal Re-

N 2

(*a*) *Pułarki* (*b*) *Volum: Leg: VI.* (*c*) *Ibidem.*

Regni, quod ad æquitatem legibus circumscriptum fuerit? Theodori virtus fecit.

Ab obitu Augusti II. Inter Rex Rempublicam convocavit, Serenissimum Stanislaum olim electum, in Regem Poloniæ nominavit, cum quo ivit Gedanum, ubi obsidione à milite Rossiaco cinctus cessit fortunæ: ac Serenissimum Augustum III. Principem Saxoniæ, Augusti II. Filium, & Paternarum virtutum hæredem in Comitiis Varsaviensibus 1736. Regem Poloniæ recognovit & adoravit, magnoq; in rebus componendis eidem fuit adminiculô. Festum S. Adalberti M. Archiepiscopi Gnesnensis, si incidat in festa Paschatis, impetravit Romæ etiam cum Octava transferendum, & sic translato Feriam secundam post Dominicam in Albis celebrem populo quoq; designavit.

Tantorum meritorum in Patriam Præsul Varsaviæ 1738. die 13. Novembris magnô totius Poloniæ congregatæ luctu sub tempus Comitiorum obiit. Cor Principis ultimâ ejus voluntate in Templo Varsaviensi Societatis JESU Polonæ depositum, ut illi & mortuus viveret, quam vivens fovit pectore. Corpus ex palatio Primatiali à duodecem Episcopis cum magno Procerum Regni & M. D. Lithvaniæ primo Principi parentantium comitatu, omnium maximo dolore deductum, Gnesnæ sepultum est.

Illo Archidiæcesim moderante P. Georgius Gengel S. J. 1727. die 15. Decembris ultimum diem obiit Calissii. Vir vitæ integritate, Religiosi Instituti observantiâ, charitate proximorum insignis. Ejus fuit effatum, quo se & alios ad perfectionem animabat: *Vita brevis, æternitas immensa, laboremus pro gloria Dei & patiamur.* Parva adhortatio, sed instructione magna. Diem Immaculatæ Virgini sacram, videlicet festivitatis ejus Octavam, ut optaverat, cujus honorem etiam libris editis defendit, extremam vitæ expertus est.

LXXI.

LXXI.

CHRISTOPHORUS SZEMBEK

De Stemmate Szembek Vide p. 189.

STanislai, Burgrabii Palatinatûs Cracoviensis, Viri, virtute bellica, in illo memorabili ad Berésteczkum conflictu clari, & Christinæ Załęcka Filius. Canonicus primum Vladislaviensis, & Archidiaconus Pomeraniæ, ad Tribunal Regni Judex Deputatus, meritis suis maxima deberi ex justo probavit. Episcopus Livoniæ, Mogilnensis Abbas, bona licet exigua hujus Episcopatûs, ut haberent Præsules hujus Provinciæ, ubi subsisterent, justâ summâ pecuniæ redemit. Difficultates quasvis inter Nobilitatem Livoniæ feliciter composuit immunitatum hujus ditionis defensor strenuus. Bartholomæo Tarło in Posnaniensi Sede successit. Diæcesis hæc plures numerat etiam ex Nobilitate hæreticos, eorum in fide licentia fana sectarum suarum erigebat, aliâ, Magnatum dissimulatio permittebat. Zeli plenus Antistes, & legum vindex Senator, authoritate & jure egit, effecitq; ut per decreta variorum subselliorum, fana contra leges erecta, demolita fuerint.

Brevi ad Vladislaviensem annô 1720. promotus Sedem, ad Carolum VI. Imperatorem Romanum, Legatus, ut averteret bellum Turcicum a Polonia; negotium ad vota Patriæ conclusit. Insuper effecit, ut jura cænobii Trebnicensis, in Silesia, à Ducibus & Regibus Poloniæ benigne concessa, in suo essent robore, & Sacrosancte servarentur. Ivit & ad Petrum Rossiæ Carum Orator Potonnam, ac tormenta bellica, ex arcibus Russiæ, & Ukrainæ evecta, pluresq; Polonos ex servitute Moschovitica in libertatem vindicavit. In causa Toruniensi, contra sacrilegum urbis hujus facinus designatus, judicio ex mente Reipublicæ præfuit, meritasq;

 pænas

pœnas sceleri decrevit. Summas Neapolitanas (hæ à Sigismundo Augusto, donatæ fuerant Reipublicæ) per plures annos indefessô vindicabat studiô, eas ut optato fructu repeteret, *Confœderatio* Ordinum 1733. die 27. Aprilis in Comitiis Convocationis, eidem commisit.

Post fata Theodori Archiepiscopus Gnesnensis, neglectum ab Antecessoribus suis usum purpuræ obtinuit, nullumq; Primatiali dignitati, per collatam Joanni Lipski, Cracoviensi Episcopo purpuram Romanam, præjudicium permisit. Templum & Scholas Lutheranas, quas Torunenses inchoaverant, impedivit. Meritorum in Patria, & dierum plenus, immunitatis Ecclesiasticæ. & fidei Catholicæ contra dissidentes defensor, pauperum plusquam Pater, annô 1748. obiit, honorem tumuli nactus Lovicii.

LXXII.

ADAMUS KOMOROWSKI

De Familia Korczakorum,

Hac tribus fluviis in campo rubro, insignis est.

PAtre Joanne, Matre Catharinâ Szuhmierska Dapiferi Novogrodensis Filiâ genitus, teneram ætatem sub optimis Professoribus ad summa excoluit. Altiorem, Philosophicis scientiis, in Academia S. J. Vratislaviensi, Theologicis Cracoviæ in Collegio S. J. & Romæ in Collegio eorundem PP. expolivit. Redux Cancellarius, tum Præpositus Cracoviensis, in illo Episcoporum Seminario, ad supremas Poloniæ Infulas maturuit. Ad Tribunal Regni Judex Deputatus, merebatur, ut victor & victus judicis sententiam probaret.

Contigit Lublini, militem, (qui stipendia merebat inter præsidiarios ad tuendam Vice Regiam Majestatem) gravi infirmitate decumbere, & hæresim, quam cum lacte suxerat, ejurare velle. Sed Sacerdoti, qui obsequiô spirituali adesset ægro, temeritas heretica illius militiæ aditum prohibebat. Factum hoc ubi Ada-

Adamo innotuit, Judex à tota curia Tribunalitia ad ausum hæresis in urbe Catholica comprimendum decisionem evicit, qua admitti jussus Sacerdos, fatiscentem militem Ecclesiæ, & cælo lucratus est.

Ea, & in pluribus aliis, Viri dexteritas perspecta erat omnibus, nota & Augusto III. feliciter regnanti; quare ut illum solii consiliis viciniorem haberet, Primatem Regni nominavit, Benedictus XIV. confirmavit. In Archi Præsulem ab Andrea Załuski Cracoviensi Episcopo 1749. annô. consecratus, munus Præsuleum ab exercitio officii Episcopalis inchoavit, brevi aliquot Ecclesiis consecratis. Christophorus Szembek, ejus in Sede Metropolitana Prædecessor, ad augendam Primatialem authoritatem, usum purpuræ (ut dictum superius) permissum habuit; sed quia hoc beneficium illi soli Roma concesserat, Adamus ut illud Metropolitanis Gnesnensibus perenne faceret, Bullam Benedicti XIV. impetravit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD decorem Ecclesiæ Sponsæ Dei, cujus Regimini summi Magistri dignatione præsidemus, nonnulla aliquando, quæ inclyta ac præclara generis nobilitate, peculiaribusque animi dotibus, pollentes Præsules, nec non Catholici Regalesque, & de Catholica Ecclesia optime meriti Principes promerentur, Apostolicâ dignatione elargimur, ut & ipsi Præsules Catholicique Principes, in suis precibus de nostra satis liberalitate probati, erga Nos & Sedem Apostolicam amantes reddantur & benevoli. Sane pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri, Augusti, Poloniæ Regis Illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm Ecclesia Archiepiscopalis & Primatialis Gnesnensis, quæ de Jure Patronatûs, præfati Augusti & pro tempore existentis Poloniæ Regis, ex privilegio Apostolico, cui

non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur celebris, & magni Nominis existat, illiusque pro tempore existens Archiepiscopus & Primas, in Generalib9 totius Regni Poloniæ Comitiis, Primatum habeat, ac prima post Regalem fulciri dignoscatur dignitate, ipsumque pro tempore existentem Archiepiscopum & Primatem, singuli cujusvis generis Regni præfati homines, magna æstimatione prosequantur, parique veneratione intueantur; idcirco Ecclesia Gnesnensis, illiusque pro tempore existens Archiepiscopus & Primas præfati, digni videntur, ut infrascriptis Privilegiis decorentur: Si igitur, sicut eadem petitio subjungebat, præfatis, quibus Ecclesia ipsa Gnesnensis, ejusque pro tempore existens Archiepiscopus & Primas præfati, gaudent prærogativis, illud etiam accederet, ut præfatus pro tempore existens, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus & Primas, habitûs rubri seu purpurei coloris, eisdem, modô & formâ quo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ad præsens gestant & gestare solent, aliorumque infrascriptorum usu, per Nos & Sedem Apostolicam, ut infra perpetuo decoraretur, ex hoc profecto, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopalis & Primatialis dignitas, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, non modicum susciperet incrementum. Quare pro parte dicti Augusti Regis, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Privilegiis & Prærogativis, Archiepiscopalis & Primatialis Dignitatis hujusmodi, nova gratiarum ac largitionum specimina cumulare, ac Dilecto Filio Adamo Komorowski Presbytero, in Archiepiscopum & Primatem Gnesnensem Electo, ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eidem Adamo Electo, specialem gratiam facere volentes, ipsumque Adamum Electum, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a Jure vel ab homine, qua-

quavis occasione vel causâ latis, si quibûs quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus benignè inclinati, Eidem Adamo Electo, ejusque in Archiepiscopatu & Primatu Gnesnensi Successoribus, pro tempore existentibus, ut Ipsi quibûsvis anni temporibûs & diebûs, ubique locorum, & in omnibus & singulis functionibus, habitum rubri seu purpurei coloris, adinstar præfatæ S. R. E. Cardinalium, nempe collare, subtanam cingulum, mantelettam, mozzettam, caligas, Birretum, Berettam, aliudque capitis tegumentum nuncupatum Berrettone, hyemali tempore in Regno Poloniæ adhiberi solitum, exceptô tamen pileô, rubri seu purpurei coloris, cujus usus eidem Adamo Electo ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successoribus præfatis, nunquam concessus, quin imò expresse prohibitus sit, & esse intelligatur, utpote distinctivus ejusdem S. R. E. Cardinalium, deferre & gestare; nec non cum Cruce Archiepiscopali, ante se erecta, in omnibus & singulis locis, ac etiam in ædibus & mansionibus seu cubiculis, dilecti etiam Filii, moderni & pro tempore existentis, Nostri & Sedis Apostolicæ Nuncii, in præfato Regno Poloniæ commorantis, non secus ac cum Cruce erecta, hujusmodi ipse pro tempore existens, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus & Primas incedit, usque ad mansiones Regalis Palatii, semper incedere, respective possint & valeant, & quilibet eorum possit & valeat; cum hoc tamen, quod per gratiam præsentis concessionis habitûs rubri seu purpurei coloris hujusmodi, & per incessum cum Cruce semper erecta, ubique locorum, illius vigore, ut præfertur habendum, dictus Adamus Electus, ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successores, pro tempore existentes præfati, acquirant duntaxat merum majoris honorificentiæ signum, pro sublimi eorum

eorum dignitate, non autem majorem jurisdictionem, nec ullum majus Jus in Nunciatura Apostolica, aut in quovis alio loco. Unde idem modernus, & pro tempore existens noster & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncius, semper & quandocunque, primum habeat & habere debeat locum, & præcedat ac præcedere debeat, & manu dextera semper gaudeat, ac etiam gaudere debeat, respectu ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscoporum & Primatum, quatenus tamen isti Cardinalitia dignitate non præfulgeant, ubique locorum, præter quam in propriis dicti Nuncii ædibus, & non alias, aliter, nec alio modo, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus, ac licentiam & facultatem desuper impertimur. Nec non Eundem Adamum Electum, ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successores, pro tempore existentes præfatos, desuper à quoquam, quavis Auctoritate molestari, inquietari, ac perturbari, nullatenus unquam posse, neque debere, ac easdem præsentes ex quocunque capite quantumvis juridico & legitimo, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari nunquam posse, sed eas semper & perpetuò validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; nec eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & fore, ac Adamo Electo, Illiusque Successoribus, dictæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopis & Primatibus, pro tempore existentibus præfatis, perpetuò suffragari; sicque & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios vel Delegatos, quavis Auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dicturaque

&

& alios præfatæ Sedis Nuncios præfatos, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his, a quoquam quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obstante Nostra & Cancellariæ Nostræ Apostolicæ regula, de Gratiis non concedendis, adinstar, & quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis & quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ Gnesnensis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consvetudinibus, privilegiis quoque Indultis & Litteris Apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, eisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime & plenissime hac vice duntaxat, specialiter & expresse, harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam, nostræ absolutionis, concessionis, indulti, licentiæ & facultatis, impertitionis Decreti & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, Annô Incarnationis Dominicæ, millesimo

septen-

septingentesimo quadragesimo nono. Decimo Calendas Octobris, Pontificatûs nostri, Annô decimô.

Festum S. Joachimi Patriarchæ, Patris Deiparæ Virginis, quod die XX. Martii ritu duplici celebrabatur, ut solennius in Polonia coleretur, postulatis Serenissimi Augusti III. Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ, ad ritum duplicis primæ classis cum octava, Roma elevavit, cui sic elevato, Adamus Primas Dominicam primam Septembris in perpetuum designavit. Sanctusq; hic Patriarcha, primis Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ Patronis annumeratus est. Magnæ spei & expectationis Primas, regiminis annô decimô, ætatis suæ 58, à Christo nato 1759. die 2. Martii Skiernieviciis mortalitatem exuit, ultra 15000 in varias Ecclesias, & animæ suffragium dispositis. Lovicii sepultus.

Ejus temporibûs, in Congregatione Generali PP. S. J. Romæ, post electionem A. R. P. Aloysii Centurioni, die 30. Novembris 1755. in Præpositum Generalem, Assistentia Polona erecta est 1756. primusq; illius Assistens electus in eadem Congregatione R. P. Thomas Dunin pro tunc Collegii Calissiensis Archidiæcesani Rector. Provincia quoq; Polona S. J. eodem anno 1756. in duas, Majoris, & Minoris Poloniæ, Provincias divisa: prima, R. P. Franciscum Kozminski, altera, R. P. Ignatium Moszynski, primos Provinciales nactæ sunt.

LXXIII.

LADISLAUS II. LUBIENSKI

De Stemmate Pomian vide p 62.

ANtistes hic, Prædecessoribus suis, quos in Præsulibus, Viris, toga & sago de Patria plusquam bene meri-

meritis (d) amavit & coluit Polonia, debet multa, propriæ virtuti, & meritis omnia. Mathia, Venatore Siradiensi, & Marianna Stokowska 11. Nov: 1703. genitus ætatem in Scholis Calissii PP. S. J. expolitam, ut cultiorem redderet, Italiam, Galliam, aliasq; Provincias lustravit: ac optimorum, & eruditorum imitatione, in se expressit. In Patriam redux dignitatum Ecclesiasticarum de Viro contendentium meta factus est. Decanus Gnesnensis, Cracoviensis Scholasticus, Sandomiriensis Custos, Præpositus Infulatus Łascensis, Judex ad Tribunal Regni, Supremus Regni Notarius, Abbas Paradisiensis. Librum scripsit stylô Patriô, sub titulo: *Orbis, in omnibus suis partibus, majoribus, & minoribus: Imperiis, Regnis, Ducatibus, Provinciis, Insulis Urbibus, Geographicè, Chronologicè, Historicè comprehensus:* typîs Vratislaviensibûs editum. Opus singulari rerum copiâ, non postrema ex parte, à propria notitia, ut abundans, sic ingenti labore ac studiô comparatum.

Plurium annorum ætatem in Officio Notarii Regni insumpsit, ut consiliis suis Augusto III. & Patriæ longius prodesset. Post obitum Nicolai Dembowski, qui a fatis Nicolai Wyżycki, ad Metropolim Leopoliensem promovebatur, Leopoliensis Archi Præsul, Benedicto XIV. confirmante, 7. Maji 1758. Varsaviæ consecratus, Anni ejusdem 3. Augusti in confluxu Procerum, Ducum exercitûs Poloniæ, solennem in Ecclesiam suam ingressum adornavit.

Præsul tantus, ut non uni præesset Metropoli, ad Gnesnensem, in Regno supremam favore Augusti III 11. Martii 1759 evectus est. Lubenti animo illius nominationem accepit Clemens XIII. & 9. Aprilis in Con-

(d) Lubienscii utramq; in Polonia Metropolim, Gnesnensem Leopoliensem: Episcopatus, Cracoviensem, Vladislaviensem, Posnaniensem, Plocensem, Luceoriensem, Chelmensem rexerunt. Posnanienses, Palatini, Sandomirienses, Siradienses, Gnesnenses curules Castellani adornârunt.

Consistorio, Romæ, eo fine extra ordinem congregato, Archiepiscopum Gnesnensem promulgavit. Ea Ladislai ad Primatialem dignitatem promotio, quam lætitiam attulerit Pontifici huic? docuit Ipse suis litteris ad eundem datis die 10. Aprilis. *Facilè Fraternitati Tuæ erit comprehendere, quantô superabundaverimus gaudiô, cùm Te Venerabilis Frater, in Archiepiscopum Gnesnensem, à Polona Majestate nominatum fuisse accepimus. Insignes enim Pastoralis animi Tui dotes, & præclara merita, publicô celebrata præconiô, & Regia ipsa commendatione, etiam comprobata, sperare Nos jubent, ut ex sapientissimo hoc, & præhonorifico tanti Regis, de Fraternitate Tua, latô judiciô, major in dies, animabus Tibi concreditis, & toti Regno fructus, in hac præsertim asperrima rerum, temporumq; conditione, Domino miserante provenire debeat* Gratulatus est & Serenissimo Augusto eum Primatem, cujus operâ & studiô, Regnum hoc Senatorem, Ecclesia Catholica Præsulem, & Pastorem vigilem ac strenuum nacta est. *Cùm fama ipsa prænunciante* (scribit Clemens) *Sacerdotales virtutes, atq; insignia Venerabilis Fratris Ladislai, hactenus Archiepiscopi Leopoliensis merita, jam Nobis forent nota, & abunde comperta, facilè exinde conjicere poterit Majestas Tua, & quantum ex præconiis Tuis, nostra de illo præconcepta opinio incrementi susceperit, & quantum lætitiæ, voluptatisq; Nobis attulerit, jucundissimus Nuncius nominationis abs Te de Ipso factæ in Archiepiscopum Gnesnensem, totius Regni Primatem futurum. Qua propter Sapientissimum Majestatis Tuæ consilium Apostolicis laudibûs prosequentes fore inDomino confidimus, ut sub tanto Viro, ad tam arduum munus, in hac præsertim temporum asperitate electo, non solùm res ad commissarum sibi animarum salutem, pertinentes, sed etiam temporales florentissimi Regni Tui rationes prosperè procedant, & augeantur.*

Proxime, bullæ Romanæ expeditionem nactus, die 28. Aprilis coram Nuncio Apostolico solitum juramentum deposuit & 1. Maji pallium, Archiepiscopalis

palis dignitatis signum & decus, ab Illustrissimo Ostrowski Livoniæ Episcopo solennibûs cerimoniis, Varsaviæ, aulâ Regiâ plaudente accepit. Alexandrô verô Gembarth, Virô in Republica Ecclesiastica maxima merente, in Tribunalibus Regni Judice, & supremô sæpius arbitrô, Archidiæcesis, vacante Sede ab obitu Komorowscii, Administratore, Gnesnæ Archi Præsulem denunciante, jurisdictionem Pastoralem, tertitius (*e*) ex Archiepiscopo Leopoliensi fundavit.

Et certè afflictis his Poloniæ temporibus fortunatior dari non poterat, qui bono Patriæ, & Ecclesiæ provideret. Judicio Clementis, expectationi Serenissimi Augusti, totius Regni respondet Senatûs Primas, gregi præest, vigil Pastor. Conatus & studia, cùm Polonia nequeat, Roma coronet: gloriosa facta sequatur & imitetur posteritas.

CAPUT QUARTUM
De Archiepiscopatu Leopoliensi

SEdes hæc, primum Haliciæ, in Urbe olim Regni Haliciensis, (cujus populum nonnulli Galatas (*f*) fuisse putant) erecta est. Sed quo tempore? diversi sunt Authorum sensus. *Bzovius C.III. & VI in Vita S Hyacinthi* scribit: quod ante Casimirum Magnum, plusquam 150, annis, Haliciæ in Russia Archiepiscopalis dignitas floruerit. Annô enim 1208, ait, Primum Archiepiscopum hujus loci, Bernardum S. Dominici Instituti, Cremâ oriundum a S. Hyacintho deductum, cui in dotem Ecclesiæ, civitas Tunstan data est, postea pro fide Martyrem. *Okolski in Russia florida pag: 57,* alterum ejus-

(*e*) *ex Archiepiscopatu Leopoliensi ad Archiepiscopatum Gnesnensem assumpti sunt: Nicolaus Trąba annô 1411 & Andreas Boryszewski annô 1503. & hic Ladislaus 1751.*

(*f*) *Sarnicki in Descript: Poloniæ.*

ejusdem nominis, & Ordinis, ArchiPræsulem à Tartaris pro fide pariter interfectum allegat, Antonii Ordinis ejusdem, Patria Senensis, meminit Skrobiszovius 1230 anno. *Gaspar Jongelinus in D. Bernardi Purpura* de Gerardo Ordinis Cistercien: ArchiepiscopoRussiæ innuit 1254.

Certum est, quod Sedes Apostolica, in his Provinciis fidem Christi dilatari advertens, Antistites, qui novum gregem pascerent, providit, licet hi stabiles Episcopatuum dotes non habuerint. Cæterum Archiepiscopos Halicienses, superiùs nominatos, illis fuisse temporibûs, haud crediderim. Bernardum Cremensem Ord: Prædic: S. Hyacinthus deducere nequivit. Hic enim SanctusOrdinem D. Dominici ante annum 1208 duobûs circiter annis confirmatum forte non noverat, ab Ivone Episcopo Cracoviensi (qui eam Sedem circa annum 1218, moderari cæpit) Patruô suô, Canonicus Cracoviensis institutus, ejusdem Patrui comes itineris Romani, ab ipso S. Patriarcha Dominico susceptus, Ordinem Prædicatorum professus est *vide vitam Ivonis C. V* & præterea, cum Filius Regis Hungariæ, Andreæ, Colomanus in Regem Haliciensem inaugurandus esset, anno 1208. Rex Hungariæ Innocentio III. scripsit, ut eam festivitatem Archiepiscopus Strigoniensis obiret, quam absolvisse scribitur Vincentius Kadłubek Cracoviensis Episcopus, præsente Ivone Odrovąz o, Cancellario Regni, (g) cui forte Archiepiscopus Haliciensis non cessisset, nec permisisset fieri præjudicium jurisdictioni suæ De nde cum S. Hyacinthus, juxta eundem Bzovium, 1232. fidem in Russia propagaret; Gerardum Ord: Præd: Provincialem, instantibûs Ducibûs Russiæ, à Gregorio IX. primum Episcopum Russiæ, non Haliciæ, sed Kioviæ constitutum esse, idem Bzovius affirmat.

Długossius, Cromerus, Miechovita, Scriptores Polo-

(g) *Sarnicki Lib: VI.*

Poloni, initia hujus Cathedræ, jam Casimiro M. jam Ludovico, Poloniæ Regibus tribuunt. Per Casimirum ab Urbano V. per Ludovicum à Gregorio XI, Episcopalem Haliciæ Sedem impetratam scribunt. *Cromerus Lib: XIII.* ait: quod à Casimiro M. Leopoli Sedes Episcopalis, Haliciæ vero Metropolitana, primordia sua habuerit, cùm Metropolis absq; Suffraganeis Ecclesiis esse non possit. Quæ Sedes Metropolitana ubi Leopolim translata est, Leopoliensis Episcopalis Cathedra Camenecum in Podoliam translata, ab urbe hac Camenecensis dicta est.

Hoc præmisso Historicorum sensu, certum est, quod Metropolis in Russia, opus fuerit Casimiri M. Hic enim Princeps, (ut Spondanus & ipse Bzovius) ampliatis finibûs Poloniæ, alteram post Gnesnensem, instituere volens Metropolim, Joannem Pakoslaum Rzeszowski 1361. ad Innocentium VI. expedivit Oratorem, sed quia hic Avenione obierat, Urbanus V, ejus in Petri Sede Successor, vota pii Regis coronavit. Primusq; Christinus de Ostrowo, in Haliciensem Archiepiscopum consecratus est, quem nemo alius præcessit. Daniel enim cùm in Regem Haliciensem inaugurаretur, id munus obivit Legatus Pontificius in præsentia Cracoviensis Episcopi Prandotæ, qui anno 1242 in Cracoviensem Præsulem consecratus, 1266 obiit. Scribit quidem Okolski, suis temporibûs Nicodemi Tarnovii, Archiepiscopi Haliciensis corpus, in urna plumbea depositi, repertum esse; sed annum, quo obiit, non adducit.

Et quia post fata Christini, Episcopus Lubuscensis jurisdictionem in Russia usurpabat, quem Ladislaus Opoliensis Dux, nomine Ludovici Regis Poloniæ & Hungariæ Russiam gubernans impediebat. Res ad Sedem Apostolicam devoluta, a Gregorio XI. sic decisa; ut Archiepiscopus Gnesnensis, Cracoviensis & Plocensis

cenſis Epiſcopi, Sedibus Ruſſiæ viros idoneos providerent, & præficerent. Et ſic quod Caſimirus inchoavit, temporibûs Ludovici perfectum eſt.

Archicathedralis Eccleſia Haliciæ, ſub titulo S. Mariæ Magdalenæ, à Chriſtino de Oſtrowo erecta & dotata fuit, ſeptemq; Archi Præſules nacta eſt. Octavus enim in ordine Joannes Rzeſzowski Archi Præſuleam dignitatem. annuente Romano Pontifice, Leopolim Haliciâ tranſtulit, primuſq; Archiepiſcoporum Leopolienſium ſeriem inchoavit.

Merebatur urbs hæc, Ruſſiæ totius Metropolis, Poloniæ contra Scythas, Turcas, antemurale non poſtremum, Archiepiſcopali Ritûs Armeni, & Epiſcopali Ritûs Græci Sede, (quæ poſterior quandoq; Præſulem Metropolitanum totius Ruſſiæ ejusdem ritûs habet) commendata, ut etiam Metropolitanâ Ritûs Latini dignitate cæteris emineret. Civitas hæc nomen ſuum ſortita eſt, à Leone Ruſſorum Duce; juxta alios à leonino monte, qui urbi ſupereminet, tantuſq; eſt, ut ex illo pluſquam ad decem leucas proſpectus pateat. Locus hic arce munitus erat, illum Caſimirus M. ubi expugnavit Leopolim, totamq; Ruſſiam juris Poloni, fui verò, opes Ducum Ruſſiæ hac in arce repertas, fecit. Crucis Chriſti particulam, quam in ejus ærario, aureo ſimulacro incluſam invenit, Cathedrali Cracovienſi Eccleſiæ donavit.

Metropolis hæc habet Suffraganeos, Premiſlienſem, Chełmenſem, Kiovienſem, Camenecenſem, Baccovienſem in Valachia, Præſules. Archidiæceſis latitudo ſat ampla, continet Palatinatum Ruſſiæ magna ex parte, Pokutiam, aliqua in parte Volhyniam & Podoliam. Tempore Solikovii ſeptem Decanatus numerabat. Leopolienſem, in quo Eccleſias 26. Grodcenſem in illo paræcias 14. Dunaiovienſem, in hoc 11. Rohatinenſem, in eo pariter 11. in Zydaczovienſi & Trembovlienſi per octo, in Uſtenſi 25. Univerſas paræcias recen-

recenſebat 103. præter Eccleſias variorum Religioſorum ſatis numeroſas in ipſa urbe Leopolienſi.

Archicapitulum componitur ex 16. Canonicis, inter quos primatum Decanus tenet. Congreſſus ſuos bis in anno celebrat, ſemel in Martio, quo tempore unus ex nobilibus ad Tribunal Regni Judex Deputatus eligitur: vice altera in Septembri. Stemma illius eſt, Beatiſſima Virgo diademate redimita, una manu ſceptrum Regium, alterâ Chriſtum Infantem complexa, lunæ inſiſtens, ſub qua leo procumbit. Eccleſia vero Cathedralis MARIÆ triumphanti dedicata eſt.

ORDO & VITÆ
ARCHIEPISCOPORUM HALICIENSIUM. demum LEOPOLIENSIUM

I.
CHRISTINUS de OSTROWO.

De Stemmate Gozdava vide pag: 59.

IN Religioſa Divi Franciſci Familia & ſubeſſe & præeſſe doctus, primus Metropoli Halicienſi præfectus eſt, à Jaroslao Bogoria Archiepiſcopo Gneſnenſi in Archi Præſulem conſecratus. Cathedralem Eccleſiam Haliciæ ſub titulo S. Mariæ Magdalenæ erexit, & dotavit, Canonicos conſtituit, & quia tenues in primordiis hujus Archiepiſcopatûs erant proventus, eos propriâ menſâ pavit. Antiſtes eruditus in egenos liberalis obiit, 1364.

II.
ANTONIUS

HUjus, qui fuerint Natales, & Stemma, invida fatorum ætas, notitiam præripuit, fere undecem an-

nos rexit, ut ex anno obitûs illius colligitur, decessit è vita 1375. à Naramowscio hoc meruit encomium, quod fuerit, *Vir ætate, moribûs gravis, erga pupillos, & pauperes beneficus.*

III.

MATHIAS

POst fata Antonii electus, sed non consecratus, ob bella Græco Russorum, ab Ecclesia Romana alienorum Ducatum Russiæ à Polonis vindicantium (ut scribit Naramowski) Archiepiscopatûs munia non exercuit. Asserit idem Author, sub illo Metropolim Halicià Lemburgam seu Leopolim fuisse translatam; cæterum hæc Sedis translatio Joanni Rzeszovio tribuitur. Qua gente fuerit & quo anno obierit? siluit antiquitas.

IV.

BERNARDUS I.

De Stemmate Jelita.

Tres sunt hastæ, quarum duæ quasi in Crucem declivitèr positæ, ferro sursum, tertia in medio erecta, sed ferrô demissa est.

HUnc Ordo Divi Francisci ad Infulas instituit. Ludovicus Rex Duces Russiæ cùm compescuisset, usurpatas ditiones restituit Poloniæ. Bona Archiepiscopatus Haliciensis in illo bellorum turbine direpta possidebantur à variis. Cum iniquis possessoribus egit Bernardus jure & censuris Ecclesiasticis. Obiit 1391.

V.

PETRUS I.

HUnc Niesiecki Tomo I. in Serie Præsulum fol: 25 Metropoli Haliciensi præfuisse annotavit, sensus sui authoritatem nactus ab Epistola Jagellonis Regis, à Paproccio fol: 120. de Stemmatibus adducta. Annum fatorum Petri, Idem Niesiecki tomo prædicto 1406. assignat.

VI.

JACOBUS

De Gente Streparum.

ET hunc Sacra Ordinis Minorum Familia, ad Tiaras enutrivit: à Mathia, Premisliensi Episcopo in Ecclesia Tarnoviensi consecratus, quid egerit? quarum virtutum fuerit? Epitaphium in Ecclesia Leopoliensi PP. Ord: Min: Conventualium, ubi sepeliri voluit, abunde edocet. *Jacobus Archiepiscopus Haliciensis, ortus Streparum, nobili Polona Familia; ex Ordine S. Francisci, ob præclaras animi dotes, assumptus Ecclesiæ Pastor, Reipublicæ Senator, Patriæ Tutor, Regni Custos, bonus, prudens, fidelis, vigilans, multisq; heroicis virtutibûs illustris, consumptus laboribûs, vitam mortalem in cœlestem mutavit 1411. in Templo S. Crucis, apud suos Fratres tumulari voluit. Integer pelle sua anno 1619, ornatu & insignibûs Archiepiscopalibûs repertus, & in eodem loco, annô 1626. ab iisdem Fratribus est repositus.* Cùm enim ad sacrarium terra moveretur, Corpus ejus integrum in vestitu Archiepiscopali fere recenti inventum est. Ad spectaculum confluxit civitas, plurimiq; varias gratias ope ejus experti sunt: quæ annotatæ, in eodem Leopoliensi cænobio asservantur.

VII.

NICOLAUS I. TRABA

QUia suprema merebatur in Polonia, vix Haliciensem Metropolim adiit, ad regendam Gnesnensem à Jagellone evocatus est. vide p. 76.

VIII.

JOANNES I. RZESZOWSKI LEOPOLIENSIS I. ARCHIPRÆSUL.

De Stemmate Potkozic.

Caput est asini in campo rubro.

EX Præposito S. Michaëlis in arce Cracoviensi, & Canonico Cracoviensi post ascensum Nicolai, ArchiPræsul, ut suam Ecclesiam, etiam locô digniorem redderet, eam consentiente Capitulo, probante Roma, Haliciâ Leopolim transtulit, primusq; seriem Archiepiscoporum Leopoliensium orsus est. (a) Canonicis proventus auxit, eorumq; commodo ædes providit. Dunaiow (bona sunt Archiepiscopi) in meliorem formam redegit, & oppidum, cum consensu Regio, fecit. Ex voluntate summi Pontificis, in Samogitiam ivit, *vide L. IV.* ubi cum Petro Vilnensi Præsule, Medniciis Sedem, & Ecclesiam Episcopalem, sub titulo SS. Alexandri, Evantii, & Theoduli instituit, primumq; Antistitem hujus diæcesis Mathiam consecravit. Elisabetham Pilecka, Ottonis Palatini Sandomiriensis Filiam, Ladislao Jagelloni matrimonio junxit, Eiq; Regium diadema solito ritu detulit. Plurimis pro bono Ecclesiæ suæ sancitis, obiit Rzeszoviæ 1436. sepultus in Ecclesia Patrum S. Benedicti, quæ à calvo monte nomen obtinuit.

IX.

JOANNES II. ODROWAZ

SIlvester seu Lassota Sciechowski Præpositus Scalmiriensis, post fata Rzeszovii electus fuerat. Sed ad postulata Eliæ, Palatini Moldaviæ, hic Joannes à Jagellone substitutus est. Factum hoc, fuit occasio dissensionum inter eundem & Canonicos; quæ eò processerunt,

(a) *Dlugossius L. XI. Cromerus L. XVII.*

ferunt, ut dum Joannes nonnullos proventus ab illis repeteret, hi ad Concilium Basileense appellârint, & censuras in suum Præsulem obtinuerint. Ea res afflictum Antistitem, maxime verò, nuncius de occiso in Valachia, Fratre suo Petro, Palatino Russiæ, è vivis sustulit 1450.

X.

GREGORIUS SANOCEUS

Stapede pro Stemmate insignis.

IN Academia Cracoviensi ingenium excoluit. Doctoris lauream adeptus, arenam litterariam in militarem commutavit. Cum Ladislao Poloniæ & Hungariæ Rege ad Varnam pugnavit: & post cædem Regis, amissumq; à Christianis prælium, Tauricam servitutem vix evasit. Redux relictâ aliis militari gloriâ, sacrum ordinem elegit. Canonicus Leopoliensis à Joanne Odrowaz factus, post ejus fata eidem succedere meruit: à Sbigneo Cracoviensi Antistite in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, Dominicâ intra Octavam Corporis Christi 1451. consecratus.

Scythica potentia per Russiam latè dispersa, eundem Dunaioviæ, obsidione cinxerat. Sed Præsul imperterritus, qui & pedum Pastorale, & arma tractare noverat, hunc Tartarorum impetum invictus sustinuit; docuitq; Scythas non una eorum clade, non tantùm in Præsulem, sed & in heroëm incidisse. Bona Archiepiscopatûs auxit, repentinô fatô Kąkolniciis sublatus 1479.

XI.

JOANNES III. DŁUGOSZ

De Stemmate Wieniawa vide p. 41.

JOannis Brzeznicensis, & Neocorcensis Præfecti Filius

lius. In Academia Cracovienſi adeò profecit, ut Sbigneus Oleſnicki Epiſcopus Cracovienſis, ſeptemdecem annos natum, aulæ ſuæ adminiſtrum elegerit. In eo munere documenta, privilegia, jura & proventus Epiſcoporum Cracovienſium, quæ per incuriam neglecta, & ferè deperdita erant, connotavit, & in ordinem collegit. Id ipſum diœceſi Cracovienſi præſtitit; magnoq; labore, Cracovienſis Capituli, Eccleſiarum Collegiatarum, Paræciarum, dotes, inſcriptiones, proventus, jura patronatûs, in unum opus redegit, cui præfixit titulum: *Liber Beneficiorum Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis.* Hoc manuſcriptum conſervat Capitulum Cracovienſe. Illo ſvadente Sbigneus Cracovienſis Præſul pro ſe & ſuis ſucceſſoribus emit Ducatum Severiæ. Ita emerito Joanni, Kłobucenſem paræciam idem Antiſtes regendam commiſit, ac brevi Cuſtodem Vislicenſem, Canonicum Sandomirienſem, & Cracovienſem fecit.

Dum ita beneficiis Eccleſiaſticis augetur Długoſſius, illis ſolus ditari noluit; ſed proventus in templa, ornamentum Eccleſiarum, in dotes pauperum convertit. In villa Cuſtodiæ Vislicenſis, in honorem S. Stephani Regis, & Odanchoviæ, in cultum Beatiſſimæ Virginis erexit Eccleſias. Visliciæ fundos emit, liberos à tributo quovis procuravit, in quibus ædes commodas pro Vicariis loci ſtruxit. In pago natali S. Stanislai E. M. lignea extabat Eccleſia, locus nativitatis hujus Sancti ut eſſet cultior, templum ex ſolido muro exſtruxit. Contubernium, Hieruſalem dictum, Cracoviæ à Sbigneo inchoatum perfecit, & cùm hoc igne correptum in favillam abiiſſet, exuſtum innovavit, & proventibûs auxit. Judæorum Synogoga, pluréſq; horum infidelium ædes vicinæ erant Collegio, in quo tradebantur artes litterariæ; ne perdiſcendis litteris, iſta fæx populi, eſſet impedimentô, domos coëmit, & PP. Ciſtercienſibus donavit. Ad Eccleſiam S. Martini

ni

ni Kłobucenſem, Canonicos Regulares S. Auguſtini: in locum, Skałka dictum, in quo D. Stanislaus gladiô Boleslai occubuit; Patres Eremitas S. Pauli introduxit & conſtituit. Hanc ejus in pia opera munificentiam compenſans Thomas Strzempinski Cracovienſis Antiſtes, jus patronatûs ad altare SS. Gervaſii & Prothaſii MM. in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi Długoſſio, & ejus Familiæ impertitus eſt. Poſt fata hujus Antiſtitis inter Jacobum Sieninſcium, & Joannem Gruſzczynſcium æmulatio de Epiſcopatu Cracovienſi interceſſerat *vide à pag: 98.* Długoſſius Sieninſcio à Pontifice conſtituto adhæſit, quo Regis Caſimiri animum, adeò ſibi offenſum fecit, ut illum evitans, Patrium ſolum mutaverit. Noverat Caſimirus hominis indolem, vitæ probitatem, & in agendo efficacem operam, quare tantô virô ne Regnum privaretur, eum in Poloniam revocavit, & reducem magnis negotiis applicuit. Illum ad componendam pacem cum Crucigeris expedit, & quod hæc perfecta ſit, Joanni adſcripſit Polonia. Bellum civile in Hungaria Legatus ſopivit. Eliſabetham, Alberti Romanorum Imperatoris, Hungariæ & Bohemiæ Regis Filiam, Caſimiri ſponſam, ſolenni pompâ Vratislavia in Poloniam deduxit. Ratione Bohemiæ, fervebat bellum cum Mathia Rege Hungariæ, ad illud extingvendum Długoſſius aliquoties Legatus ivit. Romam quoq; ad Eugenium IV. & Nicolaum V. perrexit Orator. Palæſtinam peregrinus inviſit. Redux in Patriam, omnem conatum adhibuit, ut relictis aulæ negotiis, Deo ſibiq; vacaret. Sed Caſimiro poſtulante, inſtitutionem prolis Regiæ ſuſcipere debuit. Et quæ illa fuerit? vidit orbis integer, in Caſimiro Principe Poloniæ, Sanctorum Faſtis adſcripto, in Joanne, Alexandro, Sigiſmundo, in Polonia, Ladislao in Bohemia ad Regium ſolium evectis.

Hæc Długoſſii in Patriam & Domum ſuam merita, Caſimirus beneficiis ampliora reddere intendebat.

bat.

bat. Jam munus Thesaurarii Regni (status Ecclesiasticus in possessione hujus officii erat persæpe) jam Pro Cancellarii eidem offerebat. Sed Joannes mereri satis habuit. Ladislaus Bohemiæ Rex Archiepiscopum Pragensem volebat. Admittebat eam dignitatem Dlugossius, sed ea conditione, ut Bohemi suæ hæresi nuncium remitterent; & quia hi erroribus suis adhærebant, Joannes favori Ladislai renunciavit. Archiepiscopatum Leopoliensem vix suscepit, cæterum & hunc ne adiret, mors impedivit. Obiit 1480. die 29. Maji. Cracoviæ apud PP. S. Pauli Eremitæ sepultus.

Vir probitatis & eruditionis magnæ, qua nomen suum Orbi illustre fecit. Longinus dictus ab exteris. Poloniæ Historicus limatissimus: de illa ipse scribit: *Superioris ætatis tempora aliarum adminiculis, quæ verò in nostram inciderunt ætatem, marte, ut ajunt, nostro conscripsimus* & alio in loco: *Quæ per varias Ecclesias, & Bibliothecas, & alia loca sparsa erant, curavi colligere, & collecta in præsens opus utcunq; deducere.* Ex quo patet, quantô labore suam historiam, & alia opera perfecerit.

XII.

JOANNES IV. STRZELECKI

De Familia Toporeorum.

ADolescentiam Marti consecraverat, ac in illa memorabili ad Varnam Christianorum clade, in Turciam abductus, ope divina è vinculis liber, redux in Patriam, statum Ecclesiasticum elegit, & Dlugossio in Archiepiscopatu successit. Romæ egit jure pro bonis cum suo Capitulo, & quia pro parte Canonicorum lata est sententia, Joannes ex mærore obiit Cracoviæ 1493. Ibidem in Ecclesia SS. Trinitatis PP. Prædicatorum sepulturam nactus, quam adornavit Frater illius Stanislaus, de hoc *Cromerus L. XXIV* memoriæ prodidit: *Stanislai Wątrobcæ* (sic etiam nominabatur Familia

milia hæc) *gente Oxii, pietas & animi magnitudo, silentiô prætereunda non est; qui jussus à Rege in bona Sacerdotum, cupiditati ipsius adversantium, invadere, Regem, quàm Deum, offendere maluit.*

XIII.

ANDREAS BORYSZEWSKI

Poraita vide p. 27.

EX Leopoliensi Archiepiscop9 Gnesnensis *V. p. 166.*

XIV.

BERNARDUS II. WILCZEK

Poraita vide p. 27.

PRomovente Viri virtutem Andrea Boryszevio, eidem in hac Archiepiscopali Sede successit. Præsul illius commodo, & ornamento datus. Cum Scythica incursio depopularetur Russiam, vastaret omnia, homines in vincula, & servitutem abduceret, Bernardus in illa calamitate publica, dum nec sibi, nec suis opem ferre posset, ad suum Patronum, Gnesnensem Archiepiscopum ivit. Rebûs demum pacatis, ad suam diæcesim redux, restaurandæ Cathedræ operam dedit. In sua absentia auctos per Canonicos Vicariorum proventus, & initam cum urbe Leopoliensi, suo nomine concordiam, pluriumq; annorum sopitas lites, appprobavit.

Proximè Urbs conflagraverat, eodem malô correpta Cathedralis Ecclesia, magna ex parte exusta est. Hoc suæ sponsæ damnum resarcivit Pastor optimus, providit tectum, testudinem, æra campana, ex quibus maximo nomen Bernardi imposuit: aliaq; in auro & argento, pretioso apparatu, cum statua Deiparæ argentea eidem obtulit. Insuper, ut coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento lumen aleretur, statuit, & sum-

summam eo fine in censum elocavit. Annorum 37. Præsul de sua Cathedra optime meritus, in egenos profusus exuit mortalitatem 1540.

XIV

PETRUS II. STARZECHOWSKI

De Stemmate Leliwa.

Luna est dimidia in campo cæruleo, utroq; cornu erecta, in medio stellam continens, plurium Familiarum insigne.

EX Canonico Premisliensi, Jaroslaviensi Præposito, invitus à Sigismundo I. ad Leopoliensem Ecclesiam promotus, ab Orichovio, *Vir sanctus* antonomastice dictus. Plures volebat ille sui similes, quare omnes probitatis, Christianæ modestiæ cum lachrymis quandoq; à sacris exedris admonebat. Bonorum Ecclesiasticorum defensor strenuus. Octogenarius apoplexiâ tactus, non improvisam mortem expertus est, ad quam optimâ vitâ, ac si semper moriturus esset, sese disposuit. Obiit Leopoli 1554. in Metropolitana Ecclesia sepulturam nactus.

XVI.

FELIX LIGĘZA

De Stemmate Połkozic vide p. 214.

CAsimirô, Castellanô Czechoviensi, muneribûs in Patria gestis insigni, genitus. Petrus Starzechowski, ætate jam gravior, ut optimum Præsulem post se nancisceretur, hunc Felicem, Canonicum Cracoviensem, Præpositum Przecławiensem, omni dignitate majorem, laboris socium, & Archiepiscopatûs Successorem, Rege & Româ assentiente adscivit. Post obitum Petri pleno jure ArchiPræsul, felicem se in omnibus probavit, Ecclesiæ, Diæcesi & egenis; soli hæretici suas querebatur injurias, quorum omnes conatus & studia providus Antistes impedivit. Vixit 1560 Leo-

Leopoli sepultus. Ejus laudes paucis complexus est Roisius: *Quo non septemtrio totus, Relligione tulit, nec pietate priorem.*

XVII.

PAULUS TARŁO

De Gente Starzarum asciâ pro Stemmate, insigni.

STarzarum, seu Toporeorum Familia, testimonio plurium cum Lecho I. in has ditiones venit: (b) unusq; ex Toporeis, cùm primum esset interregnum, inter XII. Palatinos Poloniæ præfuit. Semper honoribûs erat magna, semperq, ad obsequia suæ Patriæ prompta & parata, non unamq; fecit gentem. Ex illa prodiere, ut alios prætermittam, Tarłones, Ossolinscii, Korycinii, Pileccii, Tęczynii, Gentes ut eruditione, celebres, sic opibûs, dignitatibùs, rebûs gestis sublimes, sangvine Ducibus, Regibus affines.

Paulus Andreæ Vexilliferi Leopoliensis, & Catharinæ Michowska Filius, juventutem armis excoluit, sacris ordinibûs initiatus, omnium virtutum exemplar factus, nemini nocens, omnibus affabilis, temperantiæ, prudentiæ, in rebus agendis studii singularis. Ex Decano Premisliensi, Cracoviensi Canonico Archiepiscopus, promovente Sigismundo Augusto, Pio IV. probante, Leopoli, à Herburto Episcopo Premisliensi consecratus, Diæcesanam Synodum indixit, in qua Concilium Tridentinum, illo adnitente, ab omnibus susceptum est. Quatuor annorum Antistes, qui sæcula meruit, anno 1565. vivere desiit. Et quia absq; codicellis relictis obiit, inter Fratres Ejus, & Capitulum Leopoliense exortas dissensiones Commendonus, Legatus Pontificius, & Cardinalis Hosius composuerunt.

(b) Niesiecki Tom: IV.

Ab

Ab hoc Antistite in Subdiaconum initiatus est Petrus Skarga, ac in præconem Verbi Divini institutus. Munus hoc magnô animarum fructu obivit Petrus. Quare brevi idem Præsul majoribûs Ordinibûs consecratum Cathedralem Canonicum,& Præpositum Rohatini constituit. Officio Ecclesiastæ ut satisfaceret Skarga, Præposituræ renunciavit. Annos aliquot impendit huic Apostolico labori, plures tam ex Schismate, quam hæresi Ecclesiæ lucratus. Ad majores tamen à Deo pro fide parabatur curas. Societas JESU 1540. à Paulo III. confirmata, à Concilio Tridentino postea approbata, per Stanislaum Hosium Cardinalem, in eodem universali Ecclesiæ conventu supremæ Sedis Legatum, Brunsbergam introducta fuerat 1565. Ejus labores pro fide cum innotuissent Poloniæ;ad illius institutum Skarga adjecit animum, Romamq;perrexit, ubi ad Societatem à S. Borgia admissus, in Domo Probationis Romana, solidæ perfectionis jecit fundamenta, futurus olim in Patria magnum fidei columen. Redux in Poloniam, ad aulam Stephani, & Sigismundi III. evocatus, per annos plures Verbi Divini præconem egit; magno fidei & Regni commodo. à Fabiano Birkovio Ord: Prædic: Sarmaticus Chrysologus appellatus. Præter Poloniam, excoluit Lithvaniam, Russiam, Livoniam, Dynastarum & Principum conversione felix. Non tantùm verbô, sed & scriptis gravis erat errorum Ministris, tam illis, quam Proceribus hæresi infectis exosus, à quibus persæpe multa passus est. Gravi infirmitate, vice quadam, decumbenti, & annum saltem vitæ, ad finienda opera, quæ pro fide & Ecclesia parabat, à Deo postulanti, die media apparuit P. Stanislaus Warszewicki S. J. svasitq; ut plures, quàm unum à Deo expeteret: petiit, & impetravit annos decem. Supremum æger, Divæ Virgini Claromontanæ cereum candidum ipse fecit, misit, & accendi jussit; & ubi ille consumptus ardere desiit, desiit & Petrus vivere, Cracoviæ 1612. die 27. Septembris, ibidem in Templo SS. Petri & Pauli sepultus; à Fabiano Birkowski Ord: Prædicatorum funebri oratione dilaudatus. Aliquot à morte annis, apparuit Barbaræ Langa in apparatu Episcopali, cum pedo Pastorali, sed absq; tiara Pontificia. Corpus ejus in cineres solutum, duobûs digitis manûs dextræ integrîs relictis, in præmium scriptorum pro fide Catholica. *Niesiecki Tom: III.* Vitam & obitum Viri hujus inter Scriptores Polonicos cùm descripsisset *Simon Starowolski Canonicus Cracoviensis*, eum *propter excellentem doctrinam atq; virtutem, omnino mori non debuisse*: asseruit.

XVIII.

STANISLAUS I. SŁOMOWSKI
De Familia Abdankorum.

Ex Episcopo Laodicensi, Suffraganeo Cracoviensi, Archiepiscopus, bona Archiepiscopatûs ab iniquis possessoribus vindicavit, ædificia vetustate, & hostilitate collàpsa restauravit. Aram majorem in Ecclesia Cathedrali erexit. Dunajoviæ Palatium Archiepiscopale ruinæ vicinum innovavit. Vir doctrinâ & probitate insignis, animam egit 1575.

XIX.

JOANNES V. SIENINSKI
De Stemmate Dębno vide p. 97.

Joannis Castellani Camenecensis Filius, ipse Castellanus Haliciensis subscripsit unionem Ducatuum Osviecimensis & Zatoriensis. Vir arte militari & manu strenuus ad Obertinum cum Moschis, Scythis, Turcis dimicavit. Post fata Paniewska Consortis, Sacris Ordinibûs initiatus Archiepiscopatum Leopoliensem meruit, prudentiæ magnæ, in litteris tamen culturæ exiguæ; unde Stephanus Rex vice quadam latino sermone

mone cum illo conferens, dum eundem sæpius in latinitate impingere adverteret, *Miror* ait *quòd Episcopus, & tamen latinè nescit*, cui ex abrupto respondit Sieninski: *Et ego miror, quòd Stephanus Rex Poloniæ, attamen Polonicè, nescit.* In omni pietate rexit diæcesim, cultui Eucharistiæ apprime addictus unde moriens sepeliri voluit, sub gradibus altaris, in quo Venerabile Sacramentum asservatur. Vixit 1582.

XX.

JOANNES VI. DEMETRIUS SOLIKOWSKI

De Stemmate Boncza.

Monoceros est in campo cæruleo, primis pedibus erectus.

VArchocensis, postea Sieciechoviensis Abbas. Vir Patriæ, & Ecclesiæ bono natus. In Academia Cracoviensi, & extra Patriam ingenium expolivit, eumq; evasit virum, ut inter primos ævô suô haberetur, eruditio hæc non tantum enituit in operibus in lucem editis, sed & in legationibus & aliis muniis cum magna Poloniæ, & Nominis sui laude obitis. Adhuc Regni Secretarius ivit in Prussiam Ducalem, brevi Elbingam delegatus Ministrum falsi dogmatis seditiosum urbe excesse jussit. Sigismundi Augusti Orator inter Daniam & Sveciam pacem composuit. Post abitum Henrici Valesii e Polonia, ab Ordinibus expeditus in Galliam, ut illum Regno restitueret; egit, quæ potuit; sed Henrico avitum solium magis placuit. Redux cum Henricum defenderet, nonnullorum odia incurrit. Ivit ad Maximilianum & Comitia Germaniæ, sed Lintzii opera Cæsaris, Poloniæ offensi detentus est. Romam postea ad Sixtum V. Orator, præter alia beneficia hoc impetravit, quòd ad sua postulata Sixtus urbi Leopoliensi ad ejus insigne, videlicet leonem cum tribus montibus, stellam albi coloris addiderit. Cum

aliis

aliis à Republica in Livoniam expeditus eam in meliorem ordinem redegit, novisq; circumscripsit legibus.

Ad eam in rebus agendis facilitatem magnô illi erat suffragiô, Græcarum & Latinarum litterarum peritia, à quibus legendis, & consulendis, nec viarum incommodis impediri poterat. Ut ipse eruditis, Lipsio, & cæteris fuit in amoribus, sic eruditos speciali prosequebatur favore. Juventutis alacritatem ad studia & in litteris æmulationem fovebat, solitus ad scholas suæ Cathedræ descendere, Magistros audire, ex discipulis, quid didicissent, inquirere, diligentibus præmia, universis calcar addere. Patres S. J. Leopolim introduxit, eosq; paternô favore, & munificentiâ fovit. Virgines Deo dicatas Instituti Divi Benedicti ad templum OO. SS. collocavit. Dunajoviæ Ecclesiam de solido muro erexit. Villam Stryanice dictam & plures fundos emit, eosq; mensæ Archiepiscopali attribuit.

Post fata Stephani vi & precibûs Dissidentium à fide inducebatur ad subscribendum fœdus Varsaviense: plenus zeli Antistes, mori etiam pro Christo paratus, detectô pectore. *Citius Archiepiscopatum & vitam se amissurum, quam ad Confœderationem hanc contra Deum, contra leges Patrias initam accessurum* exclamavit. Propriam diæcesim, duplici Synodô coactâ, legibûs & sancitis circumscripsit, eam sæpius, ne quid mali irreperet, invisit: & si in eo exercitio officii Pastoralis impeditus erat, illud per probatos viros supplere curavit. Quare Archidiaconi munus & dignitatem neglectam suæ Metropoli restituit; ut esset, qui ex officio id perageret.

Laboribùs, incommodis fracta ætas quietem postulabat, illam licet quandoq; admisit, curam tamen & solicitudinem non deposuit. Ut templis sua esset reverentia, decem dierum indulgentiam iis concessit, qui garrulam lingvam in Ecclesia, silentii admonerent, & cor-

P

corriperent. Vir in componendis diffidiis felix, in egenos plusquam liberalis: Cuidam eleemosynam flagitanti, annulum, quo litteras obsignare consveverat (nihil tum ad manum habuit) dedit, Hujus munificentiæ oblitus, jacturam annuli nunc primum advertit, cùm quoddam majoris momenti negotium expediendum esset; aliud enim sigillum quærens, annulum pauperi datum in cista reperit. (a) Vice alia, egeno subsidium postulanti, pannum, quo mensa Præsulis tegebatur, elargitus est. Hanc suam liberalitatem abunde à Deo semper compensatam experiebatur: unde dicere solebat: *Eleemosyna neminem egere facit, Missæ auditio negotium non retardat, sanitas non minuitur jejuniô.* (b) Annorum XX. Præsul, ætatis suæ 64. à Christo nato 1603. magno omnium dolore obiit, Leopoli in sua Ecclesia sepultus.

XXI.

JOANNES VII. ZAMOYSKI

De Stemmate Grzymała vide p. 69.

REdux ab exteris, reperit Poloniam post fata Sigismundi Augusti, Diffidentium in fide potentiâ divisam. Indoluit huic malo Patriæ, & avitæ religioni. Supervenit electio novi Regis, in ea concludenda, & eligendo Henrico, juvit suis consiliis Uchanscium Regni Primatem. Stephanus Rex soliô potitus, Joannem Oratorem misit ad Gregorium XIII. ut huic Pontifici, & Sedi Apostolicæ obedientiam suo nomine redderet. Ivit denuo Ejusdem Regis Legatus ad Archiduces Austriæ. Ivit ad Rudolphum II. Stephani fatorum Nuncius.

Sigismundus III. Stephani Successor, Viri in agendo dexteritatem perspectam habuit; quare eundem ad Amurathem Turcarum Imperatorem, Poloniæ infensum

(a) Starowolski in Script: Polon: (b) Niesiecki Tom: IV.

fensum expedivit. Ivit Joannes animô imperterritô, extremâ quæquæ pro Patria subiturus. Malevolorum aliqui scripserant aulæ Turcicæ, Zamoyscium ire Constantinopolim, fictum Poloniæ Legatum. Satis erat hanc famam inspirâsse Amurathi, aliunde Polonis offenso; quare Zamoyski sub custodiam datus, annnô integrô detentus est. Sed suum legitimum Nuncium Sigismundus, & primi Regni Proceres litterîs vindicârunt. Hanc injuriam Turca suâ benevolentiâ, & variis muneribûs compensare studuit Joanni, facilemq; se præbuit ad ejus postulata. Redibat jam Constantinopoli invidiæ & malevolentiæ gloriosus victor; interea Scythæ vastatâ Russiâ, spoliis onusti, plurium hominum, variæ conditionis, ætatis & sexûs gregem abigebant. Eo Patriæ fatô afflictus Joannes, immemor periculi, iter Bizantium denuo arripuit, jura gentium violata conquerens, Scytharum temeritatem incusans, pro damnis & injuriis satisfieri Poloniæ, populum restitui efflagitans. Ea res tam subitò componi non potuit, sed in aliud tempus dilata est, Joannem quoq; evocabat Patria. Tot difficultatibûs in hac legatione superatis, rediit à Porta Othomanica Orator. Non diu tamen quiescere permissus. Brevi Viennam, postea Romam ad Clementem VIII. ire jussus; ubiq; gentis Polonæ gloriam, recte factorum vestigia, nominis memoriam & sui desiderium reliquit.

Tanta Joannis merita Respublica & Sigismundus III. æstimabat plurimi: vacabat tum Leopoliensis Sedes defunctô vita Solikoviô, eam Joanni Sigismundus detulit, Regiam nominationem facilè confirmavit Roma. Principis gratiæ abunde respondit Zamoyscius. Inter Sigismundum & fœderatos Duce præcipuô Zebrzydoviô, Cracoviensi Palatinô, fervebat bellum; in hoc afflicto Regni statu, Sigismundi partes defendit consiliô, & milite. Per Constitutionem 1613. designatus ad exercitum Polonum, cum rationibus militarem

 licen-

licentiam flectere non posset; ut parceret Patriæ, precibûs & lachrymîs feroces animos composuit. Variis bellis publicum ærarium exhaustum, tributis attritæ Provinciæ egebant subsidiô; eo præsertim tempore, quo oppugnatio Smolensci, fortiùs urgenda, & bellum in interiora Moschoviæ promovendum erat. Amans Patriæ Joannes 13000. fl. numeravit, & alteram summam pro sua diæcesi, ære proprio persolvit. Et quia in diversis partibus bellum gerebatur; eâ occasione usi Tartari plurimos Polonorum in servitutem abduxere. Hi ut innata potirentur libertate, 1000. Hungaricales contribuit.

Ita in Poloniæ commoda profusus, suæ quoq; diæcesis & Ecclesiæ non fuit immemor. Archidiacono Leopoliensi auxit proventus, qui hucusq; erant tenues, insuper in ejus meliorem dotem, à Rege. Præposituram Buscensem impetravit. Chorum Cathedralis Templi ærea texit laminâ, & in residuum 6000. fl. disposuit. Calicem aureum trecentis Hungaricalibûs æstimatum, pedum, mitram Pontificiam, sex candelabra de argento, viginti perist romata, acu pretiosâ depicta eidem sponsæ suæ obtulit. Ibidem sacellum, & in eo suis exuviis sepulchrum erexit, sex Sacerdotibûs ad illud institutis, qui laudes Deo canerent. Cænobium Monialium D. Benedicti murô cinxit, & in illius subsidium 6000, fl. ultimis codicellis inscripsit. Patribus de monte Carmelo strictioris observantiæ hortum opportunum emit. Academiæ Cracoviensi 5000. fl. numeravit, insuper pro quinque adolescentibus, qui in eadem erudirentur, annuum censum providit. Bona Kozłow Archiepiscopalia, ex alienis manibus, jure, impensis non exiguis vindicavit. Vivere & mereri desiit anno 1614.

XXII.

XXII.

JOANNES VIII. PROCHNICKI

De Stemmate Korczak vide p. 198.

Familiâ Ducum de Bibel oriundus. Cùm enim Julius Cæsar Romam devicisset, plurimi Romanorum, libertatis amore solum mutarunt, voluntarii exules. Unus ex illis nomine Bibulus secessit in Livoniam ibiq; arcem Bibel dictam erexit. Ex ejus successoribus nonnulli in Italiam rediêre, inclytæ Caraffarum Familiæ, in summis Pontificibus Sanctissimæ, in Cardinalibus eminentissimæ Conditores & Parentes (c) Daniel, Scoratæ nepos, primus Prochnicki vocari cæpit, primusq; fidem Catholicam suscepit. Petrus ex familia hac cum Duce Joanne Tęczynski ad fluvium Seret contra Turcas & Valachos dimicans, dum Polonus exercitus numerô inferior, terga vertisset, & Tęczynius in paludoso flumine equum amisisset, ne in prædam Turcis abiret; Petrus proprium illi offerebat. Sed Tęczynski optimi commilitonis periculô, proprium evadere nolens, respondit: *Egregium militem, sibiq; genere & nobilitate parem eo subsidio, vitâ privare nolle*. Hôc Ducis sui exemplô Petrus ad pessima quæquæ cum Tęczynscio subeunda animatus, eum breviter allocutus: *Quandoquidem Tu qui es Ductor meus, & ego miles tuus, equô meô uti non vis, & ego vitâ frui nolo*: equum liberum misit, & cum Joanne ivit in vincula. Factum hoc ubi Turcis innotuit, virtute utriusq; collaudata, solutos vinculis in Patriam cum honore dimiserunt. *Niesiecki Tom: III.*

Joannes Præpositus ad huc Cracoviensis ad Philippum III. Hispaniarum Regem missus à Sigismundo III, octo annos in eo legationis munere consumpsit: in præmium tam diutini laboris ab eodem Sigismun-

(c) *Wargocki.*

ſmundo ad Camenecenſem Sedem abſens promotus, Neapoli à Philippo Spinelli Cardinale in Epiſcopum conſecratus, ab Equitibus verò Melitenſibus, Ordinis ſui in Polonia Patronus impetratus eſt. Redux in Patriam, eam civili bellô ardentem reperit, quod brevi Sigiſmundi victoria & clementia ſopivit. In primo Cathedræ ſuæ aditu, in partem laborum Societatem JESU adſcivit, primus eandem Camenecum introduxit, ſuamq; Bibliothecam donô obtulit novo Collegio. Eccleſiam verò ſuam ſacro apparatu auxit & adornavit.

Metropolitanam Leopolienſem diæceſim poſtea moderari juſſus, Cathedrale Sacrarium diſpoſuit in meliorem formam. Cuſtodem, & Suffraganeum (quo hucuſq; Leopolis caruerat) inſtituit, primumq; Thomam Papyrium U. J. D. conſecravit. Ut Cameneci, ſic Leopoli in Societatem munificus; Leopolienſe Collegium fovit beneficiis. Ejus quoq; temporibûs, Scythica temeritas,& inſolens hujus gentis licentia in vaſtit Ruſſiam; igne & ferrô depopulabatur omnia. Poſita Volhynia, ſuis habitatoribûs erat vacua; cunctis dolia, Volhynia, ſuis habitatoribûs erat vacua; cunctis fere, aut ferrô & igne, conſumptis, aut in vinculis in Tauricam abductis. Horum malorum erat præſagitio ramus corni decorticatus, intra ſuos nodos inſcriptum in quadro habens *væ væ*, allatus in Eccleſiam Leopolienſem anno 1616. die 1. Julii ad eum Canonicum, qui tum Divino vacabat officio. In hujus rami medio continebatur folium ſcriptô calamitates, & earum cauſas exprimens. Author inventi & hujus ſcripti nuſquam comparuit, nec ſciri, nec inveniri potuit. (*d*) In tam communi totius Ruſſiæ infortunio, bona Archiepiſcopatûs extremam ſortem experta ſunt; nihilominus militi Polono ad ferendas Patriæ ſuppetias, numeranda erant ſtipendia; ſuorum miſertus Præſul, ſupplevit penuriam propriô ærariô. Ipſe verò mortalitatis ex ſolvit debitum anno 1633. Leopoli ſepultus. Vir in Deum & Patriam liberalis.

(*d*) Naramowski L. I. C. VI.

XXIII.

STANISLAUS II. GROCHOWSKI

De Stemmate Junoſzá vide p. 135.

ADalberti, & Sophiæ Manaſterska Filius, Sieciechovienſis Abbas, Gneſnenſis, Varſavienſis, Cracovienſis Canonicus, Cuſtos Sandomirienſis, S. Michaelis in arce Cracovienſi Præpoſitus, poſt fata Prochnicii Leopolienſis ArchiPræſul. Poloni idiomatis Poëta celeberrimus. Archidiæceſim affabilitate rexit, Diæceſanam Synodum celebravit, ejuſq; ſancita typô impreſſit. Archiepiſcopales Leopoli ædes vetuſtate, & injuriâ temporum conſumptas, e fundamentis erexit. Ne ageret plura, mors impedivit. Obiit 1644.

XXIV.

NICOLAUS II. KROSNOWSKI

De Stemmate Junoſza vide p. 136.

EX Familia variis curulibus diſtincta, obſequiîs pro Patria, beneficiis in Religioſos Ordines commendata oriundus, natalibus reſpondit indole ad omnia capaci quam Poſnaniæ in ſcholis S. J. expolivit, ubi nomen ejus extat in Albo Sodalium Immaculatè Conceptæ Virginis. Adhuc Canonicus Vladiſlavienſis, Regni Secretarius, ex Comitiis 1631. deſignatus ad arcem Szydłovienſem, quæ conflagraverat, ædificandam & muniendam. Epiſcopus primùm Livoniæ, tandem Archi Præſul Leopolienſis, & Abbas Coronovienſis, 1654. obiit, Leopoli in ſacello & ſepulchro, quod erexerat ſepultus.

XXV.

JOANNES IX. TARNOWSKI

De Stemmate Kolicz vide p. 140.

HIeronymi, Pocillatoris Lancicienſis & Szamoska Filius, Joannis Archiepiſcopi Gneſnenſis nepos. ex Archidiacono Cracovienſi Archi Præſul Leopolienſis & claræ tumbæ Abbas, in anno 1662. ad Tribunal Radomienſe Judex. Præſul ſinceritate animi commendatus. Chriſto Crucifixo ſumma devotione affectus, cujus cultum totâ vitâ curavit, in aras illius liberalis; cum DEO adeò conjunctus, ut dum Divinum officium abſolveret, neminem etiam in maximis negotiis admiſerit. Liberalis in pauperes, omnibus affabilis, anno 1669 mortalitatem exuit.

XXVI.

ADALBERTUS KORYCINSKI

De Familia Toporeorum.

JOannis Caſtellani Oſviecimenſis Filius, ab exteris redux ex Canonico Luceorienſi, Cracovienſi, Regni Secretarius, Miechovienſis Præpoſitus, à Joanne Caſimiro ad Camenecenſem Cathedram, à Michaële ad Leopolienſem Sedem promotus eſt. Utriq; præfuit vitæ probitate, norma & exemplum gregis. A Michaële Rege ad executionem ultimæ voluntatis deſignatus, anno 1677. vivere deſiit.

XXVII.

CONSTANTINUS I. LIPSKI

De Gente Ladarum.

FRanciſci Felicis bini nominis, Caſtellani Ravenſis, & Hedvigis Brochowska Filius, Joannis, Archiepiſcopi Gneſnenſis, nepos, ex Decano Gneſnenſi Andreio-

dreiovienſis Abbas, & Archiepiſcopus Leopolienſis. Joanni III. in ſubſidium Viennæ contra Turcas eunti, & Polonæ militiæ, Paſtoralem Zołkviæ impertiit benedictionem, eundemq; totius Orientis Victorem ſalutavit. Deceſſit vitâ anno 1695. relictô optimi Antiſtitis, & Senatoris exemplô.

XXVIII.

CONSTANTINUS II. ZIELINSKI

De Stemmate Swinka vide p. 63.

LUdovici Caſtellani Sierpſcenſis, Ciechanovienſis Præfecti, & Brzoſzczanka Filius, indolem in Patria excultam Romæ expolivit. Reducem plura Canonicorum Collegia ad dignitates evocârunt. Vladislavienſe Præpoſituram, Cracovienſe, Plocenſe, Pultovienſe, Canonicatus, contulit, Gneſnenſe vero Suffraganeum coluit. Archiepiſcopus Leopolienſis, optimi Præſulis adimplevit officium. Carolus XII, Sveciæ Rex armis invaſerat Poloniam, novum Regem, Auguſto II. hoſtis, præfecturus Regno. Ad ejus vota Stanislaus Leſzczynski Palatinus Poſnanienſis electus fuerat. Electo adhæſit Zielinski, & Regium diadema detulit. Pro eo extrema paſſus, à Moſchoviticarum legionum Præfecto, Ronne interceptus, ac in Moſcuam miſſus, extra Patriam obiit 1709. Vir fortunâ & fatô meliore dignus.

XXIX.

NICOLAUS III. POPŁAWSKI

De Stemate Trzaſka.

Luna eſt dimidia in campo cæruleo, utroq; cornu erecta, per medium binis gladiis ſibi oppoſitis transfoſſa.

LIvoniæ primùm Præſul, ſuæ diæceſi, licet exiguîs, ob prædominantem hæreſim, limitibûs definitæ, ne

ne deesset, eam visitavit. Et qui parvum gregem rexit optime majori præfectus est. Archiepiscopus Leopoliensis factus, vitæ probitate & exemplô boni Antistitis suæ præivit diæcesi. *Totus Sanctus, totus rectus* merito à Załuscio nominatus. Lucubrationes, stylo & spiritu commendatas, typo impressit, ut posteritati viveret. Egit animam annô 1711.

XXX.

JOANNES X. SKARBEK
De Familia Abdankorum.

SKarbkorum Domus ut antiqua sic variis Magistratibûs in Polonia, inter cæteras Familias distincta erat, & non postrema. Huic nomini Joannes, Comes de Gora, occasionem dedit. Boleslaus Crivoustus, dum sæpius armis confligeret cum Henrico IV, Cæsare, ut aliis hostibûs vires opponeret; Joannem, Comitem de Gora, Legatum ad Henricum expedivit anno 1103, ut condictas pacis leges confirmaret. Non æquô animô suscepit Nuncium Henricus, & digitô thesaurum monstravit, quasi nervum belli; non aliter pacem cum Polonis se inire velle, nisi tota Polonia Cæsarum esset tributaria, & jactabundus superaddidit: *hic perdomabis* ærarium illud indicans. Jactantiam Henrici risit Joannes, & annulum de manu detrahens, opibus illis adjecit, inquiens: *aurum auro addimus* ac si dicere voluisset; Poloniam nondum ad eam egestatem venisse, ut divitiis Germaniæ, non haberet, quid opponeret, & si in auro deficeret, virorum ad prælia mater est. Henricus indolem Poloni Oratoris admiratus pro annulo opibus suis addito, respondit: *Habdank* (terminus est, gratias agentibus Germanis, usitatus) Ab illo tempore Joannes, Comes, Skarbek dictus est, Stemma verò illius *Abdank* vocatum. *Sarnicki L. VI.*

Joannes Christophori, Haliciensis Castellani, & Czol-

Czołhanska Filius. Leopoliensis Custos, ad Tribunal Regni Judex Deputatus, Marochiensis Episcopus, Suffraganeus, & Vicarius in Spiritualibus Leopoliensis, tandem ArchiPræsul & Abbas Plocensis, gregem suum Pastor optimus verbô & exemplô pavit. Bona Archiepiscopatus variis incursionibûs vastata, ædes Leopoli Archiepiscopales igne exustas reparavit. Archicathedralis Ecclesia suum quoq; decorem ejusdem liberalitati debet. Pompam solennem Joannis de Dukla, Poloni, Ord: Min: de Observantia, (Cujus cultum ab obitu ejusdem in Polonia celebrem Clemens XII. approbavit, & Joannem Beatorum Fastis adscripsit) ad Sacras ædes prædictorum Patrum introduxit, & ossa ejus levavit. Ipse in optima senectute 1733. corpus ætate fractum deposuit. Leopoli sepulturam nactus.

XXXI.

NICOLAUS IV. WYZYCKI
De Stemmate Gieralt, seu Ośmorog

Crux est alba in rubro campo, in octo partes divisa, in quatuor verò lateribus, quatuor pomis distincta.

JOanne Vexillifero Kioviensi, Bracławiensi Præfectô, & Zaboklicka, Nicodemi Palatini Podoliæ Filiâ genitus. Ex Cracoviensi Decano, promovente Viliâ gentitus...

rum virtute, Archiepiscopus Leopoliensis, à Clemente XII. confirmatus, Vschovæ, tempore Senatûs Consilii, in præsentia Procerum, & Augusti III. Regis Poloniæ, à Joanne Lipski Episcopo Cracoviensi, postea S. R. E. Cardinale consecratus est. Initia regiminis, ab officio boni Pastoris inchoavit. Archidiæcesim integram visitavit, eamq; propriis moribûs, & vitæ exemplô commendatam fecit. Corpus B. Joannis Duklani, majori aræ templi PP. Ord: Min: de Observantia intulit, ut devotione insigni, sic apparatu non postremo. B. Joanni Francisco Regis S. J. Gallo, Vivariensi-

riensium, Aniciensium, Velaunorum, Farensium, Viennensium in Gallia Apostolo, 1640, die 31. Decembris, vitâ, laboribus functo, Clemens XII, 1737. Sanctorum honores decreverat. Diem festum egit Nicolaus, & pompam ex Archicathedrali templo, in Procerum, totiusq; urbis concursu, ad Ecclesiam Leopoliensem Patrum S. J. adornavit. Eorundem Patrum Templo, exuvias S. Benedicti, ab Innocentio XII. Georgio Dziedusżycki, Præfecto Stabuli Regni, Augusti II. Poloniarum Regis ad eundem Pontificem Oratori donatas, ad sacellum munificentiâ Mariannæ de Zamoysciis Dziedusżycka Præfectæ stabuli Regni erectum, tanto actui condigno apparatu introduxit anno 1741. die 23. Julii.

Templum in Civitate Zołkvia (Zołkiewsciorum Nomen Ducalibûs clavis, heroicis virtutibûs, victoriis de plurimo hoste gloriosum, & orbi notum) Joannis III. ejusq; Regiæ Familiæ, nunc Principum Radziviliorum, hæreditaria, beneficiis hæredum amplè dotatum, ut in Archidiæcesi emineret, & in suo Præposito, esset Infulatum; apud Romanam Sedem impetravit, primumq; Georgium Młocki, Ecclesiæ prædictæ Præpositum Infulatum instituit. Patres Instituti, Vincentii à S. Paulo, ad excolendum Archidiæcesis Clerum Leopolim introduxit. Plura Canonicorum Collegia, suorum Præsulum operâ, dignitatis Indicia (distinctoria vocant) à collo pendula, à Sacra Sede concessa habuere. Leopoliense Metropolitanum, ut hoc favore Romano, par esset aliis, Nicolaus effecit. Gratum suo ArchiPræsuli Capitulum, beneficium hoc, ut perenne esset, in marmore expressit.

Et qui Sanctorum cultum, Ecclesiarum & Capituli decorem curavit, sacris & profanis favoribûs coli meruit. Benedictus XIV. in tesseram sui affectus, effigiem Christi Crucifixi cum indulgentiis singularibus, & liberatione animæ e purgatorio in Sacrificio Mis-

Missæ ante hanc iconem celebrato, per Angliæ Prætendentem Nicolao submisit. Augustus verò III. insigne aquilæ albæ (Ordo hic ab Augusto II. innovatus est) detulit. Plurium annorum, humanitatis in omnes Præsul, cum die Cænæ Domini, piæ consvetudini morem gerens, infirmitate non attenta, pedes Christi in pauperibus lavisset, brevi omnibûs Sacramentis munitus, Archidiæcesis dolore, egenorum luctu, anno 1757. obiit.

XXXII.

NICOLAUS V. DEMBOWSKI

AD hanc Metropolim ab Augusto III. promoveri meruit, ne illam adiret, mors fuit obstaculô. Vitam illius vide inter Camenecenses. *Lib. IV.*

XXXIII.

LADISLAUS LUBIENSKI

ADamo Komorowski in Gnesnensi Metropoli successit *vide p. 204.*

XXXIV.

VENCESLAUS SIERAKOWSKI

De Stemmate Ogończyk.

In campo rubro est dimidius annulus, mediâ sagittâ, acumine erecto desuper insignitus.

SIerakowsciorum in Bogusławice Familia, Palatinatûs Lanciciensis decus, meritis, & dignitatibûs in Polonia eminens, in Joanne, temporibûs Sigismundi Augusti, Reipublicæ congregatæ supremo moderatore, Patriarum legum Custode, Prussiâ compositâ, Elbingâ, Gedanô ordinatis, gloriosô, primùm Referendario Regni, Lendensi, Calissiensi Castellanô, demum Lanciciensi Palatinô Purpurato Patre; (e) in pluribus alius

(e) *Niesiecki Tomo IV.*

aliis, variis magiſtratibûs, arcium regimine, excelſa; ſangvine cum primis Nominibus per Poloniam diffuſa, beneficiis in Deum, ædes Sacras, Religioſos cætus, inſignis hunc Venceslaum 1701. Orbi dedit Patre Joanne, Dapifero Zacrocimenſi, Mſzanovienſi & Olſzevienſi Præfecto, Matre Ruſzkowska, quæ aliquot ante mortem annis, fluxarum rerum pertæſa; Inſtitutum D. Franciſci Cracoviæ profeſſa, ut ſancte vixit, ſic non ita pridem ſancte obiit.

Optimorum Parentum curâ nutriebatur in ſpem magnam Venceslaus, & indole ad ſumma quævis idonea, Majorum ſuorum vota abunde cumulavit. In illo Epiſcoporum Seminario, Cracovienſium Canonicorum Collegio, Regni inſignium Cuſtos, crevit, & ad Infulas maturuit. Livoniæ primùm Antiſtes, multum doluit Provinciam à Religione Catholica alienam, & erroribus inquinatam. Brevi Camenecenſis, ac Premiſlienſis Præſul, utraq; hac diæceſi luſtrata, diſciplinæ Eccleſiaſticæ integerrimus Cuſtos, primam in Decanatus meliori ordine diſtribuit, ambas edictis, & ſacerrimis ſancitis circumſcripſit. Camenecenſis Capituli primores peculiari fruebantur dote; hæc, & illius proventus, ut omnibus communis eſſet, totius cætûs aſſenſu legem tulit.

Quam verò fuerit fortunata hoc Antiſtite Premisla! plura pietatis, munificentiæ Præſuleæ perhibent monumenta. Cathedralis Eccleſia impenſis Alexandri Fredro reſtaurata, à Venceslao, anno 1744. die 4. Maji ſolenni ritu conſecrata; nec ſatis habuit huic Baſilicæ Pontificiam impendiſſe operam, de Eccleſiarum cultu, obligatione debita templis, verba fecit gregemq; Paſtor optimus ſacrorum reverentiæ paterne admonuit. Collegium PP. S. Vincentii à Paulo pro utilitate cleri, Brzozoviæ conditum, Premisliæ, pro eruditione ejusdem, in dote auctum. Ædes Sacræ PP. Ord: Divi Franciſci Conventualium, PP. Prædicatorum

rum, quarum primam de proprio fere ærario erigi fecit, alteram non exiguis beneficiis adornavit, numeratis inſuper non paucis millibûs pro coronatione aliquando futura ſtatuæ Deiparæ Virginis, à S. Hyacintho Kioviâ in hunc locum portatæ. Circumferunt, & deprædicant illius liberalitatem contubernia hac in urbe inſtituta, in quibus ultra octodecem litterarum alumnos, ſua penu & impenſis fovit: pauperes non exigua ſtipe quotidie proviſi, puellæ nobiles, quas ſors deterior in egeſtate locavit, in ſacrarum Virginum ædibus, ejus cura, & ſumptu inſtructæ.

Et ne domeſtica prætermittam; integra Societas JESU vivet obligata ſuo Patrono, cujus Provinciam, Polonam, Majorem & Minorem ſuis beneficiis amplia vit, ditavit. Croſnæ perennes manebunt Paſtorales illius gratiæ. Stabit Premislia favoribûs Præſuleis aucta in facultate Philoſophica, fundata in Theologica ad eruditionem cleri, & ornamentum diæceſis, bibliothecâ publicâ, aliiſq; munificentiæ ſtudiis dotata. Jaroslavienſis Campo Mariani Collegii Eccleſia fovebit ſemper benevolentiam, & operam Venceslai, in ſua doloroſæ Virginis effigie coronata.

Diu expectabatur hujus coronationis ſolennis pompa; adhuc anno à Chriſto nato 1731., per Sereniſſimum Jacobum Sobieski, Regium Poloniarum Principem, & Sereniſſimam ejus Filiam, Mariam Clementinam, Georgii, Magnæ Britanniæ Regis Conſortem, à Clemente XII. litteræ Apoſtolicæ & Coronæ impetratæ iſti parabantur actui. Pia diæceſis ſuæ deſideria in promovendo cultu ejus loci miraculis claræ Virginis, apud Benedictum XIV. innovavit Venceslaus, & cum aſſenſu Romano, 1755. die 8. Septembris in concurſu Procerum, & populi, impenſis Illuſtriſſimæ Familiæ Potoccianæ magno cum apparatu feſtivitatem diæceſi ſuæ glorioſam abſolvit.

Statuæ hujus originem annales loci perhibent. In

In Palatinatu Russiæ, Terra Premisliensi, prope Jaroslaviam urbem collis erat virgultis, & densis arboribûs obsitus, quem pastores gregum, quandoq; prædones incolebant. Annô supra millesimum, trecentesimô octogesimô primô, decimô tertiô calendas Septembris, Ludovicô Rege Poloniam, Ericô, Antistite primô Premisliam gubernantibûs, à pastoribus deperditas oves quærentibus inventa est super truncum sylvestris pyri effigies opere statuariô, efficta, speciem Virginis dolentis induta, exanime Christi corpus, dextrâ caput, lævâ pedes complexa, in sinu ferens. Opus totum duos cubitos non excessit, & licet crassiore manu elaboratum, gratiæ tamen & majestatis erat plenum. Ad nuncium repertæ imaginis tota se effudit civitas, eademq; die sacrum pignus magnâ reverentiâ urbis templo intulit; sed nocte intempesta, ad sua virgulta, superna manu denuo delata effigies, collem illum se elegisse in fixam sedem docuit; quare tumultuario opere Divæ Virgini ædes lignea condita est: stetitq; undequadraginta annis, donec Scythæ Russiam interjecto tempore vastantes, domum Sacram in favillam redegissent. Damnum hoc ædis Virgineæ resarcivit Raphael Tarnowski, Premisliensis Castellanus structâ ex lateribus Ecclesiâ. Verùm & hæc, integra non diu duravit fabrica; decimô quartô ab erectione sui anno, iterum à Scythis per subjectum ignem exusta est. In utroq; hoc incendio statua Mariana illæsa à flammis mansit. Rebûs verò pacatis loci hæredum, aliorumq; munificentiâ è cineribus restituta domus sacra cum sua effigie commissa fuit curæ Clericorum (ut dicimus) sæcularium. Tandem Sophia Anna Kostkarum Filia Alexandri Ducis in Ostrog Consors, Jaroslaviæ hæres, anno à partu Virginis 1635. Henrico Firleio Premisliensi Episcopo annuente, Patribus S. J. addixit templum & sacram Dolentis Virginis Imaginem: quam (ut diximus) Venceslaus Sierakowski coronavit.

Præsu-

Præsulis hujus pietas, quam fovit exercitiîs spiritualibûs S. Ignatii de Lojola nullô ferè annô prætermissis, & regimen diæcesis laudabile meruit, ut ab Augusto III. etiam invitus promoveretur ad Leopoliensem Metropolim; nominationem & electionem tanti Antistitis confirmavit Clemens XIII, multisq; laudibûs prosecutus est.

Ut erat felix Livonia, Camenecum, Premislia Venceslaô Præsule, sic suo ingressu & Pastorali studiô æque fortunatam reddit Leopolim Archiepiscopus. Ingem memoriam Viri hujus servabit Patria, augebit fastos Antistes, qui religione in Deum, pietate in Ecclesias, liberalitate in pauperes, humanitate in omnes implet Poloniam.

CAPUT QUINTUM
De Episcopatu Cracoviensi.

CRacovia Minoris Poloniæ caput, Ducum & Regum Poloniæ olim Sedes, eorumq; ad præsens coronatrix, Sepulchris Monarcharum suorum famosa, Academiâ celebris, eodem tempore quo Gnesnensis Ecclesia Archiepiscopum nacta est. *vide p. 14.*

Urbs hæc primordia sua debet Craco I, Poloniæ Duci, qui eam fundavit ad fluvium Vistulam, & à nomine suo Cracoviam dici voluit. Loco, in quo civitas hæc erecta est, adjacebat rupes Vavel dicta, ad cujus radicem in antro, quod hucusq; extat, & specus draconis dicitur, draco magnitudinis insolitæ natus in populum & armenta sæviebat, magnamq; toti viciniæ inferebat vastitatem. Cracus ut à tanto malo liberam redderet Provinciam, corpus pecoris sulphure, aliisq; rebûs ignem foventibûs impletum ad pabulum voraci belluæ proposuit, arteq; hac injurium populo mon-

monstrum sustulit, & in eadem rupe Vavel arcem erexit: quæ successu temporis variorum Ducum, & Regum munificentiâ, loci Præsulum liberalitate ad eam majestatem & splendorem pervenit, ut inter præcipua Europæ opera non postremum locum nacta fuerit: à Svecis tamen suis opibus & ornatu spoliata, ac magna parte exusta, ab Augusto II. & Republica demum decori restituta vestigium antiquæ majestatis retinet.

Cracus judiciô aliquorum *(a)* fuisse asseritur de celebri Romæ Gracchorum Familia: ex qua Tiberius & Cajus Tribuni, populi Romani defensores, pro illius libertatibus decertantes ex odio Senatûs interierunt: primus in officio Tribuni, alter eo finito potentiâ Opimii Consulis prævalente à Septimuleo occisus. Sed hunc sensum refellit *Cromerus Lib: II.* huicq; opinioni dedit occasionem sola duntaxat similitudo nominum Craci & Gracchi.

Cracovia ex aliquot civitatibus componitur. Præter urbem ipsam à Craco fundatam, habet Casimiriam à Casimiro M. conditam, cui adjacet Rupella æde D. Michaëli Archangelo dedicata, nece S. Stanislai Episcopi memorabilis. nunc extat sub cura PP. Eremitarum S. Pauli. Stradomiam, ubi cænobium & Ecclesia PP. Minorum de Observantia in favorem S. Joannis Capistrani sub titulo S. Bernardini Senensis à Sbigneo Episcopo Cracoviensi erecta est. Titulus prædicti Templi dedit occasionem Patres hujus Ordinis nominandi in Polonia Bernardinos; qui enim alibi Franciscani dicuntur, in Polonia vocantur Bernardini. Habet Clepardiam dictam ab aliis Florentia *(b)* à S. Floriani corpore, quod Casimirus Justus à Lucio III. impetravit, & in templo magnifico opere exstructo deposuit. Præter varia suburbia habet suburbium Zwierzyniec dictum, in quo extat Ecclesia S. Salvatoris cum cænobio Monialium S. Norberti à Jaxa de

(a) Dlugossius: Lib. I. *(b) Dlugossius L. I.*

de Domo Gryphium temporibûs Boleslai Crispi conditum. In hac Ecclesia scribit *Tylkowski Parte VII. Physicæ curiosæ Sect: VI.* Infantem à viro conceptum sacro fonte ablutum esse. *Rzączyński. Kraszewski Abbas Vitoviensis.*

Hac in urbe annô 966. Miecislaus I. Dux Poloniæ Archiepiscopalem Sedem fundavit: Ægidius verò Cardinalis, Episcopus Tusculanus, Joannis XIII. Legatus Basilicam Cracoviensem sub titulo S. Venceslai M. ad preces Dąbrovcæ Consortis Miecislai I. in arce Cracoviensi consecravit: primumq; Prochorum Italum novæ præfecit Cathedræ: in illam postmodum exuviæ S. Stanislai E. M. translatæ a Lamberto III. in medio Ecclesiæ collocatæ sunt. Et quia Lambertus Zula, qui D. Stanislaum præcessit, Archiepiscopale pallium post fata Aaronis imperrare, prætermisit, Ecclesiam Cracoviensem in Suffraganeam redegit. Ivo Episcopus Cracoviensis in ordine XIX. iverat quidem ad Romanum Pontificem, ut sibi & suis Successoribus Archiepiscopale pallium impetraret; cæterùm eum honorem tanto tempore prætermissum non obtinuit: in primæ tamen dignitatis notam insigni, quod Rationale vocatur, seu pallium B. Petri, utuntur Cracovienses Præsules. *Starowolski.*

Dignitas Cracoviensium Antistitum post Archiepiscopos in Regno & Senatu prima est. Gaudent jure gladii, cùm sint Duces Severiæ: quem Ducatum pro Præsulibus Cracoviensibus emit Sbigneus Olesnicki. Scribit *Lubienski in Geographia* quod Boleslaus Pudicus Episcopis Cracoviensibus permiserit titulum Ducis ea conditione: ut hi quotannis semel Principem Poloniæ conviviô, iter verò facientem per bona Episcopi, hospitiô exciperent.

Latitudo Diæcesis hujus per tres Palatinatus, Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem, Terram Lucoviensem & partem Silesiæ diffusa est. Innocentius

IV. eam illius latiaudinem ubi resciviffet, fcripfit Abbati Mezanenfi, fuo in Polonia Nuncio, ut initô confiliô, cum Archiepifcopo Gnefnenfi; & Cracovienfi Antiftite, Epifcopatum Łucoviæ erigeret, illiq; aliquem ex Ordine Minorum præficeret, verùm id non fubfecutum. Joannes de Opatovice, II, in ordine Epifcopus Chełmenfis, Palatinatum Lublinenfem fuo Epifcopatui adjungendum intendebat; jamq; Rege promovente, confenfum Pontificium, hac fuper re obtinuerat; fed Sbigneus Olefnicki in Comitiis Siradienfibus fortiter obftitit, informavitq; Pontificem, qui mentem fuam revocavit. Skrobifzevius fub anno 1320 afferit: Camenecum in Podolia fuiffe jurisdictionis Epifcoporum Cracovienfium. Niefiecki Haliciam ad Epifcopos Cracovienfes fpectaffe, ex eo infert, quòd Regibus Halicienfibus Regia infignia Cracovienfes Præfules detulerint.

Diæcefis hæc numerat Collegiatas Ecclefias 17. Sandomirienfem, Clepardiæ S. Floriani, Vislicenfem, Kielcenfem, Scalmirienfem, Cracoviæ S. Michaëlis in arce, S. Annæ, S. Georgii & Omnium Sanctorum, Sandecenfem, Opatovienfem, Tarnovienfem, in qua Præpofitus Infulatus eft, Lublinenfem, Bobovienfem, Vovnicenfem, Bufcenfem, Pilicenfem. Archidiaconatus fex: in Cracovienfi, juxta numerum anno 1711 initum, habet Ecclefias 372. in Sandomirienfi 59. Zavichoftienfi, 167, Sandecenfi 208, Lublinenfi 127. Pilicenfi 20. His addi debent Ecclefiæ Parochiales & facella in ipfa urbe Cracovienfi quæ funt 23. Habet univerfas Ecclefias 976, præter Ecclefias Religioforum numerofiffimas. Ipfam Cracoviam fi fpectes? Roma Polona dici poteft. Imagines miraculis claras plures numerat. Częstochovienfis clariffima & orbi nota. Non abs re exiftimo, fi de origine illius, & de modo, quo Poloniæ ceffit, innuam.

Cum tempus obitûs Pretiofiffimæ Dei Parentis appropinquaret, præter Apoftolos, aliosq; Viros re-

centis Ecclefiæ primarios, magna hominum frequentia, qui vel amoris neceffitudine, vel generis propinquitate, Virgini Sanctiffimæ juncti erant, ad eam morituram convenerunt. Non poterant, non molefté ferre Ipfius abitum, præcipue illæ Sanctæ Virgines, & viduæ, quæ præter cæteros, propenfiore erga MARIAM, tanquam Magiftram vitæ fuæ, amore & pietate ferebantur, videntes fe folatiô, atq; præfidiô tantæMatris deftitui, orbitatem fuam multis complorabant lacrymis. Erat tum temporis inter Apoftolos D. Lucas Evangelifta, ùt medicæ, fic pictoriæ artis peritiffimus (c) qui cum S. Paulo Hierofolimam, proximè ante mortem Deiparæ venerat. Hunc devotæ B. Virgini illæ feminæ adeunt fupplices, ut quoniam vivâ fpecie MARIÆ brevi illas carere, neceffe effet, faltem coloribûs ejus faciem expreffam, pro memoria, & folatio penes fe habere poffent. Annuit earum votis D. Lucas, cogitantiq; in quo hoc opus perficeret, obvia fit illi in domo, menfa cupreffina, quæ pro ufu Virginis ibidem manentis ferviebat, ejus manibûs, laboribûs, orationibûs, & lacrymis confecrata. (Hanc menfam plurimi authorum, ut refert *Andreas Gołdanowski*, autumant illuc translatam effe ex Nazareth, ubi Chriftus conceptus eft. Ifti authoritati confonat illa infcriptio Domui Lauretanæ olim appofita: *Menfam autem Virginis habet Częstochovia in Polonia*) Illam itaq; S. Evangelifta, tanto operi acccommodam nactus, in ea effigiem Virginis, fimilem illi formæ, quam in provectiore ætate habebat, à capite ufq; ad lumbos, cum Chrifto Infante, finiftro lateri, manu quoq; finiftra, illum fuftentante, innixo, mirô efformavit artificiô & illi Sacro Collegio tradidit. De ea re extat teftimonium Nicephori: *Verbi Matris imaginem D. Lucas Apoftolus, ipfe fuis manibus depinxit, illa adhuc vivente, & tabulam ipfam vidente, gratiamq; illi fuæ formæ immittente.* Nicephorus Lib: XV. C. XIV. Q 3 Hæc

(c) *Cornel à lap: in Acta Apoft.*

Hæc venerabilis Imago apud sacras illas Virgines in honesto ac secreto conclavi prædictæ domûs servabatur, & illæsa fuit singulari DEI patrociniô sub illud horribile excidium Hierosolimæ à Tito & Vespasiano. Cujus dignitatem, valorem succedentes sibi referebant, usq; ad illud tempus, quo, Helena, Constantini M. Mater, ad inquirendam Crucem Salvatoris, Hierosolymam venisset. Qua inventa, crescente sua devotione, de statu & vita Deiparæ Sancta Imperatrix cæpit inquirere. Sed à Judæis domum tantùm vetustam, in qua, olim habitabat ChristiMater, & in qua Christiani manerent, extare didicit. In hanc cum Augusta venisset, honorificè ab habitatoribus accepta est plurimaq; de vita, sanctitate, & exitu MARIÆ ab illis virginibus didicit. Inter alia Iconem hanc sacerrimam sibi ostensam, plena animi demissione venerata & exosculata est. Sunt nonnulli, qui referunt, quod hanc sacram imaginem Helena Filio suo Constantino, cum aliis rebus transmiserit. Plures tamen asserunt: quod Eudoxia Augusta Hierosolymis existens, (d) eandem secum deportaverit Antiochiam, quæ postea Pulcheriæ Theodosii Imperatoris Sorori, Constantinopolim transmissa, in loco primùm, qui Tribunal dicebatur, deposita, postmodum in Templo ab eadem Pulcheria exstructo, quod via Ducum nominabatur, collocata est, per plures annos non tantùm afflictis solatiô, sed & contra varios hostes urbi huic erat præsidiô. Tandem Carolo M, Occidentis Imperatori, à Constantino Orientis Cæsare transmissa, longô tempore in Ecclesia S. MARIÆ Aquisgrani colebatur.

Hic Imperator suô ævô, in bellis fortunatus, in multis locis, contra varios hostes, etiam Saracenos decertabat: pro subsidio eidem Dux Russiæ fortissimus, Leo, ut natione Ruthenus, sic religione Græcus (de cujus nomine, juxta nonnullos, Russiæ metropolis, Leopolis dicitur) venerat. Ejus copiis, sæpe victor evasit Carolus, magnoq; honore & gratiis eundem prosecutus est. Longiorem in obsequiis Caroli, Leo traxisset moram; sed quia suæ Patriæ imminebant Tartari, reditum parare debuit. Cùm Carolo valediceret, Imperator suos illi favores exhibens, thesauros cum omni liberalitate offerebat, sed ille omnibûs postpositis, Imaginem Deiparæ, ab ejus præsentia, singulare contra hostes suæ Russiæ ratus præsidium futurum, à Cæsare, præter ejus opinionem, sibi donari postulavit. Carolo tacente, illoq; suô silentiô rem sibi charissimam abnuente, dum Leo supplicibûs ac importunîs instaret precibûs, illa svavi pertinaciâ cor Imperatoris devicit, & hanc Sanctam effigiem ab eodem licet invito, donô accepit. Tantum pignus, quo poterat artificiô mox exornandum curavit, ac in patrium solum, cum honore translatum, in Castro munitissimo Russiæ, Bełz dicto deposuit, ejusq; custodiam Sacerdotibus Ritûs Græci commisit.

(d) *Evagrius Lib: I. C. X.*

Successu temporis, cum Russia sæpiùs Regibus Poloniæ rebellis, in ditionem Polonorum, præcipuè armis Casimiri Magni devenisset; Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex, ejus in Polonia Successor, in Hungariam abiturus, Ladislaum Opoliensium Ducem sangvine junctum, Polonis Gubernatorem, Roxolanis Dominum constituit. Hic aliquot castris Russiæ subjugatis, alias munitiones lustrans, prædictam Iconem in castro Bełzensi advertit: ejus venerandâ specie oblectatus, Ipsam prope suum conclave, devotioni propriæ, & cultui Mariano satisfacturus, in loco amæniore collocari fecit. Interea contigit, (quod in Russia frequens erat anteactis temporibûs) ut Tartari excursionem in Podoliam, Volhyniam, facerent, atq; finitimam Russiam ferociâ suâ invaderent, ferrô & igne omnia vastantes, Imminebant illi Bełzensi Castro, & quia exhausta Provincia nullô erat obstaculô; ut Principe Ladislaô oppressô, rebûs securiùs potirentur, celeritate, & opportuni-

portunitate usi, cum ingentibus copiis munitionem aggressi sunt. Erat tum præsens Ladislaus arcis præsidiô, ut existimabat, bene munitus, cum audacior unus, ex Tartaris, in cubiculum, ubi Sacra Imago extabat, sagittam torsit. Prostratus ante eam jacebat Princeps, contra barbaros opem Virginis implorans, sagitta verò emissa, supplice illæso, guttur imaginis transfixit. Ladislaus dolore animi, ob injuriam Dei Matris graviter concitus, exclamat: *Ecquid Diva, Tuam injuriam non vindicas?* dixit, & continuò nebula spissa arcem operit, ex qua visi sunt Scythis, magnitudine, viribûs longè præstantissimi prodire milites, & in Tartaros irruere, quibûs territi barbari, in fuga quærebant salutem. Id ubi cum suis advertit Ladislaus, viribûs & animô resumptis, Scythas forti brachiô persecutus est. Pars illorum prostrati, pars capti, cæteri dispersi, victoriam & arcis libertatem Duci Ladislao reliquerunt.

Tantam opem Imaginis Deiparæ expertus Princeps Opoliensis, eam pro præsidio gentis suæ Opolium transferre constituit, ac brevì cum Sancto hoc pignore iter arripuit. Sed persæpe humanas intentiones confundit Deus. Russiam prætergressus, Dux Poloniæ partem magnā emensus, dum suæ Silesiæ appropinquat, ad montem Częstochoviensem pervenit, unde mirabiliter defixam Iconem movere nequit. Attonitus, dum viæ cursum retardare cogitur; doloris plenus dat se orationi, & prociduus ante sacram Imaginem, post fusas cum lacrymis preces, somnô oppressus, edocetur: effigiem de voluntate Dei & Deiparæ in illo monte ad ejusdem cultum debere collocari: Quid ageret Princeps inops animi? diu hæsit. Divinis tamen imperiis obtemperans, quibus nusquam impune contravenitur: Imaginem Sacram non sine dolore, Feriâ Quartâ post festum S. Bartholomæi proximâ, 1382. relinquit, & ad illius honorem promovendum, Patres Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, in Hungaria, tum vitæ sanctitate florentis-

rentissimos evocat, illisq; Imaginem custodiendam tradit. Ecclesiam, cum Religiosis ædibus exstruit, adjunctis certis possessionibûs, & privilegiis, quæ postea per Reges Poloniæ & Rempublicam confirmata, & approbata sunt. Plurimis miraculis locus, ille, non tantùm Poloniæ; sed & vicinis Provinciis & Regnis innotuit, plurimosq; ad visendam, & colendam in sua effigie Deiparam excivit.

Per annos prope 50. magno populi, Procerum, ac Principum confluxu & devotione Mons Częstochoviensis claruit, cùm Ladislao Jagellone Poloniam, Cracoviensem diæcesim Sbigneo Olesnicki moderantibûs, supervenit tempus Bohemiæ, & Silesiæ luctuosum, quo valido impetu Bohemi erroribûs Hussi infecti omnia igne & ferrô vastabant. Idem malum & Częstochovia Silesiæ vicina, feriâ quartâ post Dominicam Palmarum (e) anno à Christo nato 1430. experta est. Hussitæ cænobium Częstochoviense propter Deiparæ cultum & frequentissimas non tantùm Polonorum, sed etiam Hungarorum, Moravorum, Bohemorum, Silesitarum, Saxonum, Prussorum, Lithvanorum, peregrinationes, magnis opibûs repletum arbitrati, fugatis Religiosis, aliis cæsis, prædæ avidi invaserunt, & quæ erant pretiosiora, (minorì tamen præter opinionem spoliò inventô) cum auro & argento, ac aliis, quibûs, impensis Leonis Ducis Russiæ, & Ladislai Opoliensis, ac aliorum Sacra Imago exornata fuit, sacrilega manu diripuerunt. Sic suis monilibûs spoliatam, quidam insolentiores, ex claro monte abducere conati dum præeuntem turmam sequentes, cum ea fere tria stadia, versùs Silesiam confecissent, Imago stetit immobilis; trahebant fixam adjunctis pluribûs equis, impellebant, raptabant sceleri & temeritati satisfacturi, sed irritô conatu & studiô. Hac mora dum adverterant iter suum

(e) *Cromerus Lib: XXX. Dlugossius ipsum diem Paschæ memorat.*

um retardari, iracundiâ inflammati; *quid nobis cum futili ligno!* blaterant, & tabellam facram violenter de curru dejiciunt, quæ in tres partes illo impetu fracta eſt. Media pars cum formam integram retineret, quidam audacior, ac ſi non ſatis delicti commiſſum fuiſſet, ferrô evaginatô, uno & altero ictu faciem Deiparæ percutit, & cum tertium impingere nititur, rigore artuum, & cæcitate correptus eſt. Alter quoq; primi pænâ minimè territus, dum vulnus tranſverſum imagini pararet, ſimiliter punitus; alii metu perculſi, cæcis plauſtro impoſitis, agmen ſuum ſecuti ſunt, versùs prædium Dzbow Scribit Petrus à Roſprza: illos duos percuſſores brevi miſere obiiſſe, quorum cadavera humi jacentia adeò ſqualleban, ut illa, nulla fera, volucris nulla attingeret. Reliquos tam rabioſa peſtis adorſa eſt, ut undiq; per campos ſparſim oberrantes, mortui provolverentur, pauci admodum domum redière. Eorum unus, quem ſui ſceleris pænituit, poſtea reverſus Częſtochoviam Patribus omnem rem, prout acta eſt, veniam petens, enarravit. Ita nunquam impunè abeunt ſacrorum ſpolia, & rapinæ.

Tempeſtate ſedata, Religioſi Imaginem Deiparæ dum inquirunt, direptam, ac diſruptam, nec non fœdè cæſam, prope eum locum, ubi nunc Domus Tyronum ejusdem Ordinis extat, inveniunt, ac reventer colligunt. Eſt locus hic à claro monte tribûs ſtadiis ferè diſſitus, in quo, dum veneranda Imago dejecta fuiſſet, fons novus erupiſſe fertur, & illius aqua partes imaginis à maculis lotæ fuiſſe perhibentur. (*f*) In ejus rei memoriam, fuit poſitum ſignum Crucifixi, poſtea columna lapidea erecta, deinde à Bernardo Macieiowski Cracovienſi Præſule, Gneſnenſi Archiepiſcopo, S. R. E. Cardinale facellum ædificari cæptum, ſed morte ipſum præveniente non finitum. Ad præſens cernitur Templum erectum in honorem SS. Andreæ & Barba-

(*f*) *Goldanowski.*

Barbaræ, penes cujus principalem partem eſt puteus continens illum fontem, virtute quadam præditum. Sunt enim, qui ex eo bibunt frigidam, ſecumq; in variorum caſuum remedium aſportant, & efficacem experiuntur.

Huſſitarum ſacrilegum facinus, abundè deplorantes, reſumptô animô Patres, Cracoviam iter arripiunt, & Regi Ladislao, imaginem ſuo decore nudatam, conquaſſatam repræſentant. Ad famam violati & ſpoliati Templi, ingemuerat Rex pius cum tota urbe, ſed, ubi hoc Polonum Palladium tam impiè manu nefaria tractatum vidit præ lacrymis oculos tenere non potuit. Luctu & gemitu Cracovia integra parentavit adeò læſæ, in ſua Imagine Deiparæ; ubi conceſſum lacrymis, Rex curæ ac fidei Magiſtratûs, ſacram commiſit Iconem. Advocati artis pictoriæ Magiſtri, cùm tabulam accuratè redintegrâſſent, coloreſq; ſcitè cicatricibus abolendis non ſemel adhibuiſſent, eas, decidentibûs ſemper coloribûs, nullo modo oblitterare poterant, quæ in ſignum perpetrati ſceleris, etiam, poſt irritos recentiorum pictorum conatus, in diem uſq; hodiernam remanent.

Reddita integritati Imago, primùm de Regiæ Majeſtatis theſauro, laminis argenteis inauratis cum lapidibus pretioſis adornata eſt, ac Patribus tradita, iterum in Clarum Montem Częſtochoviam, cum Regio milite, Cracovienſi Magiſtratu, magna urbis parte, aliiſq; comitantibûs, honorificè deducta eſt, atq; in parato Templo, & altari repoſita, in ſui cultum Poloniam, & vicinas Provincias evocavit. Arctus ſucceſſu temporis, commodo concurrentis populi, videbatur locus, extruxerat quidem Ladislaus IV. Capellam, ſed & hæc capiendis hominibus erat incommoda. Quare Mathias Łubienſki Primas Regni, ſacellum dilatavit, exornavit, & conſecravit, ac anno 1644. die feſto Annuntiatæ Virginis in confluxu Procerum in ſacellum ſolenni pom-

pa

pa sacrum pignus transtulit, à sacris exedris Joanne Dyonisio Łobżyńśki Ordinis S. Pauli perorante.

Annus 1648, successit, (quem infans ultra naturæ cursum, mirabilem prædixit, his articulate prolatis vocibûs: *Quadragesimus Octavus, mirabilis annus* (g) fatalis Poloniæ; illo enim *Septemtrionis decus, Fidei defensor* (sic ab Urbano VIII. dictus) Ladislaus IV. Rex Mereci ultimum diem obiit. Rege hoc ut Polonia erat felix, qui eam plurimis cumulavit victoriis, (quos & quales hostes ille vicerit? brevi carmine comprehendit Epitaphium.

Hic jacet occlusus, parva, Rex magnus, in urna,
Olim cui fuerant, vix tria Regna satis.
Ladislai Quarti nomen si inscripseris? horret
Moschus, Turca timet, cætera turba gemit.) (h)

Sic post ejus mortem omne malum totam inundavit Lechiam. Cosaci Duce Chmielnicciô, Moschô, Tartarîs in societatem armorum accitis, in perniciem illius conspirârunt, multisq; cladibûs attritas Provincias fere vacuas fecerunt, habitatoribûs interceptis, & in Tauricam transmissis. His Poloniæ infortuniis, nondum satiari visa fors iniquior; in ejus fere interitum, commovit Carolum Gustavum Sveciæ Regem Qui ruptis induciis Sztemdorfiæ adhuc cum Ladislao IV. inter Poloniam & Sveciam conclusis, præmissô Arfridô Vitemberg cum 6000. in Poloniam anno 1655 brevi eundem cum majoribus copiis secutus, plures munitiones, civitates, Prussiam, & Majorem Poloniam juris sui fecit, Varsaviam, Cracoviam expugnavit, ob defectum militis resistere non valentes.

Joannes Casimirus tot malis pressus, ne præda hosti fieret, Nissam in Silesiam cessit, afflicto Regno consulturus. Tantis progressibûs ferox Gustavus ad subjugandam Częstochoviam, spe divitiarum illectus adje-

(g) Kwiarkiewicz Nieszporkowicz. (h) Kochowski Climact: I. Lib: II.

adjecit animum, ejusq; oppugnationem Burhardo Millero commisit. Armis, astu variisq; artibûs tentatum, oppugnatum hoc Ancile Polonum. Promittebatur dolose securitas, & libertas huic Mariano castro, modò obsessi fidem jurarent Carolo Gustavo. Claromontano Religiosorum cætui præerat tum A.R.P. Kordecki, ultra 70. numerabantur Religiosi, pedites, quotquot e rusticanis tumultuarie colligi poterant, erant 160. Aderant & aliquot Nobiles e Siradiensi Palatinatu: Stephanus Zamoyski Vexillifer Siradiensis, huic peditum regimen commissum: Petrus Czarnecki, Sigismundus Moszyński, Nicolaus Krysztoporski, & Joannes Skorzewski. His turres & propugnacula, ad defendendum, designata sunt. Sed quantæ vires? contra duodecem & amplius millia Svecorum. Et tamen à die 18 Novembris, 1655, ad diem 27. Decembris, ejusdem anni, vim, impetum, omnes conatus, multa hostium clade, sustinuit Częstochovia; suam munitionem, cælorum Reginâ, Castrorum acie ordinata, protegente, & defendente, Svecorumq, molimina confundente. Nocte intempesta, diem S. Joanni Apostolo & Evangelistæ sacram præcedente, relictis sex majoribûs tormentis, tribûs ruptis, glandibûs & aliis munitionibus, miles inglorius cum Duce suo Millero castra deseruit. Fama de fuga Svecorum, & liberâ ab obsidione Częstochoviâ, ut maximam toti Poloniæ tulit lætitiam, sic non postremam populi multitudinem (præsertim cum Sacra Imago, ex Silesia, quò subducta erat, suæ Sedi restituta esset,) in laudes Deiparæ conduxit. Ipse Joannes Casimirus brevi supervenit, & post preces cum lacrymis Deo, & Deiparæ fusas, Proceres convocavit, Senatûs Consilium instituit, felicesq; contra Svecos ex claro monte movit passus, armis, potissimum Stephani Czarneccii victor.

Ignominia hæc, & animus ad vindictam, suo quandoq; tempore sumendam, hæsit cordi & animo Svecorum.

rum. Serenissimus Augustus II Princeps & Elector Saxoniæ, ante annos aliquot in Regem Poloniæ electus, anno 1701, cum suo exercitu in Livoniam perrexit, eam à Svecis pro Polonia vindicaturus. Oppugnavit Rigam, sed irrito conatu, imò magnâ suorum clade, dum amisso fere exercitu, cum illius reliquiis in Poloniam redire coactus est. Carolus XII, Svecorum Rex ea superbus victoria, illam prosequi statuit etiam in Polonia. Ditiones Polonas 1702, ingressus, famam sparsit, se non Rempublicam, sed Augustum Regem opprimere venisse. ac si Rex Poloniæ non esset pars Reipublicæ.

Post fata utriusq; Ducis exercituum, Stanislai Jablonowski, qui 3. Aprilis Leopoli, Felicis Potocki, qui 15. Maji Sokali 1702. obierant, (i) supremum armorum regimen delatum est Hieronymo Lubomirscio. Hic in tam perimenti periculo, litteras (*innotescentiales* vocant Poloni) ad Palatinatus dedit, invitans eosdem ad commune subsidium Patriæ. Ipse interea cum exercitu Polono, ad Opatovecium (civitas est ad Vistulam sita) movit, unde postea ad Pinczovum castra metatus est. Sztenhau quoq; Saxonici exercitûs caput, suum collegit militem, stationemq; fixit unâ à Castris Polonis leucâ.

Rex Augustus 25. Julii, collatô consiliô cum Lubomirscio exercituum Duce, (cùm jam Sveci Russiam emensi, in Palatinatu Cracoviensi constitissent, pugnæ avidi) disposuit, ut 26. mensis ejusdem, Polonas copias cum Saxonicis ad Kliszovum conjungeret, à quo loco semiduobûs milliaribûs, Svecus castra sua metatus fuerat. Die designata, ipse equitatus Polonus ordine optimo aciem explicuit à parte dextra, Saxones ordine pari, sinistram occupàrunt, ipso Rege præsente & omnia disponente. In acies sic paratas movit Carolus, magnoq; impetu, invectus in Saxones, eos licet stre-

(i) *Pulaski.*

strenuè rem agentes, submissis & renovatis suppetiis fregit adeò, ut hi tormentis amissis, victoriam & campum Sveco reliquerint. Conabantur Poloni pugnam restaurare, sed peditatu destituti, qui in bello pars prælii potissima est, tribûs cohortibûs amissis, fortunæ cesserunt.

Hac victoriâ ferox Carolus, exercitum direxit Cracoviam, quam milite vacuam, cum arce in monte Vavello erecta, facile juris sui fecit. Sæviit in cives, totumq; Palatinatum maximis tributis. Nec satis; Arcem Cracoviensem, illud Polonum Capitolium, sæculorum opus, Sarmatiæ decus, Sanctorum exuviis, Divorum Regum sepulchris commendatum, & gloriosum, non tantùm cum injuria Lechiæ, sed & propriæ famæ, pretiosioribûs quibûsvis direptis, magna ex parte in cineres, & favillas redegit. Postea ulteriorem Poloniam victoriis emensus est, & fortunatis successibûs ferocior, ut ant quam Gentis suæ ignominiam deleret, & sacris opibûs ditesceret, Gulsztenderum cum Reco. ex Majore Polonia Cracoviam dispositum, consultò ad Częstochoviam subsistere jussit & adlaborare, ut locô potiretur. Fruges, pecora, omnisq; incolarum supellex ivit in prædam avaro militi. Et cum ab injuriis subditorum non abstinerent Sveci, nocte quadam Claromontani tormentum explodere mandàrunt, quasi in signum accepti subsidii: eo facto Częstochoviensium hostis territus, ne ex improviso opprimeretur, metuens, congregari cæpit, & postera die spoliis populi dives castra deseruit.

Nocturna hæc tormenti bellici explosio, ubi Carolo innotuit, totus excanduit, & irarum plenus, extrema quæquæ Częstochoviensibus imprecatus est. Et licet deprecatione Polonorum Procerum, reconciliari Patribus, videbatur, vindictam tamen tacitus, in aliud tempus opportunum differebat. Proximè Reinszoldum itidem ex Majore Polonia Cracoviam expediebat

cum

cum aliquot cohortibus, qui ut tractu Częstochoviensi iter ageret, Patribusq; molestus esset, tacite imperavit. Morem gessit imperiis copiarum Præfectus, in bonis Częstochoviæ finitimis stativa fixit, prædia exactionibûs emunxit, & brevi ipsi Mariano monti per Colonellum Horn castra admovit, illud oppugnaturus ex ea ratione, quòd hoc Saxones Regis sui hostes conservaret.

Patienti animo, omnia tulêre Patres, patrocinio Deiparæ confisi, à Polonis Proceribus etiam admoniti, ne aliquam occasionem darent hosti temerario. Interea hæc nullius rei consciis appicta est à malevolo Sztombeck Præfecto Generali Svetico. Subsistebat ille in villa Panki dicta, tribûs circiter passuuum millibûs Częstochoviâ distante; cùm Colonellus Swinarski, amore loci sacri defendendi, cum 100. equitibus eum adorsus est. Et quia magis incaute & improvide processit, magna parte suorum amissa, ipsemet in manus hostium venit. Lætus ea prædâ Sztombeck, Carolo Varsaviæ tunc degenti, rem omnem detulit, finxitq; Patres suô consiliô, tanti ausus causam fuisse Swinarscio. Flammam igni addidit homo malevolus. Dat mandatum Rex, eidem Generali, ut Częstochoviense castellum, & Religiosas ædes, oppugnet, & expugnatas cum tota munitione solô æquet.

Fama de oppugnanda Częstochovia jussu Caroli, ubi in vulgus sparsa est; mirum dictu? quem populi dolorem excitavit? gemitu & lacrymis implebantur Templa vociferantium: refugium, & certum asylum in ærumnis sibi eripi; perituram jam Poloniam, si Palladium hoc cederet efferatæ genti. Civitas integra, hæreticis exceptis, plena erat luctu. Poloni Regis Sveciæ partes secuti, omnes curabant modos, ut Carolum à proposito retraherent, Videbatur quidem ille, de furore aliquid demittere, sed ex ambiguis responsis, nihil certi concludi poterat.

Interea, movit exercitum Sztombeck Częstochoviam &

& ut insidias tegeret, eum à claro monte uno milliari ire jussit, Ipse verò nonnullis comitatus in urbem venit. Ubi sumptô prandiô, castelli Mariani observabat situm. Brevi Melandrum cum interprete ad Patres expedivit, admonens, ut pecuniam Gulsztendero, & Reinszoldo non persolutam, sibi numerarent. In reliquis verò, ad pacem ineundam in ipso Cænobio cum deputatis à Ductore copiarum submittendis parati essent. Extra portam Castri A R.P. Innocentius Pokoiski Prior cum octo Religiosis in comitatu peditum prodiit, & respondit ad primum: Illos Generales militiæ Sveticæ plus justò accepisse, & injuriis pauperum ditatos abiisse. Ad secundum: Pacis conditiones, modò justæ sint, in civitate se inire paratos; cæterum indigere se sponsione firma pro securitate mittendorum Religiosorum.

Nondum omnem humanitatem exuerat Sztombeck, submisit è vestigio cautionem, legatos ad secum tractandum invitans. Expediti itaq; sunt, Bruno Janicki Philosophiæ Magister, & Laurentius Rychwalski cum 50. Imperialibus, & dolio vini. Accepit hæc omnia homo avarus, titulô muneris, & paucis allocutus Patres, liberos misit, plenus spei, de submittendis brevi millibus, quæ exigebat. Sed dum nihil mitti cerneret, illudi se advertens, quod pridem animô conceperat, exequi statuit. Vicinas domos succendi jubet, ut hæ sacris ædibus, & toti munitioni voracem flammam porrigerent: ex altera parte, cum horreis & prædio, idem fieri præcipit. Brevi hæc omnia concepere incendium, igneq; integrum propugnaculum involverunt. Conclamatum erat de castro Mariano; dum à diffusis undiq; flammis, in ignem abisse putabatur: & erat ab incendio periculum, sed major metus ab hoste, ne ignis beneficiô, illius præda omnes fierent. Quare auctæ custodiæ, & instinctu singulari, æra campana percussa, quo-

quorum sonô præstigiosæ flammæ à munitione Virginea repressæ, in patentem campum, vim suam & ferociam converterunt, omni securitate Mariano propugnaculo relictâ.

Tam sinistro rei successu excanduit Sztombeck, & ut iram leniret, in ædes D. Barbaræ exarsit, extrema quæque loco minatus, nisi Claromontani Patres suæ avaritiæ satisfacerent. Expectabat opibus inhians animus, injurias pecuniis redimendas, & quia, longa mora videbatur; Ipse properavit, cænobium D. Barbaræ igne deleturus, Primus, ut furori celeritatem etiam adderet, ad perficiendum opus venit: casuq; apertum Templum ingressus, ejus decorem admiratus, deferbuit; & fere in alium mutatus, ab injuriosis loco illi intentionibus abstinuit, ac brevi cum non exigua ignominia Cracoviam movit.

Dum hæc agerentur; rumores varii affligebant Poloniam. Nonnulli, flammis exustam, alii, vi expugnatam Czestochoviam, afferebant. Gemebant plures, & illacrymabantur infortunio loci, quod evenisse opinabantur. Alii Deo, & Deiparæ confisi, volanti famæ negabant fidem. De adveniente Cracoviam Sztombecko, cum notitia pervenisset; quidam ex viris Consularibus cum lachrymis exclamavit: *Veniant Sveci Cracoviam, illam occupent, facultates diripiant, modo Czestochoviam integram nobis relinquant.* Nieszporkowicz. Injuriæ damna, Clari montis Religiosorum, Serenissimo Augusto II. ubi innotuerunt, datis ad A.R.P. Provincialem litteris, eorum pietatem, fidem suis Regibus intaminatã abunde dilaudavit: suaq; beneficia, ac Paternam loci illius curam, pacatâ Republicâ appromisit. Aliquot anni effluxerant, quibûs bellô Sveticô, Moschoviticô, & civili atterebatur Polonia. Annus 1717. supervenit; illo ab armis quies, belli finis huic Regno illuxit, & Virgo Claro montana, in Reginam Poloniæ inaugurata est. Pridem illa, ex speciali erga hoc Regnum amore, eun-

dem titulum ambiebat; dum Julio Mancinello S.J. Lauretanas oranti Litanias, se *Reginam Poloniæ* nominari præcepit. *Annus Cælestis 14. Aug: Pruszcz in mari gratiarum.*

Pro maximis beneficiis, & libertate ab hostibus, grata Virgini Sanctissimæ Polonia; cum suô Rege Augusto II. Clementi XI, pro adornanda Regiis insignibus Czestochoviensi Imagine, supplex fuit. Piis Regni & Regiis desideriis respondit Clemens: duoq; aurea diademata à se benedicta, per Joannem Salerno, S. J. brevi postea, S.R.E. Cardinalem expedivit in Poloniam. Hic ubi fines Regni attigit, quia Rex cum Hieronymo Grimaldo, Archiepiscopo Edessæ, Nuncio in Polonia Apostolico in Saxonia morabatur, Salerno ivit Dresnam. Honore Pontificiis Legatis debito acceptus, munus legationis suæ absolvit, & diademata cum Bulla Pontificia Reverendissimo Nuncio reddidit. Detinebant negotia in Saxonia Illustrissimum Grimaldum, quare festivitatis hujus obeundæ munus, cum iisdem litteris Apostolicis, Christophoro Szembek, Chelmensi tum Episcopo commisit.

Eâ Provinciâ lætus Illustrissimus Szembek, collatô consiliô cum Reverendissimo Constantino Moszynski S. T. D. Provinciali, postea Episcopo Livoniæ, & Anastasio Kiedrzynski S.T.D. Clari Montis Priore, diem 8. Septembris 1717. his solennibus cerimoniis assignavit; Notitiamq; hujus festivitatis cum permissu Loci Ordinariorum per Poloniam & Silesiam detulit. Patres quoq; suis litteris, Proceres Poloniæ, & clari Montis Patronos invitârunt. Ipsi interea magnô studio curabant tanto actui necessaria. Polonia fere tota, vicinæ Provinciæ, & ex remotioribus partibus populus, confluxêre pro die designata: qua Illustrissimus Szembek, concessâ per totam Octavam indulgentiâ plenariâ, Sacram Imaginem coronavit. Apparatum hujus Actus describit *Nieszporkowicz.*

Paulò longior fui in describenda Częstochoviensi Imagine, ejus, contra hostes suarum ædium, vi & virtute; sed id nemo mirabitur, nisi forte ille, qui in MARIAM parcus est: de hac autem, nullus calamus satis scripsit. Habet Diœcesis hæc, & alias plures, tam Salvatoris Christi, quàm Virginis Sanctissimæ, ac aliorum Sanctorum, claras miraculis Imagines: quibûs Deus ter Optimus Poloniam in ærumnis solatur.

Capitulum Cracoviense, ex 36. Canonicis componitur, Inter omnes primum locum tenet Decanus. A primordiis Suffraganei ex Religiosis Ordinibus legebantur, sed hanc consvetudinem, contraria lege infregit Petrus Gamrat. *Vide p. 116.* Dicitur Seminarium Episcoporum; quod passim ex illo promoventur ad Sedes Præsuleas. Duos Judices Deputatos ad Tribunal Regni eligit. Congressus suos primarios celebrat die festo S. Stanislai E. M. & die ejusdem exuviarum translationis; nempe 27. Septembris; quæ toti urbi solennis est. Stemma Capituli, tres Coronæ. Insignia à collo pendula (distinctoria vocant) primum Capitulum Cracoviense à Sede Romana impetravit. Ejus exemplô alia Canonicorum Collegia, idem decus à Sede Apostolica obtinuerunt

ORDO & VITÆ Episcoporum Cracoviensium.

I.

PROCHORUS ITALUS

In suo insigni Crucem præferens.

PRimus hanc Ecclesiam, ab Ægidio Cardinale consecratus, per annos 20. rexit. Testimoniô Starowolscii, Religiosæ gravitatis, & Sanctimoniæ famâ inclytus. Obiit 986, Cracoviæ sepultus.

II.

II.

PROCULPHUS ITALUS

De Familia Columnarum.

A Joanne XV. consecratus, Cracoviensi Sedi regendæ designatus, præter libros, Viros eruditos & probos secum Româ deduxit, quibus Diæcesim excolebat; ut eam citiùs, inter se, & hos divisam, in fide instrueret. Insuper plures ad aulam suam fovebat Polonos juvenes, & bene in religione, & cerimoniis Ecclesiasticis institutos, quos sacris initiatos Ecclesiis præficiebat. Vitâ exemplari, humanitate, & affabilitate plurimos Christo lucratus, nulla adversitate fractus, fatis cessit anno 996, in Cathedrali Ecclesia sepultus, cui ultima voluntate sua libros disposuit.

III.

LAMBERTUS I. ITALUS

Poraita; juxta Niesieccium, Gente Ursinus.

PRoculphi Comes, per annos decem in idiomate Polono se excoluit, post fata Proculphi, vitâ ad omnem modestiam compositâ meruit, ut illi succederet. Facultates multas Episcopatûs auxit, opes ex illis collectas, in ornamentum, & supellectilem Ecclesiæ, in eleemosynas pauperum erogavit, adeò, ut nullis relictis, pauperrimus obierit. Hunc à facundia, ingenio, ac in agendo dexteritate commendatum, ad Silvestrum II. pro corona Regia, Boleslaus Princeps (juxta Starowolscium) expedivit. (Dlugossius hanc Legationem factam à Miecislao scribit) sed hanc pro Boleslao paratam, Idem Pontifex Angelica visione monitus, Astrio Episcopo, Stephani Ducis Hungariæ Oratori, insignia Regia pro suo Principe postulanti, contulit. (a) Lamber-

R 3

(a) Sarnicki L. VI. Starowolski in Vit. Episc. Crac.

bertum verò bonô animô esse jussit, pollicitus, brevi se ornamenta Regia Poloniæ daturum, Obiit Lambertus 1014, in sua Ecclesia tumulum nactus.

IV.

POPPO ITALUS

Pro Stemmate, Cruce insignitus.

ET hic Proculphi socius venit in Poloniam, ac post obitum Lamberti, in Episcopum electus, diæcesim omni probitate instruxit, eam singulis annis invisens. Paræciis providebat Rectores, qui non tantùm verbô, sed vitæ exemplô, erudirent populum. *Justitiæ, & veritatis præcipuus cultor, minimi mendacii osor, & persecutor maximus.* Starowolscii testimonio. In bona senectute ætatem deposuit, 1023. in Ecclesia Cathedrali conditus. Illo Cracoviensem Ecclesiam moderante, Sieciechoviense Ordinis S. Benedicti, & in calvo monte S. Crucis, ad postulata S. Emerici Principis Hungariæ (qui alteri particulam ligni S. Crucis, quam in pectore gestabat, obtulit) cœnobium à Boleslao Rege erectum est. *Starowolski.*

V.

GOMPO ITALUS

De Stemmate Radzic.

Anchora est duabûs stellis signata.

ELectioni Capituli, non dissentiente Boleslao Rege, annuit Roma, & hunc ad summa Ecclesiæ Cracoviensis evexit: respondit ille votis omnium. Paræcias plures instituit, decimas, quas à Principe donô acceperat, earum Rectoribus attribuit; ut haberent, quo suis necessitatibus providerent. Nonô Episcopatus annô, Christi 1032, universæ diæcesis luctu, in sua Cathedra sepultus.

VI.

RACHELINUS ITALUS

De Stemmate Krucyni.

EX Cracoviensi Præposito, omnium votô, 1032. die 14. Augusti electus. Vir disciplinæ Ecclesiasticæ amans, in egenos profusus, æternitatem adiit, 1046. Ejus temporibûs Tinecense Divi Benedicti monasterium a Casimiro Rege 1041. conditum est. Naramowski in Facie Rerum scribit, ab hoc Rachelino Casimirum Monachum, in Regem unctum esse. *Vide p. 43.*

VII.

AARON GALLUS

De Stemmate Trium Coronarum.

CLuniaci Ordinem S. Benedicti professus, virtute & vitæ Sanctitate, Casimiro eandem vitæ regulam colenti, adeò placuit, ut ab illo jam Rege Poloniæ, cum aliis 12. Fratribus in Poloniam evocatus fuerit, & bona Tyniec, cum aliis pluribus, in dotem sui cœnobii obtinuerit, cui primus Abbas præfectus est. Tandem post fata Rachelini, prodroma virtute, ac ejusdem Casimiri favore, Cracoviensem ascendit Sedem. Coloniæ à Benedicto IX. Episcopus institutus, pallium cum dignitate Archiepiscopali obtinuit, ad quem, post electionem sui, Casimiri Regis Orator iverat. Cathedræ, & Capitulo Cracoviensi plurima contulit beneficia. Hoc ut perennem illius foveret memoriam, ejus stemma, videlicet tres coronas, pro suo insigni habere voluit.

Tinecensem sui Ordinis domum multis immunitatibûs & decimis ad mensam Episcopalem pertinentibûs dotavit. Sanxit, ut quivis cœnobii hujus Abbas, locum inter Cracovienses Canonicos haberet, atq;

inter Divina officia, & horas Canonicas, superpelliceô, & ornatu Canonicorum amictus incederet. (b) Ratione istius privilegii, in Judicem deputatum ad Tribunal Regni, annô 1754. electus est Bardoszewski loci istius Antistes. Obiit Aaron 1059, die 15. Maji.

VIII.

LAMBERTUS II. ZULA, POLONUS

De Familia Toporeorum.

AD eam perfectionem Polonum Cracoviense Capitulum devenerat, ut suæ gentis Præsules, idoneos habere potuerit: primusq; hic Cracoviensi præfectus Sedi. Ut ipse Polonus, sic solos Polonos ad Collegium Canonicorum promovebat, inter quos S. Stanislaum adlegit. Præsul judicii & doctrinæ magnæ, zeli maximi. Ecclesiam Parochialem in minori Casimiria condidit, certis decimis manipularibûs, eidem adjunctis. In hujus beneficii privilegio, inter præsentes Cracovienses Canonicos legitur primus Stanislaus Sczepanowski. *Starowolski in Vit: Episc: Cracov.*

Primus hic Lambertus, dum Archiepiscopale pallium à Romana Sede impetrare neglexit, suam Ecclesiam, quæ hactenus Metropolitana fuerat, redegit in Suffraganeam. *Vide p. 243.* Obiit in optima senectute 1071.

IX.

S. STANISLAUS SCZEPANOWSKI

Nobili Prussorum Prosapiâ ortus, sesqui cruce insignita.

PAtre Vielislao, Matre Bogna, ùt genere, sic probitate insignibûs, genitus. Prope annos 30. matrimonii, steriles illi vixerant, prolis avidi, pro qua eleemosy-

(b) *Starowolski in Vitis Episc: Crac.*

mosynis in egenos, liberalitate in templa, precibûs, variisq; operibûs supplicabant Deo. Tandem votorum compotes effecti, ut soli Numini, matrimonii fructum deferrent; Bogna, velut altera Elisabeth, in senili ætate hunc Stanislaum concepit; eumq; appropinquante partûs tempore, in vicina sylva, ad quam diverterat, facillime enixa, in fonte, qui ad manum erat, absq; aliena adminiculo, lavit, & domum sana detulit.

De nomine, Infanti in sacro fonte imponendo, magna inter cognatos orta quæstio; aliis nomen Patris, aliis aliud decernentibûs. Vielislaus cum Bogna, Stanislaum dici voluere. Crescebat puer in dies, pietate, quàm annis maturior, & ut in litteris adolesceret, primùm Gnesnam, postea Parisios missus; in omni eruditione, præsertim notitia juris Ecclesiastici perfecte maturuit.

Post septem annorum spatium ex Gallia redux, cum Parentes naturæ concessisse reperisset, exigua sibi sorte relicta, hæreditatem inter pauperes distribuit. Liberior à curis domesticis, statum religiosum, quem adhuc Parisiis animô conceperat, in quo ordine arripere intendebat. Virtus & morum modestia adolescentis, nota erat optime Lamberto Cracoviensi Episcopo; illum ut Cracoviensi Cathedræ lucraretur, multô egit studiô, effecitq; feliciter, Sacris initiatus, & Canonicorum Collegio adscriptus Stanislaus, respondit votis pii Antistis. In ea dignitate positus, omnibus præivit exemplô; illo nemo modestior, nemo humilior, in verbis ad populum faciendis nemo promptior, ad persvadendam morum probitatem, nemo felicior, ad coercendam licentiam, nemo efficacior. Singula hæc notabat Lambertus; & quia ætas decrepita lecto eum affixerat, negotia diæcesis Stanislao commisit, ipse brevi, corpore & Pastorali munere solutus.

Post fata Lamberti, omnium Suffragiô Episcopus electus invitus, Alexandri II. confirmationi morem gere-

gerere debuit. Præſul inſtitutus, magis virtute, quàm dignitate, eminere curavit. Ad antiquas corporis afflictationes, majores addidit. In id ſerio incubuit, ne & ipſe, & alii, gregi ſuo forent ſcandalum & offenſio. Quare quotannis obibat paræcias, illiſq; eos præficiebat Rectores, qui ſuis eſſent exemplô. Omnes in ſua diæceſi viduas conſcriptas habuit, ut ſingularum neceſſitatibus provideret, in id maxime intentus, ne Eccleſiæ proventus ſui affines, aut nimia familia conſumeret.

Ad conſecrandam Eccleſiam Brzeznicæ, à Joanne deBrzeznica loci domino invitatus venit. Hic ut ſe ſe vindicaret de Sancto Præſule, cui aliunde offenſus erat, hoſpitem contumeliis, famulos verberibûs excepit, & domô exeſſe juſſit. Ceſſit furori hominis Antiſtes, & in vicino prato, noctem peregit, Deo pro inimico ſupplex. Mane Joannes facti pænitens, accurrit, ad pedes Epiſcopi provolvitur, delicti veniam efflagitans, domum invitat. Condonavit injuriam benignus Præſul, ac Eccleſiam conſecravit, domui & loco paſtoralem benedictionem impertitus. Pratum illud à præſentia ſancti, gratiam ſanitatum nactũ eſt, eoq; populi concurſu celebrabatur, ut Sbigneus Oleſnicki Cardinalis, pro majore illius commodo, Eccleſiam in honorem Divi Stanislai, eo loci erexerit.

Clavum Regni tenebat tum Boleslaus Audax, Rex ut victoriis magnus, ſic ſceleribûs inſignior. Non fas, non jura, non animæ periculum, coërcebant Principem, in omne nefas diſſolutum. Tantam Boleslai licentiam, non tantùm doluit, ſed & lacrymis ſæpiùs deflevit Sczepanovius, & cùm in dies pejorem cerneret, imò plures (ut fit perſæpe) Regis exemplô, in peſſima quæquæ trahi adverteret; de grege ſuo ſolicitus, Boleslaum adit, vitæ illius enormitatem exponit, iram Dei, Principum crimina ſevere plectentem explicat, ut reſipiſceret, paterne hortatur, verbis, ut efficaciora eſſent, addit preces & lacrymas. Præſuleam admonitio-

tionem benigne accipere videbatur Boleslaus; ſed brevi ad genium rediit, & ſcelera. Imò auditâ formâ Christinæ, Mſcislai de Buzenin conjugis, cùm illam muneribûs ad vota ſua flectere non poſſet, per vim rapuit, eiq; in ſceleſto adulterio commanſit, prole etiam pro creata: quæ ubi adolevit, in furorem acta, pænam eluebat inſanæ libidinis Boleslai.

Crimen hoc Regium, toti Poloniæ notum, ſummo dolore affecit Sanctum Præſulem. Iram furentis Principis metuebant omnes, Stanislaus, ne deeſſe videretur ſuo muneri, ad comprimendam licentiam Boleslai, iter aggreſſus eſt. Degebat ille tum Vratislaviæ in Sileſia, ut liberiùs, extra diæceſim Sancti Præſulis, libidini & vitiis vacaret. Vratislaviam excurrit Stanislaus, & quem non ita pridem in ſecreto paterne admonuit, illum in præſentia plurium Procerum ſeverè coarguit. & niſi a ſceleribus deſiſteret, Eccleſiæ fulmina minatus eſt. Excanduit ad eam correptionem male ſanus Princeps, & contumeliis affectum, aulâ exeſſe juſſit, vindictam de Antiſtite, ac ſi læſæ majeſtatis reo in aliud tempus reſervans. Illius brevi ſe obtulit occaſio.

Emerat Stanislaus pro ſua Eccleſia villam Piotrovinum à Petro loci hærede, conſtitutum pretium bonorum exſolverat, ſed venditio Actis ſolitis non erat conſignata, breviq; pagi venditor fatis deceſſerat. Emptionem hanc noverant multi, nec ipſi Regi erat incognita, ſed ut negotium faceſſeret Antiſtiti, Jacobum, Sulislaum, & Petrum, ex Fratre defuncti Petri nepotes induxit Rex, ut villam à Præſule repeterent. Muneribûs, & majorum opum ſpe illecti, ad Tribunal Regium diem dicunt Antiſtiti Nepotes. In documentis deficiens Præſul, non habuit, quô cauſam defenderet, ad dandum teſtimonium invitabat rei conſcios, ſed ad illud deponendum nemo comparere voluit; adeò metꝰ iræ, furentis Principis omnibus erat obſtaculô. Ope huma-

humana destitutus Antistes, ne sua Ecclesia in negotio, ipse in fama succumberet; ad DEUM innocentiæ testem confugit, & plenus spei exclamat: *Veritatem, cum nulla sit inter viventes, à mortuis quæram; speroq; de terra orituram. Promitto Dei nomine coram Tuo Rex judicio, Petrum villæ hujus venditorem, ante tres annos vitâ functum, post tres dies sistendum.* Hæc promissio Stanislai, risu ab omnibus accepta, & in re tam impossibili eorum judiciô, facile trium dierum induciæ permissæ.

Interea Sanctus Præsul, sibi & toti Clero, indictô jejuniô, cælum precibûs ad vota sua flectebat. Imminebat dies tertia, dies decretoria, dies sæculis consignanda: publice intensiùs, cum universo clero, per Episcopum supplicatum Deo, ut suæ causæ faveret. Stanislaus Pontificium indutus ornatum, cum magna populi multitudine, quam ad spectaculum futuri miraculi, rei novitas exciverat, ministris suæ Ecclesiæ comitatus, villam Piotrovino adit, ubi in templo Divi Thomæ Petrus quiescebat. Procidit in genua lacrymabundus Antistes, gemitu supplex Deo, ut per se Lazari renovaret memoriam. Tum consurgens, sepulchrum aperire jubet, ac detectum putre Petri cadaver, Pastorali tangens pedô, alloquitur inclamans: *Petre, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritûs Sancti, tibi dico surge, & veritati testimonium præbe.* Nec mora, Petrus voce Sancti, quasi somnô excussô, assurgit, & à Stanislao per fluvium Vistulam, ut miraculum miraculô augeretur, ducitur, Regisq; Tribunali sistitur.

Ad rei insolitam novitatem exhorruit Boleslaus, Proceres, Nobilitas, universi, præstolabantur attoniti eventum spectaculi. Petrus à Sancto causæ veritatem fateri jussus, *Ego Rex*, ait, *precibus hujus Episcopi resuscitatus, ad danandum testimonium: ego villam meam hæreditariam, eidem vendidi, & pretium condictum recepi.* Tum ad Nepotes conversus, eos severe arguit; quòd iniquè Sancto Præsuli negotium facessiverint; & ut pro hoc deli-

licto pænitentiam agerent, cohortatus est. Eo redivivi Petri testimoniô convictus Boleslaus, Ecclesiæ Cracoviensi pagum in perpetuum adjudicavit. Sanctus verò Antistes, quæsivit ex Piotrovino, utrum inter mortales vivere, an etiam defunctis annumerari vellet? mori elegit, tantùm preces sancti exposcebat, quibûs reliquos vitæ nævos expiaret. Ad suum itaq; sepulchrum rediit, & denuo in Domino quievit, variis postea miraculis clarus. Ad altare Ecclesiæ, in qua ossa hujus Petri deposita sunt, in rei memoriam extat hæc inscriptio.

D. O. M.

Hic triennis cadaveris ossa,
Magni ad vocem Sacerdotis,
Naturâ, Orbeq; admirantibûs,
Vivica resurgunt;
Christiq; patrimonium, mortuorum
Testimoniô vindicatur.
Heus quisquis es, qui facultates
Altarium, sacrilegè rapis, detines,
Usurpas;
Specta, redde, cave. Prusicz p. 45.

Miraculum hoc, profuit postea universali Ecclesiæ; nam Concilium Basileense, contra Huss, qui bona Ecclesiarum, tanquam Evangelio contraria impugnabat; earum hæreditatem defendebat hoc Divi Stanislai factô.

Resipuit aliquantum Boleslaus sed virus suum in Sanctum Præsulem brevi evomuit. Contra Vsievoldum, Ducem Kioviæ arma moverat, quo devicto, Kioviam expugnavit. Sed ut Annibali Capua, sic Boleslao Kiovia, campus deliciarum fuit. Polonus miles, & Ducis sui exemplô, & formâ Ruthenarum mulierum illectus, fidei conjugalis immemor, litabat Veneri. Horum scelerum fama ubi devenit in Poloniam, militum con

consortes, similia sibi licere persvaserunt. Publica erant adulteria, quare maritos ex Russia evocârunt.

Boleslaus exercitu spoliatus, ne in prædam hosti veniret inglorius, locum deserere coactus est: ac immolatis in victimam furori suo, pluribûs castrorum desertoribûs, in eorum, & aliorum uxores, tanquam causam suæ ignominiæ sævire cæpit. aliis mamillas præscindere, aliarum uberibus catulos admovere, infantes verò ex adulterio natos interficere præcepit. Ipse verò, in dies pejor, scelera addebat sceleribus. Sæpius illum melioris vitæ admonebat Stanislaus, sed dum monitis nihil proficeret, Diris eundem devovit, cætu fidelium privavit, toti verò Cracoviæ sacris interdixit. Ille interea, ad ædem Divi Michaëlis sitam in Rupella ad Vistulam, ad divinam rem faciendam, clam cum paucis Sacerdotibus, commeabat.

Malevolum & furentem Principem minimè latuit iter Præsuleum. Vice quadam, ut à tam rigido morum suorum censore aliquando liber esset, irâ percitus, cum armatis satellitibus Rupellam contendit. Rem Sacram tum operabatur Stanislaus, Boleslaus, qui probitati nuncium remiserat, pietatem etiam in Sanctos, & Deum exuit. Famulos aliquot cum armis in Ecclesiam immittit, ad interficiendum Antistitem hortatur. Irruunt, impias scelesti Regis intentiones executuri milites, & ubi Episcopum ad altare celebrantem conspiciunt; trepidant, procidunt, omnes tremebundi, vix mentis compotes, gressum retrahunt. Audaciores ire jubet Boleslaus, verum nec hi fuere feliciores prioribûs. Quare ipse correpta acriter suorum ignaviâ, stricto ense Ecclesiam involat, Sancti Antistis verticem ferit lethaliter, adeò, ut in terram procidens Præsul, proximum parietem cerebrô resperserit. Extractum postea, de templo, satellites hortante Boleslao, illorumq; facinus collaudante, in frusta secant, avibusq; & canibus dilaniandum relinquunt. Sed Deus suorum

rum tutor, ad custodiam sancti corporis quatuor submisit aquilas. Cælum ipsum insolita resplenduit luce, Martyris Christi parentans morti. Ea re permoti Canonici, postpositis Boleslai minis, disjecta Præsulis sui membra collegerunt ad sepulturam. Hic res accidit nova, & singularis. Dum membra membris applicarentur, unum alteri ità adhæsit, ac si nunquam divisa essent, sola ictûs cicatrice relicta. Digitus deerat ad integritatem corporis; In illa Sancti cæde, à corpore resectus, in vicinum stagnum ceciderat, à pisce devoratus sed cælesti lumine proditus, & inventus, ac suo loco appositus accrevit corpori. Piis hominibus postea revelatum esse, scribunt multi: Regnum Poloniæ in plures partes discerptum iri, quemadmodum Corpus Stanislai sectum fuisset. Anno ætatis suæ 47. à Christo nato 1079, 3tio Idus Maji occisus est juxta. *Dlugossium L. III.* Cromerus Lib. IV. *Hist: Prus: Lib. I Niesiecki Tom: III.* die 8 Maji occisum scribunt.

Hæc Stanislai cædes, ubi Romæ innotuit, Gregorius VII. rei attrocitate permotus, Poloniæ sacris interdixit, Boleslaum Diris devovit, ac Regnô privavit, sanxitq; ne quempiam Episcopi Poloni in Regem ungerent, nisi Roma, & summô Pontifice consultô. Insuper, qui socii sceleris Regii fuerant, eos, & eorum posteros usq; ad quartam progeniem, à sacris ordinibus & omnibus Ecclesiarum muniis alienos esse jussit.

Aliquot annos in templo D. Michaëlis inglorium sancti corpus jacuit; decimô tandem à nece annô, Ventoslaæ, piæ fæminæ, ad sepulchrum suum sæpius oranti, apparuit Divus Martyr, & exuvias suas ad templum Cathedrale transferri jussit. Visionem & imperium detulit illa Lamberto, Stanislai in Sede Cracoviensi Successori. Qui cum Clero & Cracoviensi populo, solenni apparatu, ossa Sancti ad Principem Divi Venceslai Basilicam transtulit. Sic suo altari Sacerdos, Cathedræ Doctor, Ecclesiæ Episcopus, populo Pastor restitutus est.

Post

Post centum tandem & septuaginta annos, Boleslaus Pudicus Dux Poloniæ, Kinga, seu Cunegundis castissima ejus conjux, Regis Hungariæ Filia, & Prandota Cracoviensis Præsul, Legatos ad Innocentium IV expediunt; supplices, ut tantum Christi Martyrem Sanctorum fastis adscriberet. Desideriis piorum Principum satisfaciens Papa, vitam & miracula Stanislai examinari jussit. Parata jam erant omnia ad celebritatem novi Sancti: Interea Reinhaldus Cardinalis, Episcopus Ostiensis, vir primæ authoritatis, adhuc per mescopus novum requirebat miraculum: illudq; in rita Stanislai novum requirebat miraculum: illudq; in se ipso expertus est. Incidit ille in gravem, & lethalem morbum, dum cum fatis luctatur, apparet in somnis vir luce circumfusus, & quærit: *Nosti ne me Reinhalde?* cumq; hic, non nosse, reponeret, subjungit vir ille: *Ego sum Episcopus Cracoviensis, Stanislaus, novum exigebas miraculum, pœnâ quidem dignus eras, verùm Deus ad meas preces, Te sanum vidt esse; surge, & veritati, quam oppugnas, vinctas manus porrige.*

Viribus & sanitati redditus Cardinalis, causam, quam ante oppugnavit, tuetur, & fortiter promovet. Fit omnium consensus, Stanislaus inter Sanctos Martyres adscribitur Assisii die 8. Septembris 1253. Accidit, ut inter ipsam rem sacram, mortuus adolescens, à Matre in illud templum D. Francisci inferretur: Pontifex Deum supplex precatur, ut novô miraculô factum suum confirmaret. Erigit se subito adolescens. Fit ingens omnium lætitia; Pontifex è suggestu agit Deo gratias, Martyrem Sanctum ampla oratione deprædicat. Ab exedris Divum Præsulem Innocentio laudante, vexillum cum effigie Stanislai, per longum tempus occulta vi, & virtute, in aere fuit pendulum. Diem festum sancti, octava Maji quotannis celebrem in Polonia, idem Pontifex designavit. Clemens verò VIII diem 7. ejusdem mensis, in universali Ecclesia, iis, qui ad horas Cononicas tenentur, cum officio Divino celebrari præcepit.

De

De honore Sanctorum Stanislao Assisii deciso, ubi notitia in Poloniam pervenit, omnes Provincias in lætitiam excivit. Confluxére Duces, Proceres Cracoviam pro die condicta. Prandota Cracoviensis Præsul, ossa Sancti de terra levavit, ac in altari condidit, tubis & cantu honorem Sancti promulgantibûs. Premislaus Rex Bohemiæ particulam corporis Stanislai, pro suo Regno per Oratores postulavit, hanc eidem Prandota transmisit: quam Rex ultra Pragam obvius, solenni pompa intulit suæ Metropoli. Manus ejus sinistra, in æde D. Michaelis, in qua cæsus erat, deposita est. Et ne tantùm in Polonia & Bohemia in suis exuviis coleretur; Lisbonam in Lusitania ad Ecclesiam Domûs Professorum S. I. annô 1587 ossa illius, cum aliis Sanctorum Patronorum Regni Poloniæ, ut Floriani, Adalberti, Hedvigis illata sunt. *Niesiecki Tomo III.*

Sacro ejus Corpori Elisabeth Regina Hungariæ, Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis Mater, tumbam argenteam deauratam justi ponderis dedit. Thomas Zamoyski itidem argenteam, & minorem de auro, cui ossa imposita sunt, fieri curavit. Sigismundus I. altare argenteum honori hujus Sancti extruxit, quod postea Martinus Szyszkowski Cracoviensis Episcopus splendidius fecit. Sed his decoribûs, & aliis pluribûs, per Svecos spoliata est Cracoviensis Ecclesia. Ladislaus Iagello, Vilnæ honori illius Basilicam erexit. Anna Stephani Regis Consors Romæ ejus Ecclesiam adornavit. Plurimi alii, variis in locis cultum hujus Christi Martyris, dilatarunt, & celebrem fecerunt.

Vitam & miracula Illius, abunde descripsit Dlugossius; ego aliqua posteriorum temporum annoto. Svetoslaus vili quidem conditione, sed virtute clara genitus Cracoviæ, curâ Parentum juvenili ætate exculta, post eorundem fata, ut vitam statui suo congruentem duceret, artem sutoriam professus est. In ea ad normam Sā-

 cto-

ctorum Crispini & Crispiniani mores componens, Iucrum ex suo artificio cum pauperibus dividebat. Die quadam cum antelucano tempore ad solitam orationem surrexisset, & illi vacaret, vidit hominum multitudinem & in illa insigniorem virum in vestitu Præsuleo, clerô associatum, quatuor orbis partibus benedictionem impertiri, ad quam omnes genua flectebant concinnentes, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Procedebat ultra pompa hæc, & cum domum Sventoslai præteriret, Præsul verò eidem appropinquaret, Sventoslaus, tanto hospite, judiciô suô indignus, angulum quærebat. Et ecce vir canitie insignis, e medio illius turbæ prodiit, ex eo quærens: *cur metuis? nostine, quis sit hic Antistes? & iste populus?* cùm se ignorare responderet, *Hic est,* inquit senex. *Stanislaus, Martyr et Episcopus Cracoviensis, magnus coràm Deo populi defensor: populus verò, est genus Christianum; pro hac visione age Deo gratias, eamq; Vincentio Ordinis Prædic: conscientiæ arbitro refer. Scito autem præter Stanislaum Episcopum, esse sex alios ex Ecclesia Polona, Sanctitate & meritis coram Deo insignes, quorum mors gloriosa est in conspectu Domini.* Visio evanuit, Sventoslaus verò, ut jussus erat, eam Vincentio retulit: adscriptus brevi clericis, ut vixit, sic sanctè obiit.

Recentius est, quod *Naramowski in Facie Rerum Sarmaticarum, & Niesiecki Tom: III* scribunt: Anno. 1703. sub Solec dum per Vistulam pons præcipiti construeretur labore, eumq; Augustus II. cum Regni Primoribus, castrorumq Saxoniæ Præfectis lustraret; Adventitii ex adversa ripa Sveci, summo in pontem, ut eo potirentur ferebantur impetu, ut igitur præverteretur periculum, funes, quibûs pontis moles sustinebatur, præscindi debuerant. Accidit, ut Judæus quidam factorem apud Præfectum exercitûs Saxonici Bliwernitz agens, casu in apice pontis illius subsistens, eo tempore, quo funes præcisi sunt, in fluvium ceciderit, tum, cum Casimirus Łubienski Cracoviensis postea, & Theodorus Potocki Culmensis, Episcopi, Saxonicis Ministris narrarent, quomodo per Vistulam eadem via S. Stanislaus cum resuscitato Piotrovino, sicco pede transierit. Risêre ad ea hæretici, unusq; illorum adjecit: si vera hæc essent, tunc vester Stanislaus, modo submersum judæum ab aquis liberum redderet. Altum ingemuere Præsules & Catholici, omnesq; in genua provoluti, Deo supplicabant, ut suum in Sancto Martyre vindicaret honorem. Mirum dictu, post spatium alicujus temporis, judæus adverso flumine in proximam ripan emersit, asserens se, a quodam Episcopo, cùm jam suffocaretur aquis, defensum, monitumq; se esse, ut sacro fonte ablueretur, ac in illo Stanislai nomen acciperet, Catholicam non lutheranam profiteretur religionem. Miraculo hoc confusi, sed non conversi hæretici. Judæus Patribus S. J ab ipso hero commendatus, in fide instructus, salutaribus aquis tinctus est.

Reges Poloniæ, pridie inaugurationis suæ, Rupellam nece Sancti Stanislai famosam adeunt pedites, ac in æde D. Michaeli Sacra, Deum & Sanctum Martyrem pro felici Regni regimine deprecantur.

X.

LAMBERTUS III.
De Familia Abdankorum.

ENormi Boleslai factô territi Canonici Cracovienses, non urgebant novi Præsulis electionem, quare annis prope quatuor vacabat sedes. Tandem, ne tam longo tempore, Diæcesis esset acephala, hunc Lambertum elegerunt. Boleslaus Audax post patratam necem Divi Stanislai, cunctis invisus, furiis conscientiæ act9 Regnô excesserat. Post ejus abitum Ladislaus Hermannus Frater, sub titulo supremi Ducis rerum potiebatur in Polonia. Princeps hic angebatur plurimum, ut facinore germani sui, sic Poloniæ infortuniô; in quod incï-

derat per interdictum Pontificium. Illud ut tolleretur, electum Lambertum Romam expedivit, qui liberam à censuris Ecclesiasticis Poloniam impetravit; sed diadema Regium pro Ladislao obtinere non potuit. Romæ in Præsulem consecratus, redux norma gregis sui factus est.

Hermannus Dux, afflictis Patriæ rebus magnô studiô providebat, sed hactenus vixit sterilis. Ne post sua fata, per æmulos Principes, Polonia pessum iret, optabat Successorem throni. At vota Ducis provecta ætas Judithæ conjugis impediebat. Hæc ex consilio Lamberti, in sua sterilitate, ad S. Ægidium confugit. Eumq Narbonam expedivit cum muneribus ad Sepulchrum hujus Divi: Brevi Boleslaum Crivoustum (agnomen hoc ab ore contorto sortitus est) peperit, Principem de variis hostibus quinquaginta victoriis gloriosum. Tanti beneficii memor Juditha, apud Ducem maritum pro Ecclesia Cracoviensi Comitatum Croppensem (qui ad præsens Pabianice dicitur) impetravit.

Lambertus, Sventoslaæ, piæ fæminæ visione admonitus, exuvias Divi Antecessoris sui, decimô post patratam necem annô, in Cracoviensem S. Venceslai Basilicam transtulit. Sepulchrum ex lapide secto erexit, ac laminis deauratis adornavit. Ipse plenus dierũ & meritorum annô 1101 quievit, Cracoviæ in Cathedrali Ecclesia sepultus.

XI.

BALDVINUS AICHINGER GALLUS.

PRomovente Ladislao Hermanno, Canonici ad vacantem Sedem elegerant è medio sui Ceslaum, ut genere clarum, sic virtute non obscurum. Sed quia hic non expectata Romana confirmatione, Episcopatum occupavit; Gvallo Episcopus Bellovacensis, Nuncius in Polonia Apostolicus, hunc Baldvinum. Sacri Palatii Audi-

Auditorem, denarii S. Petri in Polonia, ad Vaticanam Cameram, collectorem, Cracoviensi præfecit Cathedræ. Qui adnitente Boleslao Crivousto, (hic Ladislao Patri in supremo Ducatu successerat) Romæ consecratus, ac in Poloniam redux, annis quinque Diæcesim rexit, ab omni ambitione alienus, in pauperes profusus, quos sui ærarii fecit hæredes obiit 1108. Cracoviæ sepultus.

XII.

MAURUS. GALLUS.

GAllus Gallo successit, à Gelasio II. confirmatus. Præsul ut morum, sic consilii magni. In suam Ecclesiam liberalis, quam plurimis beneficiis adornavit. Andrejoviensi Cænobio, de decimis mensæ Episcopalis dotem auxit. Vitâ functus est, annô 1118. in sua Ecclesia tumulum nactus.

XIII.

RADOST seu GAUDENTIUS.

Poraita vide p. 27.

B. Bogumili, Archiepiscopi Gnesnensis, Patruus: ex Archidiacono Cracoviensi, omnium judiciô, ad Episcopale fastigium evectus, Præsul authoritatis & prudentiæ singularis, Ecclesiasticæ disciplinæ tam in se, quam in aliis custos rigidus. Paræciarum Rectores, magis probitate, quam doctrinâ eminere voluit, gnarus, populum magis exemplô, quàm scientiis trahi ad quæquæ optima. Tinecense Cænobium sat amplam ex munificentia Casimiri Regis, & nonnullorum Præsulum habebat dotem. Sed quia major in dies Religiosorum crescebat numerus, ad eos fovendos, mensæ suæ decimas eidem attribuit. Quam ejus dispositionem Ægidius Cardinalis, Callisti II per Poloniam, & Hungariam Le-

Legatus, authoritate Pontificiâ approbavit. De sua Ecclesia optime meritus obiit 1142. die 19 Januarii Kielciis, Cracoviæ sepultus.

XIV.

ROBERTUS

De Stemmate Argo

ROberti Castellani Siradiensis Filius. Ex Custode Vratislaviensi, Vratislaviensis in Silesia Episcopus, a Jacobo Gnesnensi Archiepiscopo, Opatovecii confirmatus, Calissii verò consecratus est. Suam Ecclesiam, quam laudabiliter rexerit? ex eo patet; quòd unanimi omnium consensu, ad regendam Ecclesiam Cracoviensem invitatus, primus in Polonia, ex una ad aliam Sedem evectus sit. Desideriis Cracoviensium abunde respondit: Cathedralem Ecclesiam dilatavit & consecravit. Hanc tamen eidem fecit injuriam, quòd duorũ tantùm annorum Præsul, fatô suô vota omnium anteverterit, Decessit annô 1144. Cracoviæ conditus.

XV.

MATTHÆUS.

De Stemmate Cholewa.

Gladius est in medio duarum ansarum ferrearum positus.

HIc eruditione, quâ plurimis antecelluit, ad Præsuleã dignitatem elevari meruit, promovente Ladislao Duce. Tres primos libros Historiæ Polonæ, ad formam dialogismi, cum Joanne, seu Janislao Archiepiscopo Gnesnensi scripsit, quos in meliorem ordinẽ Vincentius Kadłubek dispoſuit. Apoplexiâ tactus, obiit 1166. Sepultus Cracoviæ. Ejus temporibùs Miechoviense, & Zvierzynecense Cænobia erecta sunt.

XVI.

XVI.

GEDEON sive GETKO.

De Stemmate Gryphium.

CLementis, Andrejoviensis Cænobii Conditoris Filius, Janislai, Archiepiscopi Gnesnensis nepos, à quo educatus, inter Canonicos Cracovienses, scientiâ, & vitæ probitate adeò eminuit, ut post fata Matthæi, omnium votis in Præsulem electus fuerit. Electioni suæ diu obsistebat, vir ab omni ambitione alienus, cæterum bonum Diæcesis, apud amantem Patriæ Gedeonem prævaluit, suscepit Episcopale onus, & Romæ ab Alexandro III consecratus est.

Accidit opportunè, ut tantus Vir in Præsulem institutus fuerit, illo tempore, quo Miecislaus Crivousti filius non tam regnabat, quàm sua tyrannide affligebat Provincias. Duo quidem erexit xenodochia, sed suis exactionibûs plura fecit. Modesti & æqui regiminis avarum Principem admonebat Gedeon, sed omnia gravatè tulit Miecislaus. Per filios & filias, erat ille præpotens affinitate cum variis Principibus. Quinque filias elocaverat in matrimonium. Unam Boleslao Duci Bohemiæ, alteram Duci Saxoniæ, tertiam Friderico Duci Lotharingiæ, quartam Boguslao Duci Pomeraniæ, quintam Filio Boguslai, in uxores dederat. Filii quoq; Miecislai, unus Ducis Galitiæ, alter Ducis Pomeraniæ, tertius Ducis Rugianæ; Filias, Consortes nacti sunt (a) Hac fretus potentiâ Miecislaus sæviebat in subditos, & ne morum suorum censorem haberet, Gedeonem in exilium mittere decrevit. Præsul ne gregem lupo in prædam relinqueret; author fuit Senatoribus, ut Casimirum, Fratrem ejus ad thronum Polonum evocaverint, huncq; mansvetum & justum Principem iniquo & avaro Duci opposuerint. Sub imperium Casimiri facile

(a) *Kadlubek L. IV.*

cile ivit populus, pluriumq; hostium exstitit victor sub optimo Principe.

Casimirus pluribûs victoriis de Russia & aliis Ducibus gloriosus, beneficiis in Ecclesias, cultu in Sanctos insignis esse voluit. Non tantùm Frater suus, sed & alii Duces, bona Ecclesiastica afficiebant variis injuriis. Eo in negotio non una cogebatur Synodus, statuebantur pœnæ, sed malum, quod altas radices fixerat, evelli non potuit. Casimirus Gedeonis consiliô, Lanciciam comitia congregavit, ubi etiam Synodus celebrata est, canonesq; lati, quibûs licentia, & rapinæ coercebantur. Et ut sancita hæc, perpetuum haberent robur, confirmanda ab Alexandro III Romam per legatos misit *vide L. II* Per eosdem summo Pontifici supplex erat pro corpore alicujus Sancti, cujus patrociniô, contra barbaros tuta esset Polonia. Decreta Synodi approbavit Alexander, Sanctorum exuvias appromisit, interea brevi obiit.

Alexandro in sede Romana successit Lucius III. hujus Nominis. Familiariùs cum illo quondam Romæ vixit Gedeon; quare, plenus spei, author fuit Casimiro, ut appromissa ab Alexandro Sancti alicujus ossa apud Lucium exposceret. Piæ intentioni & consilio Gedeonis satisfaciens Princeps, novam legationem adornat Romam, postulatis Casimiri, litteris suis Gedeon addit robur. Lætô animô accepti Oratores, Lucius Sacrarium, in quo plurium SS. MM quiescebant exuviæ, ingressus, & quisnam Sanctorum, in Poloniam ire vellet? sciscitatus, ex urna manum extendit S: Florianus (b) eam quasi porrigens in subsidium supplici Poloniæ: quare admonitus Pontifex, Corpus S. Floriani, Legatis Casimiri, dedit devehendum in Poloniam, designatô viæ hujus Principe, Ægidiô Episcopô Mutinensi: qui illud, 6. Calendas Novembris, annô 1184. Cracoviam detulit, acceptus a Casimiro Duce, Gedeone Episcopo, omni-

(b) *Dlugossius Lib: VI.*

omnibusq; Statibus & Ordinibusm obvia prodeuntibus: Sacrum pignus Cracoviam delatum cum summo apparatu, & in erecto noviter Templo, in suburbio Cracoviensi, Clepardia dicto, honorifice depositum est. Ut Ecclesiam hanc variis beneficiis ditavit Gedeon, sic aliis liberalem porrexit manum. Kielciis ex secto lapide erexit, & titulô Collegiatæ adornavit. Vąchocense Cistercientium Templum, & Cænobium, suam dotem; Andrejoviense quoq; ampliata bona, debent huic Antistiti. Obiit annô 1186. die 20 Septembris, Cracoviæ sepulchrum nactus.

XVII.

FULCO seu PEŁKA

De stirpe Vulpigerorum.

EX Decano Cathedrali in Episcopum electus ab Urbano III. Veronæ consecratus, ab eodem inter alia beneficia impetravit, ut Episcopus Cracoviensis post Archiepiscopum Gnesnensem primus esset in Polonia. Bona Wawrzęnczyce suæ Ecclesiæ emit. In oppido Sławkow Episcopatûs sui, nosocomium & Ecclesiam erexit, sub titulo S. Joannis Baptistæ, cum cænobio, ad quod Canonicos S. Spiritûs de Saxia locavit. FF. Ordinis Minorum Conventualium primus in Poloniam introduxit, Koprivnicensis Cænobii (quod ejus temporibûs fundatum est) & Miechoviensis, singularis Patronus. Annis viginti in Episcopatu laudabiliter exactis, vivere desiit 1206. in Ecclesia Cathedrali sepultus.

XVIII.

VINCENTIUS KADŁUBEK

Poraita vide p. 27

PAtre Boguslao, Matre Bogna genitus, abeisdem in omni pietate & virtute instructus tenerum ingenium

um minoribus studiis excultum, severioribus applicuit, & in Theologicis adeò excelluit, ut omnium judicio, inter primos palmam tulerit. Hac sua eruditione singulares Fulconis Episcopi favores meruit, qui Ejus dexteritati quæquæ difficillima committebat, nihil agere, nihil intendere solitus, nisi de consilio Vincentii. Cracoviensibus Canonicis illum adscribere intendebat, sed quia & locus deerat, & Vincentius eam excusabat dignitatem, PræposituramSandomiriensem invito contulit. Majora parabat Ejus meritis; sed quæ Fulconis obitus non permisit, illa Cracoviense Capitulum præstitit; dum Fulconis Successorem elegit. Minime speraverat hanc sui electionem, quare Electores, ut alium magis idoneum subrogarent, deprecabatur. Sed hi cum in suis votis perseverarent, illorum desideriis morem gessit. Sic canonice electum facile Innocentius III. confirmavit, Henricus Kietlitz Archi Præsul consecravit.

RegimenDiœcesis inchoavit ab officiis pietatis, pauperum, viduarum Pater, Templorum, cænobiorum munificus Patronus. Plures fovit adolescentes, ut hi litteris exculti, essent suo temporeEcclesiæ&Patriæ utiles. Kielcensi Ecclesiæ uberiores providit proventus. Cracoviense Cathedrale Templum à fulmine ignem conceperat, flamma depascens, tectum, aliaq; hujus Basilicæ ornamenta in cinerem convertit. Damna hæc resarcivit Vincentius, insuper certam pecuniæ summã elargitus est pro alenda continuò lampade ante aram Sanctissimi Sacramenti. Andrejoviensi cænobio binas villas, totidem Kopryvnicensi, dedit: & ne bona hæc sui Sucessores repeterent, sub comminatione pænæ Divinæ interdixit. Lucos & Sylvas exscindi curavit, in quibus novas colonias instituit.

Præpositus adhuc Sandomiriensis, ex mandato Lesconis Albi, Ducis Poloniæ, Salomeam Ejusdem Principis Filiam (quæ postea Sanctarum Virginum fastis adscripta est) Legatus Haliciam Colomanno Regis Hungariæ Filio Sponsam deduxit, quem post modum in Regem Haliciensem coronavit. Et quia hunc rebellis populus thronô privaverat, eum Vincentius solio restituit. Annales Poloniæ primus Historicorum scripsit.

Ut invitus ad Episcopalem dignitatem evectus fuerat, sic eam deponere constituit. Hac in re Innocentio. III. sæpe erat supplex, tandem apud Honorium III. consensum obtinuit, & cum omnium luctu, post decem annos regiminis Capitulo valedixit, Andrejoviæ Cisterciensium Institutum amplexus, Tyronum & Religiosorum exemplum factus est. Vice quadam, contemplationi intentus, Matutinis horis cum aliis non interat, novitatem rei advertit Theodoricus Abbas, finitis precibûs cellam adiit, ubi Vincentium in extasi, ac multa luce coruscum vidit. Quinquennium in singulari, vitæ austeritate transegitAndrejoviæ, & ut vixit sancte, sic sancte obiit 8 Martii 1223. Ibidem in Pontificali ornatu sepultus.

Sacra illius ossa Remigianus Konciepolski, Episcopus Chelmensis anno 1633. die 19 Augusti de terra levavit. Starowolski vitæ ejus scriptor asserit, Vincentii ope, septem mortuos resuscitatos, quatuor à morte servatos, plures à variis infirmitatibus liberos. Monologium Cisterciense huic Vincentio titulum Beati tribuit, Synodus verò Provincialis Varsaviensis, anni 1634 Romæ supplicaverat, ut Beatorum Fastis adscriberetur.

XIX.

XIX.

IVO ſeu JOANNES
De Familia Odrovaziorum.

POſt liberam à Vincentio Epiſcopatûs Cracovienſis dimiſſionem, hic Ivo Cracovienſis Primicerius, Leſconis Albi Cancellarius, electus in Epiſcopum, ab Henrico Kietlicio Archi-Præſule conſecratus, liberalitate in Deum & ejus ſervos eminuit.

Kaczyciis cænobium P.P. Ciſtercienſium inchoaverat; illud poſtea Mogiłam, ad locum (qui commodior videbatur) Claræ tumbæ, milliari Cracoviâ diſſitum tranſtulit, finivit, & proventibûs dotavit. Canonicos Præmonſtratenſes, Brzeſcam (Hebdovia nunc dicitur) introduxit. Canonicos de Saxia Słavkoviâ, primò Promnikum poſtea Cracoviam tranſtulit, eiſq; Eccleſiam ſub titulo S. Spiritûs erexit. Canonicis Regularibus D. Auguſtini Miſtoviæ Eccleſiam Parochialem, ejuſq; paræciam regendam commiſit. Deodicatas Virgines D. Norberti Imbramoviciis ad fluvium Dłubna locavit, & eiſdem bona Imbramovice, Brzeſno, Rataie, Grodziſko inſcripſit. Cænobio Vąchocenſi bona hæreditaria Łukawa, Sieciechovienſi Epicopalia Gorno & Szawłowice cum conſenſu Capituli attribuit. Cracoviæ ædes Canonicorum Regularium S. Auguſtini, & Cal ſſii erexit. Eccleſias, Konſcii, Dzierząznæ, Luborzyciis, Golanczoviæ, Vavrzęczyciis, Daleſzyciis, Sandomiriæ ex ſolido muro exſtruxit & dotavit. Annô 1221. tempeſtates & imbres continui per æſtatem adeo invaluerant, ut fluvii, ſtagna & lacus ſupra ripas excreverint, ſuaq; exundatione plurimos pagos everterint, ſegetes vaſtaverint, vernam ſeminationem fieri non permiſerint. Conſecuta deinde hyems horrida, & fames totô trienniô, multa hominum millia & jumentorum abſumpſit,

In

In hac publica Regni calamitate, Ivonis beneficentia multis egentibus ſaluti fuit.

Fulco Cracovienſis Præſul, ab Urbano III. impetraverat, ut Epiſcopus Cracovienſis, poſt Archiepiſcopum Gneſnenſem, in Polonia primus eſſet; Laurentius Vratislavienſis in Sileſia Antiſtes, in Synodo Provinciali eam prærogativam ambiebat. Ivo occaſionem diſcordiarum evitans, Synodô exeſſe maluit, & brevi Romam ivit. Peruſii tùm degebat Gregorius IX. ab illo confirmationem Jurium, & prærogativæ Epiſcoporum Cracovienſium denuo obtinuit. Divos Hyacinthum & Ceslaum Nepotes ſuos, ut illorum eruditio & virtus eſſet aliis exemplô, Canonicorum Cracovienſium Collegio adſcripſit: Eoſq; dum Romam, in negotiis Eccleſiæ ſuæ ad Honorium III pergeret, viæ & laborum comites eſſe voluit. Pervenit feliciter ad urbem, illo tempore, quo, D. Dominicus olim Oxonienſis Eccleſiæ Canonicus, poſt approbationem Inſtituti ſui ab Innocẽtio III. novi Ordinis Prædicatorum jaciebat fundamẽta. Viri hujus Sanctitas, labores Apoſtolici, miracula, erant Romæ nota, paſſimq; per orbem circum ferebantur. Tàntum Virum videndi, Ivonem, Hyacinthum, ac Ceslaum inceſſit cupido, ædem illius adeunt, de divinis rebus colloquuntur; dumq; longius ſermones protrahunt, Hyacinthus & Ceslaus amore rerum cæleſtium, fluxarum odiô, ſtrictioris vitæ deſideriô, adeò exardeſcunt, ut pedibus Dominici advoluti, ab eo ad profeſſionem ſui Inſtituti admitti poſtulaverint. Hac nepotum ſuorum intentione lætus Ivo, ſupplex fuit Divo Patriarchæ, ut votis affinium ſatisfaceret, & has in Ordine ſuo Poloniæ primitias, ad Patriæ commodum, ad Religionis in Septemtrione decus, & incrementum celebres efficeret.

Novos Tyrones in omni perfectione excolendos accepit Dominicus, & optime inſtructos, redire in Poloniam

loniam

loniam jussit. Hoc in itinere, quos labores pertulerint? Spiritualibûs obsequiis, quem fructum in animabus fecerint? Vitæ illorum scriptores abunde testantur. Appropinquabant Cracoviæ: Ivo cum clero obvius, eosdē deduxit ad templum SS. Trinitatis, quod Hyacintho & ejus Religiosis Fratribus in perpetuum designavit. Paræciam verò, ad Ecclesiam B. V. MARIÆ, in circulo civitatis, sumptibus suis erectam, transtulit. Eisdem Patribus Sandomiriæ cænobium & templum sub titulo S. Jacobi fundavit.

Tot & tantis laboribûs pro sua diæcesi cum laude obitis, Româ redux, quo tertiò excurrerat, Mutinæ 1229 in viam æternitatis abiit. Ejus ossa postea Cracoviam delata, in minori choro, Ecclesiæ PP. Prædicatorum deposita sunt, quibus honorem sepulchri de marmore Joannes Węzyk Abbas claræ tumbæ, postea Gnesnensis Archiepiscopus posuit, tam ille, quàm alii plures gratias à Deo per ejus merita experti.

XX.

VISLIMIRUS seu VISLAUS

De Stemmate Zabawa *vide p. 44.*

POst fata Jvonis electus, sed quia Andreas, gente Gryphius, hanc ambiebat sedem; eam Vislaus altero ab electione sui anno, nunc primum adiit. Eo tempore Cathedralis Ecclesia, denuo exusta, plurima de suo decore amiserat; Vislimirus primam adjecit curam, ut illi antiquam faciem redderet: magnis impensis perfecit opus, binisq; turribus adornavit. Eidem Ecclesiæ bona Bukowno 60. marcis, argenti, sex bobûs & uno equô emit. Capitulo vero 100. marcas argenti donavit. Szczerzecensi cænobio, suis temporibûs erecto, auxit dotem cum consensu Capituli ex decimis mensam Episcopalem concernentibus. Kościelecii (bona illius erant

rant Paterna) Ecclesiam de secto lapide sub titulo S. Adalberti M. erexit et dotavit. In sylvis Radłoviensibus villas binas, Zabawa & Drohcza denovo extruendas Fratribus suis permisit. Sed ea Præsulis beneficentia, magna exstitit occasio controversiæ inter suos nepotes, & Episcopos Cracovienses, his bona Ecclesiæ vindicātibûs, illis denegantibûs. Obiit Vislaus anno 1242.

Post fata, Falislao cuidam, Polono equiti infirmo apparuit, Episcopalem ornatum deponens, & ingemiscens, se ad suam Cathedram non admitti ideo, quod vivens Sacros Divi Stanislai procurandos honores neglexisset: imperavitq; ut Prandotam Successorem suum majoris hac in re solicitudinis admoneret, Liber ab infirmitate Falislaus, dum mandata Vislimiri differret, majori ægritudine correptus est. Denuo se illi videndum præbuit Vislaus, & de negligentia severiùs eundē arguit, jussaq; renovavit. Rediit ad pristinam sanitatem Falislaus, & Prandotæ omnia detulit. *Niesiecki Tom IV.*

Vixit illius temporibûs Grimislava Ducis Jaroslaviensis Filia Lesconis Albi conjux, Boleslai Pudici Mater. Hæc Filium suum induxit ut Zavichostiæ ædes F. F. Minorum Conventualium, & ejusdem Ordinis Deo dicatarum Virginum fundasset; Quam regulam ipsa post modum professa, annis 26 Religionis in omi austeritate & pietate expletis, annô 1242 die 8 Novembris obiit, in Templo ejusdem cænobii sepulta. *Prusżcz pag. 79.*

XXI.

JOANNES II. Prandota BIAŁACZEWSKI

De Familia Odrowaziorum.

SAnctorum Hyacinthi & Ceslai sangvis, ac virtutum imitator. Juventutem optimis moribûs instructam, Philosophicis & Theologicis scientiis excoluit, &

& ad omne munus facilem fecit, A Vislao Cracoviensi Episcopo Sacris Ordinibûs initiatus, Archidiaconus Cracoviensis, & Sandomiriensis Canonicus factus, post illius fata in Episcopum electus, probante electionem Cælestino IV. a Fulcone, Gnesnensi Archiepiscopo, die S. Urbano Sacra, 1242. consecratus est. Hanc dignitatem non suæ Familiæ, quæ ut opibûs, sic honoribûs in Polonia erat præcipua, sed propriæ eruditioni & virtuti debuit: quam Episcopus, magis eminere fecit. Disciplinæ Ecclesiasticæ, tam in se, quam in aliis Custos, bonorum, & immunitatis Ordinis Sacri vindex & defensor strenuus.

Post fata Lesconis Albi, Supremum Provinciarum Poloniæ regimen, ad Boleslaum Pudicum devolutum erat. Er quia hic ob ætatem ditiones administrare non poterat, ejus vices supplebat Henricus Barbatus Dux Vratislaviensis, S. Hedvigis Conjux. Offendit ea res Conradum Ducem Mazoviæ, Boleslai Patruum; quare armis pro supremo Poloniæ Ducatu decertabat: Plures urbes & oppida jam juris sui fecerat. Ut sibi Prandota faveret, multis egit modis, Et ubi contrarium reperit, in bona Ecclesiæ Cracoviensis, & aliarum sævi- it, Rapinis plena erant omnia, spoliatæ Ecclesiæ, civitates & villæ in favillam redactæ, gemens sub jugo hostili populus, injurias vindicari à Deo cum lachrymis precabatur. Ambitiosum Principem admonebat Prãdota, sed qui divina jura spreverat, humanis moveri non potuit. Quare pertinacem & in suo proposito obstinatum Ducem, cætu fidelium privavit. Censuras Prandotæ Fulco in Synodo Provinciali approbavit, & per totam Poloniam publicari jussit, Fidei & affectus Prandotæ memor Boleslaus, cùm rerum potitus esset Ecclesiam Cracoviensem, ejusq; Præsules, plurimis beneficiis & privilegiis remuneratus est, ac à nonnullis oneribus bona illorum libera declaravit. Quæ Principis

cipis gratia, ut vim perpetuitatis haberet, ejus confirmationem ab Alexandro IV. Prandota impetravit

Restituta Ecclesiæ suæ pace, curam omnem convertit ad Diæcesim componendam. Sæpius eam invisebat, nec satis habuit, gregem sibi concreditum, vitæ exemplô instruere; verbô & Paternis adhortationibûs eundem erudivit. Et ut in sua absentia, ad optima quæquæ instituueretur, Instructores providit, illosq; multis beneficiis fovit. Cænobio Czyrecensi decimas cum consensu Capituli adjunxit. Canonicis S. Spiritus de Saxia Cracoviæ nosocomii curam, in quo 300. ali poterant, commisit Templum Biskupiciis ad Vieliczkam, sub titulo S. Martini erexit, & dotavit. Post cruentam non tantùm in Poloniam, sed & alias Provincias irruptionem Tartarorum; Boleslaus Pudicus, Virgines D. Claræ Zavichostii anno 1262. in locum, qui Stankoy appellabatur, tanquam in securiorem transtulit. Hanc illarum translationem Prandota approbavit. Boleslaus verò, in eodem loco oppidum, Skała dictum erexit, & in dotem cænobio attribuit. *Dlugosius Lib: VII.*

Fridericus II. Cæsar, adhuc Gregorium IX. & Romanam Sedem variis injuriis affecerat. Huic vita functo successit Cælestinus II. Sed, decimô septimô ab electione die, fatis cessit. Innocentius IV. ubi Petri Sedem adiit, Friderici furorem ut evitaret, in Galliam abiit, ubi coactô Lugduni Conciliô, anno 1245. Fridericum, uti hostem Ecclesiæ, diris devovit, & subditos ab obedientia illi præstanda absolvit. Longe magis in Pontificem excanduit Fridericus, & quia in absentem sævire non potuit, in ditiones Ecclesiasticas, & varios Præsules desævit. Innocentius ut vi potentiam opponeret, pro subsidiis impetrandis, ad varios Reges expedivit Legatos. In Poloniam venit Jacobus Leodiensis Archidiaconus, Hic exposuit miserum Ecclesiæ statum, summi Pontificis à sua Se-

de

de exilium, Cleri & Ecclesiasticorum injurias, ab armis Friderici. Nota quidem hæc omnia erant Ducibus & Præsulibus Poloniæ, sed dum a Legato cum intimo animi sensu proposita fuissent, tanta supremi Pontificis oppressio lacrymas cunctis elicuit. Quare ut communi omnium Patri, & primo in orbe Antistiti succurreretur, Synodus indicta est Vratislaviæ: in qua authore Prandota quinta pars proventuum per triennium, summo Pontifici pendi appromissa. Tam optato negotii Pontificii eventu lætus Sedis Romanæ Legatus, in jejunio cum Polonis authoritate Apostolica dispensavit: Illud a Dominica Septuagesimæ, usq; ad Pascha, usitato more servabat Polonia; ut postmodum à die Cinerum aliarum Provinciarum consvetudine, jejunaret, statuit. Mos hic abstinentiæ, ab anno 1246. hactenus perseverat. *Dlugossius Lib: VII.*

Ut 1241. Duce Bathi Tartari vastârunt Poloniam, Silesiam, aliasq; Provincias (a) sic iidem Ductoribus Nogaiô & Telebugâ anno 1259 auctis per Russibus Nogaiô & Telebugâ anno 1259 auctis per Russiam insolentis plebis & aliquorum Ducum Russiæ Polonis aliunde offensorum copiis invaserunt Minorem Poloniam nulli ætati, nulli parcentes sexui. Sandomiria, urbs ad Vistulam mæniis & arce munita, ad quam vicina Nobilitas confugerat, illorum cohibuit ferociam. Arcis & loci Præfectus, Petrus de Krempa defendebat urbem, fortiterq; sustinuit adversum oppugnantium impetum. Cum hostis vi aperta nihil proficeret, ad dolos conversus, expediit nonnullos ex Russiæ Principibus, qui svaderent Petro locum & extremum periculum pretiô redimendum. Legatis tantæ dignitatis credidit Krempa, ac de quantitate dandæ pecuniæ contracturus cum Sbigneo Fratre incautus ad hostium castra descendit, & contra fidem datam victima

(a) *Meminit hujus Tartarorum Duce Bathone in Poloniam irruptionis Platina in Vitis Pontificum sub Innocentio IV.*

ma furoris occubuit. Amisso Duce non erat, qui locum defenderet; quare, facile urbe potiti Barbari, in omnes gladiô sævierunt adeò, ut ex occisorum corporibus sangvis torrente in Vistulam fluxerit. *Cromerus Lib: IX. Miechovita Lib: III. Dlugossius L. VII.*

In hac communi omnium nece res singularis accidit. Cænobio Ord: Prædic: ad Ecclesiam S. Jacobi præerat tum Sadoch morum probitate insignis. Officium Divinum in prædicto templo decantabant Religiosi: & cùm more solito ad Martyrologium in choro relegendum Religiosus Tyro accessisset, advertit in illius fronte aurô descriptas voces. *Sandomiriæ passio quadraginta novem Martyrum* (tot eo tempore illis in ædibus numerabantur Religiosæ vitæ alumni.) Ad litteras hæsit dubius, num illas legeret, num prætermitteret; verùm animô resumptô scriptum aureum promulgavit. Conticuêre omnes rei novitatem admirati. Prior lectionem exploravit, & veram reperit; quare ad fortiter obeundam mortem pro Deo & ejus gloria socios adhortatus, reliquum tempus in laudibus Divinis consumpsit. Venit hora Sanctis Martyribus gloriosa: dum Antiphonam *Salve Regina* intonant, barbari templum invadunt, effractisq; foribus Religiosum agmen furori suo immolant & cædunt. Unus ex illis mortis metu se se abdiderat, sed facti pænitens prodiit, & caput ferro submisit, & Martyr numerum adimplevit. *Pruszcz pag: 88.*

Hanc Poloniæ calamitatem & Martyrum Sandomiriensium cædem, Boleslaus Pudicus ex Hungaria redux & Prandota Præsul per Božantam Decanum & Albertum Canonicum Cracoviensem Alexandro IV. detulit supplex, ut memoriam eorum celebrem permitteret: Qui collatô cum Cardinalibus consiliô visitantibus Ecclesiam S. MARIÆ Sandomiriæ, (in qua corpora occisorum à Tartaris quiescunt) 2da Junii Indulgentiam parem Ecclesiæ Romanæ S. MARIÆ ad

 Mar-

Martyres, concessit. (b) Postmodum Collegiata Ecclesiæ Sandomiriensis pro eadem die Indulgentiam plenariam perpetuis temporibûs à Bonifacio VIII. impetravit, quam gratiam & Urbanus VIII. anno 1641. confirmavit. *Przsscz pag: 90.*

Sancto Hyacintho suo affini fuit familiaris Prandota, & cùm hic 1257. obiisset, illius mortem amaro deflevit animô, dolens quod tantum Virum Polonia, & suus Ordo amisisset. Post ejus decessum cùm orationi vacaret, vidit S. Stanislaum & Angelos animam Hyacinthi cælo inferentes. Vice altera, dum Sanctus quiescenti Prandotæ apparuit duobûs sertis redimitus, quorum uno doctrina, altero innocentia hujus Sancti donotari visa est.

Tandem, post administratam gloriosè Diæcesim, quam annis 24. rexit, laboribûs, & ætate fractus, Sacramentis munitus, anno 1266. die 20. Septembris immortalem vitam inchoavit, in Cathedrali Ecclesia, in medio sacelli SS. Petri & Pauli sepultus, juxta alios eidem tumulo, ex quo ossa D. Stanislai levaverat, impositus.

Quem vitæ sanctitas commendabat omnibus, eum ut sanctum, post fata, coluêre universi. Sbigneus Olesnicki, anno 1444 Eugenio IV. Romano Pontifice permittente, ossa Prandotæ levavit. Quatuor dies propter populi concursum ea cerimonia tenuit. Odor insolitus, qui totam Ecclesiam implevit, multorum infirmitates refecit. Finitâ devotione, easdem exuvias Sbigneus tumulo imposuit, cum inscriptione, Sepulchro præfixa: *Beatus Joannes Prandota, Episcopus Cracoviensis, obiit die 20. Septembris 1266.* Anno quoq; 1639. die 7. Junii, Erasmus Kretkowski Archidiaconus Cracoviensis, & Vicarius in Spiritualibus, ossa Præsulis hujus, sigillô suo munita in Sacrario Cathedralis Ecclesiæ, cum inscriptione deposuit.

(b) *Miechovius Lib: III. Dlugossius Lib: VII. Cromerus Lib: IX.*

Nunc in Sacello Joannis Casimiri repositæ cultum à decisione Romana præstolantur.

XXII.

PAULUS PRZEMIANKOWSKI

De Stemmate Potkozic vide p. 214.

EX Canonico Cracoviensi, Boleslai Pudici Cancellario, ad hanc Sedem evectus, à Joanne II. Archiepiscopo Gnesnensi consecratus, eâ populi lætitiâ, ut hic, etiam sacrô quadraginta dierum jejuniô, a tripudiis, choreis ducendis non abstinuerit. Boleslaus Pudicus, Lesconem Nigrum, Ducem Siradiensem, ad supremum Poloniæ regimen post fata sua parabat. Paulus aliunde Lesconi offensus, eam Boleslai dispositionem ferebat acerbiùs, & improbabat, variisq; machinationibûs, imò procaciore lingva invectus in Ducem Siradiensem, adlaborabat, ut mentem suam Boleslaus immutaret. Eam Præsulis malevolentiam ægrè tulit Pudicus & ipse Lesco, Canonici quoq; eandem vitiô vertebant. Non tantùm lingva, sed & mores non satis modesti exosum reddebant Przemiankovium. Horum omnium à Pudico & Canonicorum Collegio monebatur sæpiùs; sed cùm vitia minime corrigeret, liberiùsq; Lesconi detraheret; instinctu Boleslai & Lesconis, ab Ottone & Zegota Toporeis, in prædio Kunoviensi interceptus, Siradiam deductus, sub custodia mensem integrum detentus est; ut in illa solitudine, meliùs sapere disceret.

Ea statûs Ecclesiastici in Episcopo læsio permovit Joannem Archiepiscopum Gnesnensem, ut toti Diæcesi suæ sacris interdixerit: prætetea Boleslaum censuris adegit ad libertatem Pauli. Pius Princeps decreto Archi-Præsulis satisfecit, & pro illata Antistiti injuria, 200. argenti marcas Cracoviensi Ecclesiæ dedit.

Libertati, non sibi restitutus Paulus, ad pristina rediit; imo (ut scribit Cromerus) Lithvanos contra Boleslaum & Lesconem commovit. *Neugebaver Lib. III.* asserit, conjurationi contra Pudicum occasionem Paulum dedisse. Quare turbulentus Præsul iterum Siradiam deductus, suum invisit carcerem. Ut memoriam sui relinqueret, in Ecclesia Cracoviensi, tria altaria, unum S. Adalberti, alterum S. Margarethæ, tertium S. Leonardi erexit. Obiit 1292. die 29. Novembris.

Ejus temporibûs 1282. Lesco niger exiguis suorum copiis, exercitum Lithvanorum, & Jadzvingarum oram Lublinensem depopulantium, memorabili victoriâ, Ductore Michaële Principe Angelorum fudit: hujusq; Sancti honori Ecclesiam Lublini erexit & dotavit anno 1282. (c) Quæ successu temporis ad titulum Collegiatæ evecta est.

XXIII.

PROCOPIUS RUTHENUS

De Stemmate Korczak vide p. 198.

GRyphinæ, conjugis Nigri Lesconis, sangvis. Ex Præposito Sandomiriensi, Cracoviensi Canonico, hujus Lesconis Cancellario, Cracoviensis Præsul. Ecclesiam suam brevi vita, sed optimâ illustrem fecit. Obiit 1295. Cracoviæ sepultus.

XXIV.

JOANNES III. MUSCATA

De Stemmate Gozdawa vide p. 59.

EX Archidiacono Lanciciensi Episcopus Cracoviensis, apud Premislaum Regem, vigesimam partem proventuum ex salis fodinis, ærario Regio pendi solitorum, pro sua Ecclesia impetravit. Beneficium hoc Ven-

(c) *Dlugossius L. VII. Neugebaver. L. III.*

Venceslaus Bohemus majus fecit; dum decimam partem eorundem proventuum Cracoviensi Cathedræ applicuit. Ad fluvium Dunaiec, & Biała, novam civitatem Sandecum Venceslaus moliebatur; sed quia in eodem loco, pagus, Kamienica dictus, Episcoporum Cracoviensium situs erat, pro villa prædicta, oppidum Biecz cum arce Rex per commutationem cessit Cracoviensi Ecclesiæ. Muscata, bona noviter quæsita, certis conditionibûs Abbati Tinecensi in possessionem dimisit. Quæ, præcipue arcem, cum negligentius custodiret Abbas, ab Hungaris expugnata, & occupata sunt. Vindicavit equidem Venceslaus ab iniquis possessoribus totum illum tractum, sed ne simili incuria amitteretur, relicto Episcopis Cracoviensibus jure Patronatûs ad Ecclesias Biecensem & Rosembergensem, bona juri Regio restituit. Pro tanto Ecclesiæ suæ damno, cum Cænobio Tinecensi egit Muscata apud Romanum Pontificem, & ex Sententia Romana, ab Abbate jure victo, villam Przeczyce pro sua Cathedra accepit. Rex quoq; Hungariæ injuriam compensans, arcem & bona Płoche (Mussina dicuntur) Cracoviensi adjunxit Episcopo. His aliorum beneficiis non contentus Præsul, detrimentum Cathedræ, quod incautus permiserat, curâ & impensis propriis resarcire studuit. Bona Trąbki & Darzyce exsolutis oneribûs eidem restituit. Insuper triginta stadia in suburbio Cracoviensi emit, & villam Biskupice erexit.

Ladislaus Locticus Premislao in regimine Poloniæ successerat; sed cùm esset Provinciis, maxime Majori Poloniæ injurius, & per suos milites molestus; Præsules & alii Proceres, in locum illius, Venceslaum Bohemiæ Regem invitârunt. Muscata adhæsit Venceslao, suaq; in rebus agendis dexteritate Bohemiæ Regi multò fuit adminiculô. Locticus ea re offensus prætermissis aliis, omnem iram & impetum in Joannem exeruit. Captum in Kunoviensi prædio, conjecit in vin-

 vin-

vincula. Restitutus tamen solio Ladislaus, non tantùm ipse pro injuriis satisfecit Muscatæ; sed interceptores illius, tamdiu in carcere detinuit, donec Præsuli omnia damna compensassent. Anno 1320, paralysi tactus obiit, in Cænobio claræ tumbæ sepultus.

XXV.

NANKERUS

De Familia Okzarum.

IN Silesia, Provincia Opoliensi natus, virtute & eruditione Decanatum Cracoviensem meruit. Utraq; ad Episcopalem dignitatem eundem promovit. Anno 1320. electus, & consecratus est. Primam adjecit curam in corrigenda Diæcesi, in quam nonnulla irrepserant, cùm Muscata à Loctico sub custodia teneretur, eam ad mentem Sacrorum Canonum legibûs circumscripsit, & ut ab omnibus servarentur, sanxit, & decrevit. Proxime ante fata Antecessoris, Arx Cracoviensis, & Cathedralis Ecclesia, igne à vicinis ædibus correpta, conflagravit. Flamma vorax, plurima Templi ornamenta, consumpsit, & in favillam redegit. Deformata sponsæ suæ facies, angebat solicitum de illius decore Præsulem. Tanto operi complendo, Episcopales proventus cùm non sufficerent, Diæcesis subsidium postulavit; quo obtento, antiquis Templi angustiis in ampliorem formam reductis, in eam molem, (quæ nunc spectatur) Basilicam Cracoviensem erexit.

Ladislaus Locticus, contra varios hostes adornabat bellum, ut securus esset à Lithvanis, qui sæpiùs ditiones Polonas invadebant; Aldonam Ducis Lithvaniæ Gedimini Filiam, Casimiro Filio suo sponsam impetravit. Princeps deducta Cracoviam, in dote magnum captivorum Polonorum, utriusq; sexûs numerum detulit. In fide à Nankero instructa & sacro abluta fonte, Catholico ritu in matrinonium Casimiro desponsata est. *Miechovita L. IV.*

Post Archiepiscopum Gnesnensem primus locus Cracoviensibus Præsulibus pridem adjudicatus erat; Nihilominus curabant eundem, Florianus Plocensis, Mathias Vladislaviensis, Joannes Posnaniensis apud Joannem III. Archiepiscopum Gnesnensem. Omnes illorum conatus elusit Nankerus, & prærogativam hanc Episcoporum Cracoviensium, Metropolitanô decretô confirmavit. Egisset plura pro bono hujus Ecclesiæ; sed mutatus Ladislai animus eundem loco movit. Cessit tempori optimus Præsul, & ad Vratislaviensem in Silesia Sedem translatus est.

In ea murum se opposuit pro domo Dei. Joannes Rex Bohemiæ, bona Mielicz Ecclesiæ Vratislaviensis per vim occupaverat; pro illorum restitutione egit cum illo Præsul. Sed hic Vratislaviensium instinctu, suo Antistiti infensorum, pejora minabatur. Adiit denuo Joannem Vratislaviæ Nankerus, ut bona restitueret, monuit, & cùm pertinacem in suo proposito advertit, non solùm in Regem & Vratislavienses censuras Ecclesiasticas tulit, sed urbi ac toti Provinciæ sacris interdixit. Et post triduum cum Clero, & Religiosis familiis (quas Joannes Vratislaviâ exesse jussit) Nissam perrexit. Ubi 10. Aprilis, die Parasceves 1341. venenô *Miechovita scribit L. IV.* sublatus obiit, Vratislaviæ sepultus. Præsul innocentiæ, & devotionis magnæ; anno quovis sepulchrum S. Stanislai E. M. pedes visitabat, cleroq; Cracoviensi justam largiebatur eleemosynam supplex, ut se absentem Divo commendarent Martyri. Ea ipsâ qua mortuus est, horâ, quædam pia fæmina insolitum audivit concentum; cùm rei novitatem miraretur; Deo revelante intellexit: Cantum hunc Angelorum esse, animam Nankeri Episcopi cælo inferentium.

XXVI.

JOANNES IV. dictus GROT
De Familia Stupecciorum,

Hac, Virgine urso nigro insidente, extensis manibûs, pro Stemmate, insignis est.

POst translationem Nankeri ad Vratislaviensem Ecclesiam, Ladislaus ad Cracoviensem promovebat Ottonem Præpositum Gnesnensem, Regni Cancellarium; Sed Joannes XXII. hunc Joannem, cum quo in Bononiensi Academia, olim familiarius vixit, in Episcopum Cracoviensem Joanni Archiepiscopo Gnesnensi consecrandum demandavit anno 1328. ea res non leviter offendit Ladislaum, sed Grot suis optimis moribûs, adeo sibi Regem faventem reddidit, ut hic ejus consiliô omnia concluderet.

Casimirus qui Ladislao Patri in Regno successit, inter se & Crucigeros controversias decisione summæ Sedis finiendas optabat: quare Joannem hunc Avenionem ad Benedictum XII. expedivit Legatum. Pontifex Regis Poloniæ auditâ querelâ, & rei veritate comperta, ad concludendum negotium, Nuncios suos, Gvalhardum de carceribus Titulensem Præpositum, & Petrum Gervasii Canonicum Aniciensem cum plena potestate in Poloniam designavit. Tribunal hac in causa institutum; sed cùm ab illo Theodoricus Altenburgicus Magister Ordinis, per suum Procuratorem, M. Jacobum de Arnoldi appellaret; eo non attentô Legati Pontificii, negotiô, & juribûs Poloniæ cognitis, Casimiro adjudicarunt Pomeraniam, Cujaviam, Culmensem, Michalovienſem, & Dobrinensem tractus, Crucigeros autem ad 194500. marcarum Polon: pro damnis, nomine verò expensarum ad 1600. marcas condemnarunt: præterea, ut templa, cœnobia in Polonia, superiore bellô direpta, & exusta instaurarent, demandârunt. Et quia Crucigeri judicatum pati detrectabant, communione fidelium privati sunt; sacrisq; interdictum, omnibûs locis, quæ in eorum ditionibus essent. *Dlugossius L. IX.* qui etiam adducit Legatorum Benedicti decretum Varsaviæ in Ecclesia S. Joannis latum 1339. Impetravit præterea Præsul hic apud eundem Benedictum, ut honore *Rationalis* quod pallium B. Petri vocatur, Episcopi Cracovienses ornarentur, quo hucusq; utuntur. *Starowolski vide pag: 243.*

Nec Diæcesi in præstandis beneficiis defuit. Ilzæ arcem, ex cocto latere erexit. Radłoviæ templum Parochiale, sub titulo S. Joannis Baptistæ, alterum Dobrovodæ exstruxit, & dotavit. Villam Biskupice dictam, de suo nomine Jangrot, dici voluit. In Ecclesia Cracoviensi altaria SS. Cosmæ, Damiani & S. Vincentii erexit. Ecclesiam S. Georgii in arce Cracoviensi consecravit. Annis 19. in Episcopatu laudabiliter exactis anno 1347. die 5. Augusti obiit, in Ecclesia Cathedrali, in sacello S. Joannis Evangelistæ sepultus. Sacellum hoc cùm Sylvester Ożarowski Regni Succamerarius anno 1521. restauraret; Corpus hujus Præsulis integrum repertum est cum odore recentium violarum. Duabûs hebdomadibûs insepultum prostabat, tum ut satisfieret religioni populi undiq; ad illud videndum confluentis, tum ut sacris exuviis dignus pararetur locus. Pruszcz asserit: plurimos odore corporis hujus sanatos fuisse.

XXVII.

PETRUS I. FALKOWSKI
De Stemmate Doliwa vide p. 82.

EX Præposito S. Floriani, Regni Procancellario electus, à Casimiro Magno ad Clementem VI. expeditus Avenionem, confirmationem obtinuit: sed brevi obiit, ibidem sepultus 1348.

XXVIII.

XXVIII.

BOZANTA JANKOWSKI

Poraita vide pag: 27.

DEcanus Cracoviensis, Prædecessoris sui socius ivit Avenionem, ad Clementem VI. Illo vita functo, judiciô summi Pontificis, Ecclesiæ Cracoviensi præfectus est, & in Præsulem consecratus. Redux omni humanitate à Casimiro & Canonicis exceptus, probavit se parem ferendo tanto oneri. Bożęcin oppidum, & villam Bożęcinko fundavit, & Ecclesiam erexit. Paræciæ Skotnicensi decimas mensæ Episcopalis adjunxit. Ecclesiam Cathedralem novis altaribus SS. Petri & Pauli Apostolorum, Adalberti, Martini, Leonardi, Dorotheæ, Virginis sine labe conceptæ (cujus cultui erat addictus) adornavit.

Casimirus Rex ex Russia victor, redux Cracoviam, nominis famam, quam virtutibûs heroicis comparaverat, variis inquinabat flagitiis. Doluit Præsul, Principem olim gloriosis factis, postea sceleribûs insignem, per ora circumferri, & contemni. Admonebat illum vitæ melioris, sed hic in dies pejor, repudiatâ Rechecanâ, muliere Bohemâ, quam, ad speciem, in conjugem duxerat, aliam cum opprobiio Regni, Religionis, populi scandalo, adscivit. (d) Postquam tantum Casimiri facinus innotuit Romano Pontifici, ad illud coërcendum, Clemens VI. paterna monita, & nisi resipisceret, censuras expedivit in Poloniam. Bozanta, cùm suum congressum vitaret Casimirus, Martino Baryczka, Sacræ Scripturæ Doctori, imperia Romani Antistitis Regi deferenda commisit. Ivit Martinus intrepidus, sed Princeps monitorum impatiens, eundem Vistulæ aquis suffocari jussit. *Cromerus L. XII.*

Ad novum Casimiri scelus urbs tota cohorruit. Præ-

(d) *Sarnicki Lib: VII.*

Præsul ad effectum censuras deduxit, & Regem communione fidelium privavit. Medicinalis pœna, male sanum Principem ad frugem reducere debuerat; sed hic in furorem actus, cùm in Episcopum non posset, in bona & Ecclesias sæviit. Cæterùm Præsulis in adversis constantia, vicit pervicaciam Casimiri; sibi restitutus, damna omnia compensavit, plurimaq; beneficia, præcipue Cracoviensi, Gnesnensi, Posnaniensi, Ecclesiis elargitus est, quæ ut perpetua essent, privilegiis confirmavit. *Sarnicki L. : VII.*

Inter incolas Cracoviensis, & Sandomiriensis Palatinatuum, & statum Ecclesiasticum, ratione decimarum exortæ controversiæ, publicam interturbabant pacem: eas sua & Jaroslai Archiepiscopi Gnesnensis authoritate composuit. (e) Meditabatur plura pro bono suæ Ecclesiæ, sed ætas invalida, & cæcitas impedimento fuit. Disposita itaq; Diæcesi, in bonis Jankowo hæreditariis, memoriam sui posteris relinquere statuit. Pro erigenda ibidem arce, Fratri suo Zavisziæ justam pecuniæ summam eo fine obtulit; quam hic in alios usus dum convertisset, plura à Præsule exigebat, asserens majoribûs impensis promovendum opus. Liberali manu providebat omnia suorum amans Antistes. Sed rerum certior factus, ipse Jankovum descendere intendit, veritatem si non oculis, saltem manibûs exploraturus. Dum se accingit itineri, fatô præventus, in viam æternitatis abiit. Kielciis 1366. sepultus Cracoviæ.

XXIX.

FLORIANUS MOKRSKI

De Familia Jelitarum vide p. 212.

PEtri Castellani Sandomiriensis Filius, Præpositus Cracoviensis, Lancicienſis Cancellarius, in Præsulem electus, à Gregorio IX. Avenione confirmatus. Ubi

(e) *Herburt fol: 132.*

Ubi rediit, bona Episcopatûs, incuriâ administratorum vastata refecit. Bozęcini arcem de solido muro erexit, ipsamq; civitatem, & alteram, Ilza dictam, murô cinxit, ac turribûs adornavit. Dobrovodæ, & Węgleszyni, Ecclesias de cocto latere fundavit. Sponsæ suæ memor, eidem calicem aureum pretiosis lapidibûs adornatum, sacrum apparatum eleganti opere elaboratum dono obtulit.

Post fata Casimiri, ivit in Hungariam cum Joanne de Strzelce, Regni Cancellario, Ludovico Regnum deferens. Et cùm Princeps hic, bonis Ecclesiarum tributum indixisset. *vide p. 70.* cum Dobrogosto, Decano Cracoviensi, denuo in Hungariam perrexit, efficaciq; agendi modo, parem cum nobilibus aliis libertatem obtinuit. Meritorum plenus, vitam egit die 6. Februarii, annô à partu Virginis 1378, in Cracoviensi Ecclesia sepulchrum nactus. Ejus temporibûs, Bitomiensia plumbi & argenti metalla interiere; damnum hoc causavit cædes duorum Sacerdotum ab oppidanis patrata *Dlugossius Lib: IX.*

XXX.

ZAVISZA KUROZVANSCIUS

Poraita vide p. 27.

PRæsuleam dignitatem Elisabethæ Reginæ Hungariæ (cujus erat Cancellarius) debuit. Illa adnitente, ex Archidiacono Cracoviensi, jussu Urbani VI, Strigonii ab Archiepiscopo Strigoniensi consecratus est. In Ludovici affectibus tantum valuit, ut Rex hic ex Polonia in Hungariam abiturus, designato quodam Trium viratu, inter Dobieslaum, Castellanum Cracoviensem, Zaviszæ Patrem, & Sędziwoium Szubinski, Palatinum Calissiensem, Cracoviensem Præfectum, hunc Præsulem, primum constituerit: eiq; solî vacantes dignitates distribuere, præter officium Castellani & Palatini, Cracoviensium, plenam potestatem

fecerit. (f) Præterea ex suo erga hunc Antistitem affectu, Ecclesiæ Cracoviensi, bona Piestrzec, & Gruszyce, ac ædes in arce Cracoviensi, ad usum Episcoporum donô perpetuô contulit.

Zavisza ut sui memoriam reliquisset, in Basilica Cracoviensi, septem Sacerdotibus dotem assignavit, qui Officium de Beata Virgine, quotidie canerent. Erexit & Ecclesiam Chodoviæ cum Creslao Fratre suo, Castellano Sandecensi. Duobus annis rexit Diœcesim, præceps de scala lapsus, repentino & vehementi morbo oppressus est, Dobrovodæ 12. Januarii 1382. Corpus ejus ad Cracoviensem Ecclesiam devectum cura Dobieslai Patris, & Fratris Creslai, magno apparatu sepultum est. *Vide Starowolski. Cromerum Lib: XIII.*

XXXI.

JOANNES V. RADLICKI

De Stemmate Argo.

VIr apprime eruditus. In arte medica, quam magno conatu quæsivit, ut excelleret; ivit in Gallias, ubi aliquot annorum studiô, ad eam devenit perfectionem; ut, cùm Ludovicus Hungariæ, & Poloniæ Rex afflictam valetudinem solaturus, a Rege Galliæ perfectum postularet medicum, Carolus V. hunc Joannem Ludovico commendaverit. Tanto Regis judiciô respondit Joannes, dum Ludovicum perfectis viribus restituit.

Gratus Rex Joanni, ad Canonicatum Cracoviensem Regni Sigilli Præfecturam superaddidit. Post fata verò Zavisza, Canonicis Cracoviensibus eundem insinuavit. Votis Ludovici satisfecerunt electores, præcipue cùm Joannem, eruditio, & morum probitas universis commendaret. Unanimi itaq; consensu electus, à Joanne Archiepiscopo Gnesnensi consecratus est. Ecclesiæ suæ non exigua bona partim emit, partim ab

uni-

Dlugossius Lib: X.

iniquis possessoribus vindicavit. Pro damnis bonis Episcopatûs Lipowiec & Sławkow illatis, cum Janussio Duce Raciboriensi, jure egit: evicitq; ut Dux injurias compensando, villas Chełm, Koszutow, & Gemielnice, Ecclesiæ Cracoviensi conferre debuerit. Bożęcini, Ecclesiam Parochialem sub titulo S. Crucis fundavit. Vicariis Cracoviensibus, ut cantum horarum Canonicarum constanter absolverent, eleemosynas fidelium, ad sepulchrum S. Stanislai fieri solitas, & decimas mensæ Episcopalis, ex bonis Nowagora, applicuit. Ladislaum Jagellonem cum Bożanta Archiepiscopo Gnesnensi sacro fonte abluit. Magnorum meritorum Præsul, anno 1392. obiit, sepultus Cracoviæ. Ab exiguo corporis situ, antonomastice, *Joannes parvus*, dictus. Ejus exuviis Joannes Łaski Archiepiscopus Gnesnensis, annô 1518. sepulchrum curavit, & adornavit.

XXXII.

PETRUS Vissus RADOLINSKI

De Stemmate Leszczyc vide p. 44.

POst obitum Joannis, Cracoviense Capitulum, Setegum, seu Sieciechum Chmielicki Primicerium Visliceensem, Cracoviensem Canonicum elegit; Bonifacius vero IX. cognito Joannis obitu, non expectata electione, Mamphiolum Nepotem suum, motu proprio, Cracoviensi præfecit Cathedræ. Factum hoc Pontificis Rex & Regina ægre tulit, adduciq; non potuit, ut Mamphiolus, alienigena, Episcopatum in Polonia adiret. Sed nec Setego electo favebat Regina, non ita pridem à Capitulo graviter læsa. Quare hunc Petrum, Vladislaviensem Præpositum, U. J. D. suum Cancellarium apud Pontificem promovebat, effecitq; ut Bonifacius, mutata mente Petrum ad Cracoviensem Sedem designaverit.

Consecratus in Præsulem, liberalem extendit ma-

manum in pauperes, & Ecclesias & Religiosas familias. In platea Canonicorum Cracoviæ, Templum S. Mariæ Magdalenæ erexit, & Collegio Juris peritorum applicuit. Ibidem in Suburbio Piasek, seu arena, dicto, in honorem B. Virginis magnifico opere Ecclesiam exstruxit, & Patribus Carmelitis antiquæ observantiæ administrandam dedit. In ea colitur Imago Deiparæ miraculis clara, cujus originem describit. *Pruszcz in mari gratiarum. pag: 24.*

Quidam ejusdem instituti Religiosus, ex suo erga Dei Matrem amore ut, quàm corde fovebat, etiam oculis præsentem haberet, illius effigiem nigro colore (cùm alius ad manum non esset) in muro Templi depinxit, coram ea consvetas devotiones obire solitus. Diu, icon hæc soli illi Religioso erat cultui. Tandem placuit Deo & ejus sacerrimæ Matri, locum celebriorem reddere. Plurimi candelas coram effigie ardentes, ipsam quoq; Imaginem insolita luce radiare, sæpius adverterunt. Quare Locus frequentari cæpit, eratq; afflictis solatio. Et ut major reverentia eidem haberetur, quàm primùm fieri poterat, ara & sacellum erectum. Cùm vero, sub tempus incursionis Sveticæ, non tantum Polonia, sed & ædes sacræ, experirentur vim & rapinam hostium; Cracovia à Svecis expugnata, Religiosi dispersi, Templum & sacellum Deiparæ, magno incolarum dolore, exustum & dirutum est. Locum tamen, quem MARIA elegerat, non deseruit. Paries, in quo facies Virginis depicta erat, mansit integer. Rebûs pacatis, rediere Patres, & sacellô redintegratô, antiquum Matris Sanctissimæ renovàrunt cultum.

Petrus præter hanc in arena, plures alias erexit. Canonicos Regulares D. Augustini Kłocko Cracoviam ad Sacram Corporis Christi ædem transtulit, quam iidem beneficiô & impensìs Ladislai ex solido muro promoverunt. Suæ Cathedræ, præter varium apparatum,

tum, calicem aureum & plurima de argento obtulit.

Hedvigis Regina, ut perennem memoriam beneficiorum suorum, in Polonia relinqueret, ad erigendam Cracoviensem Academiam, animum adjecit. Summam satis magnam in eum finem paraverat, sed quia fata sibi imminere advertit, ut opus tantum ad effectum deduceretur, Petro Episcopo ultima voluntate commisit. Petrus post obitum Reginæ, intentiones consortis suæ Ladislao Jagellone probante, & majores impensas providente pro gentis gloria, scientiarum majestate, eruditas facultates introduxit, ipseq; primus lectionem ex jure Canonico, in præsentia Regis, Procerum habuit.

Post obitum Gregorii XI. (qui Avenione Sedem Petri Romam transtulit) Urbanus VI. Italus 1377. in Romanum Pontificem electus erat. Absentes tredecem Cardinales electioni illius contrarii, Avenione Antipapam sub nomine Clementis VII. elegerunt, & Schismati longo tempore duranti occasionem & initium dederunt; dum defuncto Clementi, Avenionenses Cardinales substituerunt Petrum de Luna, qui Benedictus XIII. dici voluit. Divisio hæc, quam fuerit nociva Ecclesiæ; facile patet. Urbano Bonifacius IX. huic Innocentius VII, Innocentio Gregorius XII. Romæ successit, ea conditione electus, (quam jure jurando confirmavit) ut supremo Pontificatu cederet, si suum prætensum Benedictus Antipapa deponeret. Carolus VI. Galliarum Rex, Schismatis pertæsus, initô per litteras, & Legatos, cum aliis Principibus consiliô, author fuit utriusq; partis Cardinalibus, ut hi Pisis (urbs est in Italia) concilium 1409. anno, celebrandum indixerint. Præsules 180: 900 variis dignitatibûs Ecclesiasticis ornati *ut annotat Vitus Pichler S. J. in Theologia Polemica* Pisas convenerunt. Ubi à Pontificatu abjudicatis Gregoriô & Benedictô, in Romanum Pontificem Alexander V. ex Ordine Minorum, Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis electus est. Ade-

Aderat huic Ecclesiæ cætui & Petrus peramplô, ac ad omnem pompam adornatô comitatu, multumq; contribuit, sua in rebus agendis dexteritate, ad felicem tanti negotii eventum. Finitô Conciliô, alii ad suas Diœceses, Petrus Palæstinæ inviendæ cupidus, cum Abbate Tinecensi iter Orientale arripuit. Unde redux, Venetiis ex medicorum mente, afflictam solaturus valetudinem, sumptâ medicinâ, pejus valere cæpit. Debilitas hæc in dies intendebatur, tantaq; fuit ut Petrus quandoq; in phrenesim incideret.

Ea Petri infirmitas, dedit occasionē Alberto Jastrzembeccio, Posnaniensi Episcopo, ambiendi Sedem Cracoviensem; qua ut potiretur, Petrum minus aptum, ad obeundum munus Episcopale, imò mente motum fingere non erubuit, huicq; assertioni ut majus robur adderet, Canonicorum Cracoviensium testimonia quæsivit. Traxit in suas partes & Ladislaum Regem, aliunde sibi addictum, cujus patrociniô, & illis testimoniis, apud Joannem XXIII, demotô Petrô ad Posnaniensem Cathedram, Cracoviensem obtinuit.

Factum hoc Alberti, afflixit summopere optimum Præsulem, Quare Grodnum ivit Ladislao supplex, ut reliquos vitæ dies in sua Sede sibi finire permitteret; sed nihil obtinuit. imò, ubi advertit, Mroczkonem de Łopuchowo, affinem suum, hocce negotium apud Regem promoventem, graviter læsum, & carceri inclusum, iræ Ladislai, & Jastrzembeccii ambitioni cessit, ac dimissâ sponsâ suâ, Cracoviensi Ecclesiâ, quam annis viginti rexit, ad Posnaniensem Sedem transiit. Hoc Jastrzembeccii facinus quas difficultates Alberto facessiverit? *vide p. 87.* Sed omnes, Ladislai Regis conatus, præcipue mors Petri subsecuta sopivit.

Interea Vissus suam deplorans sortem decumbebat Ciążyni (bona sunt Episcopatûs Posnaniensis) in dies debilior. Ægrum & fatiscentem invisit Jagello, flexisq; ante lectum infirmi genibûs, culpam suam fateba-

tebatur, veniam delicti efflagitans. Cui Petrus: *Tibi, Rex inclyte, omnem indulgeo offensam, cùm non Tua vi, sed instinctu alienæ ambitionis ad privationem sedis meæ permotus fueris; illum tamen, qui causa hujus sortis meæ fuit, ad judicium Divinum provoco.* Sic fatus, Regem plorantem dimisit, ipse suo & Ladislai dolori illacrymans. Brevi postea 1414. duobûs annîs in Episcopatu Posnaniensi expletîs, obiit Ciązyni Moriens, dignus fuit, ut Christum, quem corde tenuit, oculis cerneret, ab eoq; gratiæ veniam obtineret. Sepultus in Posnaniensi Cathedra.

XXXIII.

ADALBERTUS JASTRZEMBECKI

POst fata Nicolai Trąba ad Gnesnensem promotus Sedem *vide pag: 79.*

XXXIV.

SBIGNEUS OLESNICKI

De Stemmate Dębno vide p. 97.

JOannis Judicis Terrestris Cracoviensis, & Dobrochnæ de Rożnowo Filius. Excultam scientiis ætatem Marti consecraverat, Ladislai Jagellonis in prælio Grunvaldensi defensor fortunatus. Cùm enim Dipoldus Kikieryc Cruciger, totus loricatus Ladislao immineret, & armatus hastâ in Regem irrueret; Sbigneus periculum sui Principis advertens, semifractô telo, temerarium equo dejecit, quem Ladislaus, revoluta, casu, ejus casside, in frontem ferire, satis habuit, alii obtruncârunt. Beneficii memor & gratus Jagello, Sbigneum cum Sacro Ordini nomen dedisset, ex Præposito S. Floriani, Cracoviensi Canonico, & Regni Secretario, ad Sedem Cracoviensem promovit. Adhuc Regni Secretarius, egit Legatum ad Sigismundum Cæsarem; & quia Imperator hic Poloniæ infensus, jura sua armis tueri volebat, pro innata magnanimitate adeò cum illo egit Sbigneus, ut à Sigismundo irato extrema quæquæ vix evaserit; vicit tamen pericula, & in lucro, nominis & imperterriti animi gloriam retulit.

Præsul unanimi Canonicorum suffragio factus, omnium votis respondit. Religionis, legum Ecclesiasticarum, Patriæ, defensor, ac vindex strenuus. Illi debet Polonia, quod à secta Hussitarum libera exstiterit, quæ late per Bohemiam diffusa, omnî studio in Regno Poloniæ moliebatur sedem. Atterebatur Bohemia Hussitarum & Sigismundi armis Regnum vindicantis. Bohemi ut vim vi opponerent, Regnum Jagelloni, aut Vitoldo, utriq; victoriîs de Crucigeris glorioso deferebant: eoq; in negotio continuos in Poloniam expediebant Oratores. Has legationes gratô animô excipiebat Ladislaus, spem Bohemiæ potiundæ nutriens. Sbigneus Regi & suo Regno metuens, ne sub ea legationum specie, Hussitarum secta locum in Polonia inveniret, aut saltem Regis animum & aliorum mentes inficeret, Regem admonuit: *ut sibi caveret, ne, cùm cæteri viderentur cooperari ejus infamiæ, traduceretur apud exteros, tanquam hæreticorum fautor.* Hac tamen correptione nihil effecit. Quare præsenribûs Legatis Bohemiæ, Cracoviensi Urbi Sacris interdixit. Et quia proxime imminebant festa Paschatis; tenax censurarum Præsul, ut vel hoc modo Regem a noxia fidei Catholicæ cum hæreticis familiaritate abstraheret, ad obeundas illius temporis cerimonias, ad locum, Clara Tumba, dictum, milliari Cracoviâ dissitum, divertit. Contigit vice alia: Hussita Sacrificulus Ladislaum solus adierat; zeli plenus Antistes, veritus, ne quid hæreticus de religione suggereret; cum omni modestia Regem majestatis coarguit; quòd neminem ex consiliariis ad audiendum Bohemum adhibuisset, effecitq; ut Ladislaus hominem aulâ exesse jusserit; Sbigneus verò ne minimam moram Cracoviæ eidem permisit.

Ad Concilium Basileense parabat iter, & in pleno Senatu Ladislaum monuit; ut in sua absentia, Hussitas Bohemos vitaret, magisq; fidei, quam ambitioni faveret. Hac dicendi libertate offensus Jagello, respondit ferventiùs: *Tu unicus es, qui aliis tacentibûs, quidpiam in me devii advertisti.* Sed ubi integer Senatus, idem se cum Sbigneo sentire affirmaret, mitior Ladislaus, iram in amorem Præsulis convertit.

Vitoldus, qui sub Ducis titulo moderabatur Lithvaniam, Ejusdem Provinciæ Rex promulgari & in augurari voluit. Ad actum hunc multi convenerunt Principes. Sigismundus Cæsar per tacitos emissarios diadema Regium Vitoldo jam expediverat. Et licet eosdem Joannes Czarnkowski Succamerarius Posnaniensis intercepisset, & de mandato Jagellonis, cum Proceribus Majoris Poloniæ viis attenderet, ne novi in eo negotio supervenirent; tamen spem Regiæ dignitatis alebat Vitoldus. In publico Procerum Poloniæ congressu, multis agebat ille, ut Polonorum animos in sua vota flecteret. Inclinari videbantur plures, sed Sbigneus forti animô Vitoldi ambitioni obstitit, nec precibûs, nec muneribûs, nec minis adduci potuit, ut ea in re Duci Lithvano faveret.

Ex bello cum Crucigeris redibat Jagello, militemq; in bonis Ecclesiasticis ad stativa disponere intendebat. Sed authoritas Sbignei censuras Ecclesiæ minantis, Regias intentiones cohibuit. Et licet brevi, nobiles ex Terra Dobrinensi à Teutonicis pulsos, in bonis Episcopatuum nonnullorum collocâsset, à Diæcesi Cracoviensi abstinuit, metuens Sbignei in suo proposito constantiam. Et quamvis Rex hic, authoritatem hujus Antistitis adeò revereretur, moriens tamen, nuptialem cum Hedvige Regina annulum, in testimonium amoris sui, & grati animi, eidem donô misit, suamq; prolem illius tutelæ commendavit.

Fortiùs egit cum Casimiro Rege, & aliis, jura Ecclesiæ & integritatem Patriæ defendendo. Post cædem ad Varnam Ladislai Poloniæ & Hungariæ Regis, votis Polonorum expetitus Casimirus regnare noluit; sed, cùm Boleslaus Dux Mazoviæ electus esset *vide à pag: 87* animum ad solium Poloniæ adjecit. Metuebant Poloni, ne Lithvania, non ita pridem Regno unita, per Casimirum avelleretur; quare non obstante Boleslai electione, Casimirus in Regem Poloniæ inauguratus est. Et quia moris est, ut Reges electi statuta Poloniæ jurejurando confirment; Casimirus ferè per annos sex eam jurium confirmationem differebat. Hac Regis procrastinatione offensi Poloni, Casimirum ad suum officium etiam armis adigere intendebant. Olesnicki Patriæ & pacis publicæ studiosus, innatâ facundiâ effecit, ut Rex in præsentia Senatûs, & plurium ex nobilitate, legibus Polonis satisfecerit.

Attritas armis Patris sui Ladislai, Crucigerorum vires vario Marte premebat Casimirus: & quia exhaustum ærarium subsidiô egebat, impensas belli, Ecclesiæ Cracoviensis sacrario supplere conabatur. Ut Sbigneus suis intentionibus non obsisteret, egit multa; sed semper contrarium expertus est. Quare Præsulis constantiam vi expugnare contendit: & dum ea mente ingressus esset Cracoviensem Basilicam; Antistes linteatus Regi obvius euntem sustinuit, inquiens: *Quo tandem ruis Rex! sacra ne vasa pergis eripere? non patiar equidem: quòd si tu propterea Boleslaum ages, en tibi, ego adsum Stanislaus, sed à vasis abstineto.* His verbis & impetum Principis cohibuit, & animum ad saniora reduxit. *Ocrzechowski Annali III.*

Ea dicendi libertate, & Præsulea potestate, Antistes hic coërcebat Regum ausus fidei, aut immunitati Ecclesiasticæ perniciosos. Ab aliis verò illatas injurias pœnis Ecclesiasticis si resarcire non poterat, armis vindicavit. Ladislao Varnensi ad possidendum Regnum Hungariæ eunti justam pecuniæ summam mutuo concesse-

cesserat, hanc ut reciperet, Ladislaus tractum Scepusiensem eidem in proventum dimisit. Sbigneus collectâ ex his bonis pecuniâ, apud Venceslaum Ducem Tesinensem pro 6000. marcarum Pragensium Ducatum Severiæ emit, eumq; primus Severiæ Dux Episcopatui Cracoviensi applicuit. Hac Ducatus venditione læsus Premislaus Dux Tesinensis, bona eadem invasit, plurimisq; affligebat injuriis. Modestiæ & juris alieni eundem Præsul admonuit; sed hic ferocior ipsam arcem Severiensem obsidione cinxit. Ad ausum comprimendum Antistes militem conscripsit, ad easq; temerarium Ducem redegit angustias, ut pacem supplex peti-erit, quam prævia omnium damnorum satisfactione obtinuit. Spytco Melstinius, opibûs & familiâ præpotens Hussitarum sectam, quæ omni conatu locum in Polonia quærebat, professus erat. Publicum tanti viri facinus, ne aliis scandalo, & illicio esset, circumspectus ad omnia Præsul providit; Melstinium, quia resipiscere noluit, Diris devovit.

Nec satis habuit immunitatem sacrorum omnî studio tueri; plurimis Ecclesiis fuit beneficio. Decimas in Lublinensi Palatinatu, à Prædecessoribus neglectas vindicavit. Exuvias Sanctorum, Joannis Baptistæ, Petri, Pauli, Laurentii, Vitalis, Mauritii, Christophori, & Catharinæ, partim aureis, partim argenteis statuis inclusas, calicem aureum, Pontificalem mitram gemmîs, & lapidibûs distinctam, variamq; pretiosam supellectilem Ecclesiæ Cathedrali dono dedit: sanxitq; legem, ut quivis Cracoviensis Præsul calicem sponsæ suæ offerret. Cracoviensi Capitulo proventus auxit, & dotem pro Concionatore Cathedrali ampliorem instituit. Insuper eidem Ecclesiæ duo æra campana: unum sub nomine Cardinalis, alterum sub nomine Urbani obtulit; & quia posterius Niepołomiciis transtulerat, aliud in ejus locum illi templo providit. Clavum, quo Christus Cruci affixus erat, Latinus Ursinus Cardinalis

Ladi-

Ladislao Jagelloni donaverat; pignus hoc Sacrum Olesnicki in sua Basilica magno apparatu deposuit. Ad usum Academiæ Cracoviensis, contubernium, Hierusalem dictum, magno sumptu fundavit, quod Joannes Dlugossius perfecit. Eidem universitati bibliothecam ultima voluntate disposuit. Cracoviæ Successoribus suis Præsulibus palatium, in aliis vero bonis, aulas eorum usui erexit. Sandeci Ecclesiam Collegiatam, & ad illam Canonicos ac Vicarios instituit. Pinczoviæ (urbs ejus hæreditaria) Patribus Ordinis S. Pauli Eremitæ cænobium, arcem vero Joanni Palatino Sandomiriensi Fratri suo ex lapide secto exstruxit. Plures alibi ædes sacras ædificavit, & liberali dotavit manu. S. Joannem Capistranum, vitæ probitate & miraculis insignem, ex Bohemia Cracoviam invitavit, illiq; venienti cum Rege & Clero ivit obvius, ac in ejus gratiam, Patres Minorum de Observantia, Stradomiam (suburbium est Cracoviense) introduxit.

Fama Viri hujus unâ Poloniâ contineri non potuit, extra Regnum late diffusa orbi notum fecit. Martinus Papa lætus tantæ authoritatis & zeli Præsule, plenas amoris Paterni ad eum dabat litteras. Eugenius IV. merita hujus Antistitis magni faciens, eundem sub titulo S. Priscæ Cardinalem creaverat; sed quia eundem honorem Felix Antipapa Sbigneo deferebat, utriusq; favori renunciavit. Post restitutam tamen Ecclesiæ Romanæ pacem, eum à Nicolao V. oblatum suscepit *vide p. 92.* Æneas Sylvius, postea sub nomine Pii II. Romanus Pontifex, Præsulem hunc quanti æstimaverit? patet ex ejus apologia ad Martinum Maier. In ea inquit ille: *Sbigneus Cardinalis, & doctissimus Pater, quocum in erat nobis singularis amicitia, quamvis alter alterum nunquam viderit; sed paria litterarum studia nos junxerunt, epistolarum frequentes missiones amorem retinuerunt, ita ut & mortui dulcissima nobis memoria maneat.*

Triginta duobûs annis Cracoviensi Eclesiæ præ-

fuit

fuit. *Vir* Cromeri judicio, *magnus, pupillorum & Viduarum Patronus, in egenos liberalis, Ecclesiæ vindex acerrimus, Reipublicæ studiosus & constans advocatus, minarum, periculorumq; contemptor.* (a) Anno ætatis suæ 66. à partu Virginis 1455. die 1. Aprilis, feriâ tertiâ post Dominicam Palmarum, Sandomiriæ exuvias corporis, curis & laboribus exhausti deposuit. *Cujus morte* verba sunt Długossii Lib: XIII. *in Regno Poloniæ vulgatâ, universos Ordines, & homines utriusq; status, tantus mæror, & luctus occupavit, ut illum, non solùm, tanquam Ecclesiæ Cardinalem, Pontificem & columnam, & verum Apostolicum Successorem; sed veluti Parentem, & liberatorem Patriæ, & defensorē, atq; advocatū, uberrimis lachrymis certatim lugerent, & actum de Republica, actum de se, & sua libertate, pignoribus, & fortunis, publicis fletibus lamentabantur. Talisq; tunc Pontifex, defensor, patronus, & Pater Patriæ est ablatus Regno Poloniæ, qualem ut auguror* verba sunt authoris *sæcula nulla restituent. Quo in defendenda fide Catholica, & libertate Ecclesiastica, nemo animosior, in pronunciando, & decernendo justo judicio, & defendendo paupere, & pupillo, nemo constantior in alendo egeno, peregrino suscipiendo, ære alieno, oppresso relevando, nemo profusior, in dilatando honore, & amplitudine Patriæ, nemo vigilantior.* Corpus defuncti Sandomiriâ Cracoviam deductum, in medio chori Cathedralis Ecclesiæ conditum est.

XXXV.

THOMAS STRZEMPINSKI
De Familia Prussorum.

PRandotæ, & Dorotheæ de gente Leszczyciorum Filius. Theologiæ, & U. J. D. Scholasticus Cracoviensis, Gnesnensis Canonicus, Regni Pro Cancellarius, omnium calculis electus, non impar virtute Sbigneo successit. In primo suæ Cathedræ aditu, legi Antecessoris

(a) *Cromerus Lib:* XXIII.

foris satisfecit: calicem aureum ponderis sex marcarum, duos argenteos, mitram gemmis textam, pluraq; alia eidem obtulit.

Cum Crucigeris bellum nondum quieverat, Joannes Vladislaviensis, Episcopus, Lucas de Gorka Posnaniensis, Stanislaus Ostrorog Calissiensis, Palatini, Petrus de Szamotuły Posnaniensis, Joannes Czarnkowski Gnesnensis, Castellani, Stiborius Chełmski Posnaniensis Succamerarius, Andreas de Tęczyn Culmensis Præfectus, cum Ulrico Czerwonka, & nonnullis ductoribus copiarum partis adversæ, ut vires hostium diminuerent, composuerant, & summam 476000. fl. ex soluturam Poloniam appromiserant. Casimirus Rex Legatorum suorum promissis satisfacturus, Lanciciæ, Petricoviæ, tandem in nova Civitate Korczyn Ordinum conventum indixit. In illo ob defectum ærarii, nova tributa, injuncta, postulatum à Clero subsidium. Post aliquot dierum controversias, inter equites & Ecclesiasticos res tandem composita. Præsules ex amore Patriæ, ultro medietatem censuum, & decimarum pecunialium obtulerunt. Thomas Cracoviensis Antistes ad medietatem promissorum tertiam adhuc partem adjecit, quartâ pro se duntaxat reservatâ.

Nondum summa condicta cum Czerwonka coaluit quare ad eam componendam, Cracoviensium Ecclesiarum vasa, clenodia aurea & argentea oppignoranda Rex exigebat. Thomas indignum ratus, ut Deo res consecratæ in alios usus converterentur, intentioni Casimiri obstitit, & initô cum Canonicis consiliô, sex millia florenorum Regi numeravit, exilium, & ipsam mortem subire paratus, quàm templorum opes elargiri. Grato animô donum Episcopi accepit Casimirus, egitq; gratias Præsuli, quod necessitatibus Regni subvenerit, & ab attentato in Ecclesias ausu se immunem fecerit. *Długossius Lib: XIII.*

Multa a variis in Episcopatu passus, unde sæpius con-

conqueri auditus est: nihil pejus in vita se egisse, quam quòd Episcopatum suscepisset. Dignitatem Præsuleam deponere intendebat in Jacobum Sieninium, Præpositum Cracoviensem; sed suis intentionibus contrarium Casimirum expertus est. Cùm ætate ingravesceret, bibliothecam inter Ecclesias, Gnesnensem, Posnaniensem, Unieiowiensem, Loviciensem, & Academiam Cracoviensem distribuit. Suæ vero Ecclesiæ, pro die anniversaria, quadringentas marcas, Collegiatæ Loviciensi, mille florenos disposuit. Paralysi tactus anno 1460. die 2. Septembris fatis cessit, in Cathedrali Ecclesia sepultus, ultimus per electionem Præsul. Æneas Sylvius in Apologia ad Martinum Maier, hoc illi dedit elogium: *Cracovia cum Præsulem obtinuit, quem Canonici delegerunt; virum non minùs doctrina, quàm ætate plenum, dignum, qui urbem regat studiis ornatam.*

XXXVI.

JACOBUS SIENINSKI

A Pio II. designatus, cessit furori Casimiri, postea ex Vladislaviensi Episcopo, Archi-Præsul Gnesnensis. *vide pag: 97.*

XXXVII.

JOANNES VI. GRUSZCZYNSKI

PRimus hic per potentiam Casimiri Cracoviensem occupavit sedem. Joanni de Sprowa in Gnesnensi Metropoli successit *vide pag: 96.*

XXXVIII.

JOANNES VII. LUTECUS de BRZEZIE

De Stemmate Doliwa vide p. 82.

JOannis Judicis Calissiensis, & Dorotheæ Filius. Gnesnensis Archidiaconus, Vladislaviensis Scholasticus, Canonicus Cracoviensis, & Regni Pro Cancellarius, nomine Jagellonis à Svidrigellone Duce Lithvaniæ vindicabat Podoliam. Brevi Bitomiam designatus cum Bohemis pacem composuit. Viri hujus dexteritatem noverat Patria, quare eundem Romam ad Nicolaum V, Ratisbonam ad Fridericum Cæsarem expedivit, ut in illo conventu, si quid contra Polonos molirentur Crucigeri, eorum conatibus obsisteret. Ivit & ad Concilium Basileense cum Stanislao Episcopo Posnaniensi, & ubiq; cum magna nominis, & generis gloria, votis Patriæ respondit.

Post obitum Francisci Kuschmaltz, á nonnullis ad Varmiensem eligebatur Sedem. Sed Romà reducem (quo ad Callixtum III. Legatus iverat) & post liberum recessum ab electione sui in Episcopum Cracoviensem Casimirus Rex primùm ad Vladislaviensem, brevi ad Cracoviensem promovit Cathedram. Magno Ecclesiarum honore susceptus, Præsulis & Senatoris optimi munus gessit. In villa Pniewo Ecclesiam erexit, & decimis mensæ Episcopalis dotavit. Sigismundum & Fridericum Filios Casimiri Regis sacro fonte abluit. In Comitiis, cum vehementiùs, sensum Derslai de Rytwiany, Palatini Sandomiriensis refelleret, apoplexiâ tactus, amisso lingvæ usu, Regia elatus, brevi obiit, anno 1471. die 21. Maji, in Basilica Cracoviensi sepultus. Vir ætate gravis, meritis in Patriam insignis, ad pacta cum Crucigeris Torunii inita plurimum contribuit. In pauperes beneficus.

XXXIX.

JOANNES VIII. RZESZOWSKI

De Stemmate Połkozic vide p. 214.

JOannis & Annæ Przybyszewska Filius. Primam ætatem Marti consecravit cum Ladislao Poloniæ & Hungariæ Rege contra Turcas ad Varnam miles, post cladem exercitûs Christiani, & ipsius Ladislai necem, tri-

tristis nuncius cædis rediit in Patriam, Deo militaturus. Scholasticus Sandomiriensis, Cracoviensis Canonicus, & Regni Thesaurarius, demum post fata Luteci Cracoviensis Præsul, à Sixto IV. confirmatus, à Jacobo Sieninski Vladislaviensi Episcopo consecratus est 1472 die 29. Januarii. In Ecclesiam, diæcesim, liberalis, egenorum Pater. In solitudine S. Catharinæ à quodam Venceslao Polono exculta, templum fundavit, & PP. Ord: Min: de Observantia regendum commisit. Joannes Długossius Cracoviam ad ædem S. Michaelis, Patres S. Pauli Eremitæ introduxerat; ejus instinctu Præsul hic loci illius paræciam prædictis Patribus administrandam dedit. Cracoviensi Canonicorum Collegio plures decimas mensæ suæ pendi solitas, attribuit. Nepti suæ dum solennes pararet nuptias triste expertus fatum, 1488 die 28. Februarii. Cracoviæ sepultus.

XL.

FRIDERICUS PRINCEPS REGIUS

De Stemmate Pogonia: insigne Ducatus & Ducum Lithvaniæ.

SImul Cracoviensis Præsul, Archiepiscopus Gnesnensis. S. R. E. Cardinalis. *vide p. 105.*

XLI.

JOANNES IX. KONARSKI

De Familia Abdankorum *vide p. 234.*

PRibislai & Margarethæ de Brzostowo Filius. Teneram ætatem Posnaniæ, postea Cracoviæ in Academia litteris, animum virtutibus ubiq; excoluit. Optimam Joannis indolem Stanislaus Szydłowiecki, ad cujus aulam morabatur, advertit, & Regi Casimiro commendavit. Brevi Regiæ & ipsi Casimiro placuit adolescens, quare intima Casimiri Principis, Filii sui obsequia

quia eidem commisit. Morum probitate, & familiari solitudinis & orationum consvetudine, apud Sanctum & innocentem Principem eos affectus meruit Joannes, ut Casimirus morti proximus, in ejus manibus mori elegerit. Fato sui Principis indoluit Joannes, & ut sanctioris vitæ methodum, quam à Sancto didicerat, conservaret; Sacris Ordinibûs initiari voluit. A Friderico Cardinale Cracoviensis Canonicus, Præpositus S. Michaëlis inauguratus, & post ejus obitum Cracoviensis Episcopatûs Administrator, promovente Elisabethâ Reginâ, in Sede Cracoviensi, Friderico successit.

Dignitatem, quam virtuti debuit, clementiâ, liberalitate, & singulari prudentia insigniorem fecit. Comitatum Koziegłoviensem 10000. f. p. à Christino Koziegłowski Præfecto Premisliensi pro Cracoviensi Ecclesia emit, & bonis Dobrowoda adjunxit: Bona Łaganow & Zydow Episcopatui applicuit. Arcem Ilzæ igne vastatam restauravit, ipsum oppidum murô cinxit. Bożęcini arcem ad meliorem reduxit formam, Biskupiciis verò novam à fundamentis erexit. In aliis vero bonis ædes ad commodum Episcoporum, vetustate, aut temporum injuriis collapsas refecit & restauravit. Kielciis sacrarium ex secto lapide, Konaris (hæreditas illius) Ecclesiam de solido muro exstruxit & dotavit. Suæ Cathedræ quatuor peristromata, in quibus eleganti acu Tobiæ historia depicta est, & plura ex argento obtulit. Nepotes, quos ad aulam fovit, non opibûs, sed optimâ disciplinâ, in litteris, & pietate, profectu, divites esse contendit. Illorum unum, quem magis idoneum vidit, Archidiaconum Cracoviensem fecit. Hic postea à Sigismundo I. in Italiam ivit Legatus, & Bonam Sfortiam, futuram ejusdem Sigismundi Consortem, in Poloniam deduxit. In sua Diæcesi celebrari præcepit Festum Immaculatæ Conceptionis cum Octava, S. Annæ *vide pag: 106.* & S. Francisci, quòd ea die, videlicet 4. Octobris 1509. memorabilem victoriam de Bogdano Valachiæ

Pala-

Palatino, Duce Kamieniecki Poloni obtinuerint. *Decius.*

Lutherus, qui honesto & fidei veræ nuncium remiserat, non satis habuit, Saxoniam, Germaniam suis erroribûs corrumpere, Orbem integrum, si valuisset, inficere satagebat. Dispersi per varias Provincias illius asseclæ, multorum Procerum confisi patrocinio, excurrebant in Poloniam. Vigil ad omnia Præsul, obsistebat impiis eorum conatibus. Et ne ætas sua senio & laboribûs fracta, hæresi campum permitteret, Petrum Tomicki Episcopum Posnaniensem, Rege & Roma annuente, laboris socium & Sedis Successorem adscivit, illiq; regendam Diæcesim commisit. Ipse brevi ætatis suæ 78. anno, à Christo nato, 1525. obiit. Cracoviæ sepultus.

Ejus temporibûs Dominicus de Secemino Cancellarius Gnesnensis, U. J. D, & Ludolphus Ord: Prædic: Sacræ Theologiæ Doctor, ac Provincialis, uno eodemq; die 1519. defuncti, & die 20. Martii Cracoviæ apud PP. Ord: Prædic: sepulti sunt. Illorum corpora post fata, in amplexu mutuo quiescentia, reperta sunt. *Pruszcz pag: 166.*

XLII.

PETRUS III. TOMICKI

Navi pro Stemmate insignis.

NIcolai Vexilliferi Posnaniensis, & Annæ de Szamotuły Filius. In tenera ætate, Patre orbatus, crevit sub tutela Andreæ Szamotulski, Palatini Posnaniensis, à quo primùm Gnesnam ad expoliendum ingenium, deinde Lipsiam, ad discendam lingvam Germanicam missus est: Lipsiâ redux, in Cracoviensi Academia, lauream Philosophicam adeptus, ivit in Italiam, ubi Bononiæ, publica acclamatione, Juris utriusq; Romæ vero Theologiæ Doctor, salutatus est. Hanc Petri eruditionem inaudiit Fridericus Cardinalis, Episcopus Cracoviensis; quare ut tanti Viri consiliis viveret, eundem ad aulam suam invitavit, & in primo limine, Cracoviensem Archidiaconum instituit. Voto Principis respondit Petrus, totamq; negotiorum molem indefessus sustinuit. Sed cùm Fridericus obiisset; ad Joannem Lubranski Posnaniensem Episcopum divertit. Unde à Sigismundo I. ad Regiam evocatus, Regni Secretariis annumeratus est:

In Aula feriari non permissus; nomine Sigismundi 1509. ivit Romam, & ad Principes Germaniæ Legatus. Annô verò sequenti, missus in Podoliam, ad perficiendam pacem cum Valachis: magnô studiô eam composuit, effecitq; ut Bogdanus Palatinus Sigismundo & Reipublicæ pacta jurejurando confirmaverit. Anno quoq; 1511. ad Ladislaum Hungariæ Regem expeditus, Oratoris munus ad vota Poloniæ obivit. In ea legatione commoranti, Rex Sigismundus post ascensum Mathiæ Drzewicki ad Vladislaviensem Sedem, Episcopatum Premisliensem, minus Regni Sigillum, & Præposituram S. Michaëlis in Arce Cracoviensi contulit.

Ex Hungaria redux, egit gratias pro favoribus Sigismundo; & dum abitum in suam Diæcesim pararet, Sigismundi Viennam, ad Maximilianum Cæsarem euntis, primus viæ comes ire debuit. Ubi eam sui æstimationem nactus est, ut non tantum sui, sed & Regis Hungariæ, mentis interpres & Cancellarius fuerit. Nepti Cæsaris, cum hæc Reges istos salutaret, illorum nomine respondit. Reginam Bonam in Cracoviensi Cathedra, Sigismundi, futuri Conjugis mandatô, salutavit. Præcipuos hujus Principis favores, candore animi, & probata in omnibus virtute merebatur Petrus. Illo consulente & arbitrô maxime arduas res componebat: dignitates & officia Regni distribuebat Petro promovente. Id mirare, quòd ea re nullum offenderit; imò Petrus

trus Kmita, Cracovienſis Palatinus, ſupremus Regni Mareſchalcus, felicem Poloniam, Petrô Tomicciô, Conſiliariô, aſſeruit, dum illos, eo promovente Senatores haberet, qui non rem privatam, ſed publicam curârunt.

Poſt obitum Joannis Lubranſki, vacabat Poſnanienſis Sedes, hanc Petro Sigiſmundus contulit, à Joanne vero Konarſki Cracovienſi Antiſtite, cum jure ſucceſſionis adminiſtrandam Diœceſin accepit. Poſt cujus fata inter publica Regni negotia, ſuæ Eccleſiæ non immemor, ad Baſilicam Cracovienſem ſacellum ſub titulo S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, & ſepulchrum ſuis exuviis erexit, varioq; apparatu adornavit. Templum S. Michaëlis eleganti penicillô, horologiô affabre factô, comptius reddidit. Severiæ arcem integram de cocto latere exſtruxit, Petricoviæ (ubi Regni habebantur comitia) ædes commodo Cracovienſium Præſulum curavit. Villam Zabrowska wola, à Floriano Botarzynſki emptam Epiſcopatui adjunxit. Ut Rectores Eccleſiarum, exemplô vitæ ſuo muneri apti eſſent, ſedulo invigilabat. Et quia beneficia menſibûs Papalibûs vacantia, Romanam diſpoſitionem quærentibûs, quandoq; minus idoneis conferebantur: has Romanas gratias diſtribuendi poteſtatem impetravit à Suprema ſede.

Aula, quam pro dignitate officii fovebat, ſcientiarum contubernium dici poterat. Præter nepotes, quibus per ſucceſſionem, in pietate diſciplinam, & litterarias facultates reliquit, aluit plures, etiam e primis familiis adoleſcentes. In exteris quoq; Academiis non paucos ad emolumentũ Patriæ, beneficiis enutrivit. Liberalitatis & eruditionis Petri monumenta fuere: Andreas Krzycki, Gneſnenſis Archi-Præſul, Stanislaus Hoſius, Varmienſis Epiſcopus. S. R. E. Cardinalis, Philippus Padniewſki, Petrus Myſzkowſki, Cracovienſes Epiſcopi, Dantiſcus, Varmienſis Præſul, & alii plurimi. Ipſe eruditorum in Polonia ſuô ævô anteſigna-

gna-

gnanus. De illo Stanislaus Łubienſki, in ſua parænesi ad Thomam Zamoyſcium: *Paſſim Cancellaria Polonica, apud exteros Principes, jam inde à temporibus Petri Tomicki, quem Cancellariorum normam, & quaſi Patrem veteres dicebant, elegans & erudita cenſebatur.*

Ita de Patria, de Eccleſia, de ſcientiis optimè meritus, egenorum Pater, qui Joannem Archiepiſcopum Upſalenſem, pro fide exulem, ſuis fovit beneficiis, annîs 12, in Epiſcopatu Cracovienſi expletis, cùm in ultimo morbo, Chriſti cruciatus, ſibi prælegi juſſiſſet, ad illa verba: *Pater in manus Tuas commendo ſpiritum meum* animam Deo Conditori reddidit. 1535. *Vir* Cardinalis Hoſii teſtimoniô, *ingeniô & doctrinâ, morum; gravitate præſtans, ſummâq; dum viveret, in Patria noſtra authoritate, & ſicut multarum aliarum virtutum, ſic pietatis laude inſignis.*

Ab omni ambitione fuit alienus; poſt fata Łaſcii favore Regio promovebatur ad Gneſnenſem Metropolim, illam ceſſit Drzewiccio: poſt ejus obitum, denuo hæc offerebatur Petro, ſed eam Krzyccio conferendam impetravit. Quantus Præſul fuerit! ex eo colligi poteſt; cum vitæ ſuæ laudes meruerit, à Cardinale Hoſio, Joanne Archiepiſcopo Upſalenſi, Joanne Dantiſco, Varmienſi Antiſtite, Volfgango Sileſita, Jacobo Vitellio, Stanislao Stosłavio, Nicolao Zoravio, Andrea Krzyccio, Eraſmo Rotterodamo.

Hujus Præſulis tempora, commendavit Stanislaus Kokoſzka Ord: Prædic: S. T. D. Hic, exquiſitis corporis ærumnis & vitæ innocentiâ, meruit, ut familiaris eſſet Chriſto Crucifixo; ſæpius enim à Fratribus auditus eſt Stanislao loqui Salvator, cujus e cruce pendentis effigies miraculis clara, in ambitu Cracovienſis Eccleſiæ ejuſdem Ordinis, magnâ populi devotione colitur. Meruit & Deiparæ ſingulares gratias; cujus cultui tenerrimè affectus, plures horas diei & noctis immolabat. Vice quadam, dum veſte Religioſâ depoſitâ, in feram

no-

noctem ante aram, illius, consvetis vacaret precibus, ab Angelo Custode admonitus est: ut ad officium Angelorum Reginæ in Religioso vestitu decentiùs accederet. Vice altera, cum pro anima, in puteo cænobii, deret. Vice altera, cum pro anima, in puteo cænobii, pro noxis suis, Divinæ justitiæ satisfaciente, Deum & Sanctissimam Virginem precaretur; apparuit illi misericordiæ Mater, significavitq; animam hanc esse illius amici, & brevi liberandam fore. Postulavit Stanislaus, ut illam spectabilem haberet, & impetravit, a qua didicit dolorum purgatorii magnitudinem, & acerbitatem expertus est; cùm enim exposceret, ut alicujus, saltem minimi doloris particeps esset; Deo per mittente, anima illa in manum Stanislai guttam sudoris demisit. Vix ea manum attigit, & ecce Kokoszka præ cruciatûs vehementia, ingemiscens, in terram corruit mortuo similis. Insolito gemitu exciti accurrere fratres, & ad hibitis fomentis, viribus restituere Stanislaum. Interrogatus, quid sibi accidisset; fassus, purgatorii acerbitatem exposuit, & ad ferendum animabus subsidium, omnes adhortatus est. Tandem, dierum plenus, anno 1532. obiit. Ossa illius, Thomas Oborski, Cracoviensis Suffraganeus levavit, & vinô abluta, urnæ stanneæ imposuit, quæ hactenus in eodem sepulchro asservantur. *Pruszcz. pag: 168.*

XLIII.

JOANNES X. LATALSKI

UT in Posnaniensi, sic in Cracoviensi sede, successit Petro Tomicki, in Metropoli Gnesnensi ultimum diem vixit *vide pag: 114.*

XLIV.

JOANNES XI. CHOIENSKI

De Stemmate Abdank. *vide pag. 234.*

EX Regni Secretario, Cracoviensi Archidiacono, Pre-

Premisliensis, tum Plocensis, tandem Cracoviensis Antistes. Sigismundo I. in tantis fuit amoribus, ut filii loco haberetur. Annô vix expletô in Cracoviensi sede, 1538. ultimum diem obiit. Cromeri testimoniô: *Vir clarissimus, admirabili ingeniô, excelsô animô, maximè consiliô, eruditione, & juris peritiâ non vulgari, rara celeritate in rebus agendis præditus, in victu, cultuq; corporis, elegans, & moderatus, temporis parcissimus, constantia verò, integritate & liberalitate, in defendenda justitia, & injustitia oppugnanda singularis.* Cromerus Lib: V.

XLV.

PETRUS IV. GAMRAT.

ALiquot Episcopatuum Antistes obiit in Gnesnensi *vide pag: 115.*

XLVI.

SAMUEL MACIEIOWSKI

Vitulo pro Stemmate insignis.

BErnardi, Castellani Lublinensis Filius, nomen Samuelis, cælitus inditum sortitus est. Cùm nasceretur, Bernardus Pater absens, in somnis admonitus, ut Infantem, quem sua uxor ederet, Samuelem nominaret; ea de re nuncium conjugi misit, quæ natum, Samuelem dixit. (a) Cùm à puero diligentia Parentum adolevisset, ad aulam Petri Tomicki Cracoviensis Episcopi commendatus, dum inter ephebos indole, & studiô emineret, à Petro Patavium expeditus est; qua in urbe Romulo Amaseo Rhetori operam dedit, ac aliis Philosophiæ Magistris. Illorum præceptis eruditus in Poloniam rediit, ac ejusdem Tomicçii hortatu ad Regiam accessit, & in primo aulæ aditu meruit, ut inter Sigismundi Consiliarios Secretarius Regni promulgatus fuerit. Dignitas hæc strenuè ad vota Regis obita, Viro ad

(a) *Orzechovius Annali III.*

ad ſumma idoneo gradus fuit. Decanus Cracovienſis, brevi Chelmenſi diæceſi regendæ deſignatus, liberalitatis monumentum, Mitram lapidibus pretioſis, & gemmis textam huic reliquit Cathedræ. Officiô Pro Cancellarii Regni decedebat Paulus Wolſki, ei ut Samuel ſuccederet, dignus viſus eſt Sigiſmundo. Munus hoc cum pro dignitate Regni, Regis majeſtate adminiſtraret, in præmium laboris, Epiſcopus Plocenſis, tandem Cracovienſis Præſul, ſupremus Regni Cancellarius, diſpenſante in legibus ſuis Republica, omnium Ordinum voluntate creatus eſt.

Vix regimen Diæceſis ſuſcepit, grex ſuus ut ad normam probitatis compoſitus eſſet, avitamq; Religionem coleret, vigil curavit Paſtor. Duce Stankarô Italô, temeritatem protegente, & ſequente Nicolaô Oleſniciô, magnarum facultatum hærede. Zvingliana hæreſis irrepſerat in Poloniam & Diæceſim Cracovienſem; ne virus tantum latius ſerperet, perfidum miniſtrum Antiſtes Lipoveci captivum tenuit, vindicaſſetq; injuriam læſi Divini honoris, niſi Stankarus, ope aliena, paratas auſui ſuo pænas evaſiſſet.

In negotio matrimonii Sigiſmundi Auguſti cum Barbara Radzivilia, magnam Senatûs partem contrariam Sigiſmundus habuit. Ad illam repudiandam inducebatur à plurimis; eaq; in causa non unus Polonorum congreſſus celebratus eſt. Et quamvis in Comitiis Petricovienſibus 1549. Sigiſmundus Proceres & Ordines congregatos, certos feciſſet, priùs ſe vitam quàm uxorem dimiſſurum, cum qua legitimum ſibi eſſet matrimonium; *vide L. IV.* Nihilominus, Nicolaus Dzierzgowſki Primas, cum nonnullis Præſulibus ac Senatoribus, tum Palatinatuum Nuncii urgebant divortium hujuſce matrimonii, tanquam contra leges Patrias initi. Samuel ſententiam dicere rogatus, Regis factum improbabat, ſed dimiſſionem conjugis diſſvadebat. Epiſcopos in Polonia conſiliis publicis adeſſe, aſſeruit, ut Religionem defenderent, non vero authores eſſe, ut Sacramentorum fides ad nutum popularem violaretur, concluſitq; ſermonem: *Ego author Regi non fui, ut hanc duceret, ſed quoniam duxit, vivat cum illa, quando quidem eſt illi complacita; modò jus æqualiter dicat, ac Regnum fortiter defendat.* In ſuum ſenſum plures traxit Samuel, & quamvis matrimonium id, his comitiis confirmatum non fuerit, poſtea tamen approbatum, & Barbara in Reginam Poloniæ, ſolenni apparatu coronata eſt.

Hæc Samuelis authoritas, cum Officio Cancellarii multis erat invidiæ. Noverant illi per ſpeciale Regis privilegium, Samuelem Cracovienſem Epiſcopum ſupremum Regni Cancellarium, creatum fuiſſe; quare ut querelis pondus adderent, ad leges converſi, contra illas peccatum eſſe aſſerebant, per collatum hocce munus Samueli Cracovienſi Præſuli: Tulit modeſte hos contra ſe nonnullorum impetus & ut erat æqui animi, ne majoribus querelis occaſionem, aut bono publico periculum faceret, Sigillum Regni majus, & officium Cancellarii in manus Regias depoſuit.

Tandem virtutum & meritorum plenus, cùm annis quinque Cracovienſem rexiſſet Eccleſiam, à Cromero. *Orbis anima* dictus, ætatis ſuæ 52, à partu Virginis 1550. anno vivere deſiit, Cracoviæ ſepultus. Meruit laudes à Hoſio ex manſvetudine ſingulari: *Procul erat ab omni faſtu, & contentione ita, ut viderit nemo ſævientem, ſed, ne iratum quidem.* Quantæ verò erat facundiæ? ſcribit Orzechowſki. *In Cancellariatu, talem ſe præbuit, ut parem haud ſcio, an aliquando ſuperiorem in eo munere Polonia haberet; ſive illius fidem, ſive prudentiam, ſive eloquentiam conſideres. Quibus rebus ille tantum præſtitit, ut quidam ſoliti eſſent dicere; ſi in Deorum cætu Mercurius pro Jove loqueretur, non aliô modô, neq; lingvâ, quàm Samuelis Macieiovii loqueretur.* Orzechowſki Annali III.

XLVII.

ANDREAS I. ZEBRZYDOWSKI

De Stemmate Radwan vide p. 122.

SUb Erasmo Rotterodamo humanioribûs litterìs, Philosophicis vero & Theologicìs in variis Academiis ingenium excoluit: eamq; in dicendo vim & facundiam adeptus, qua Regum amores meruit, Religionem & Patriam defendit. Ex Lanciciensi Decano, Canonico Cracoviensi, Camenecensis, Chełmensis, tum Vladislaviensis Episcopus. Olboriæ ædes ampliavit, ac imaginibûs Præsulum Vladislaviensium adornavit. Tandem anno 1550. à Sigismundo Augusto ad Cracoviensem Sedem translatus est.

Annô 1552. Rex Comitia Petricoviæ celebrabat: in quibus, subsidia contra varios hostes, tum remedia contra domesticos motus providenda petebantur. Variæ hæreses & Orzechovii Premisliensis Canonici matrimonium, plures turbas in Regno excitârunt. Jura sua. & potestatem Antistites, potissimi Religionis defensores, in hæreticos præcipue extendere parabant; sed temeritas hæretica, in eum crevit ausum, ut nullam Præsulum jurisdictionem agnosceret. Imo & in his Comitiis, fautores hæreticorum, nobilitas infecta falsis dogmatibûs, fremebant contra Sacrum Ordinem; plenumq; in rebus fidei judicium, in Regem, & ejus Vicarios transferre conabantur. Eam statûs Ecclesiastici ignominiam, Religionis avitæ injuriam, gravi tulit animô Andreas; Regemq; in pleno Senatu allocutus, enumeravit hæresis scelera, Sacerdotum & Præsulum dignitatem, eorumq; potestatem exposuit. Tandem ad Regem conversus, *Quod si id illis* potentiam hæreticorum innuebat *jam de nobis licet*: inquit *triste id quidem impunitatis exemplum in nobis constituetur. Sed nemini magis, quam Tibi pertimescendum. Nostra enim causa, nobis etiam cadentibûs, ipsa per se stabit; nititur enim illa, non ullâ humanâ vi, sed Dei providentiâ; qui Ecclesiam suam, cum omni administratione illius, in petra solida, hoc est, in se ipso collocavit. De Te plurimum cogitandum est, ac multum in posterum providendum; ne Tua Majestas, quæ voluntate etiam humana continetur, ab iis negligatur, qui reverentiam erga Ecclesiam Dei, & erga nos illius ministros, in Tuo conspectu funditus repudiarunt.* (b) Confirmavit dicta, exemplis tragicis in Germania, & aliis Regnis, in quibus potens hæresis florentem sæculorum statum convellebat. Augustus licet metueret, ne legibus aliquam injuriam inferret, quæ Regi soli, de capite, facultatibus, equitum Polonorum judicium dabant: Hac tamen Zebrzydovii oratione motus, per Joannem Ocieski Regni Cancellarium pronunciari jussit: *De hæresi, Pontificum esse judicium, atq; id sibi pro pietate, & antiquis Poloniæ legibus, æquum videri.* Orzechowski annali V.

Hac Regis sententiâ conticuere aliquantum hæretici, sed malum hoc ut semper temerarium est, plura audere cæpit. Edicto Regio, & authoritati Comitiorum innixus Andreas, nonnullis à vera Religione deficientibus diem dixit, & in inobedientes, pænas extendit. Vi adigendi erant; sed furens hæresis obsistebat jurisdictioni Præsulum. Rex etiam in tuendis legibus erat segnior. Martinus Krovicius, non tantum Sacris Ordinibus, sed & fidei nuncium remiserat, Zvinglianam professus sectam. In eum cùm censuras non posset, strinxit calamũ, multîsq; argumẽtis errores illius detexit, & dissolvit. Ita de fide in Polonia meritus, anno 1560. obiit, Cracoviæ sepultus.

XLVIII.

PHILIPPUS PADNIEWSKI

Gente Novinea clarus

ALberti, & Margarethæ de Zerniki Filius. Adolescenti.

(b) Orzechowski Annali V.

scentiam in aula Caroli & Ferdinandi Cæsarum excelluit. Redux in Patriam castra Sigismundi ad Posvolum secutus, animi & virtutis heroicæ non exiguum dedit specimen. Præclaras Philippi dotes, rerum usum advertit Tomicki Cracoviensis Præsul, quare cum sacris initiatus esset, illum ad aulam suam invitavit, & Archidiaconum Cracoviensem fecit, Rex verò Sigismundus Gnesnensem, Lanciciensem Præposituram, & Sigillum minus Regni eidem superaddidit. A Sigismundo Augusto Romam, Viennam Legatus, ad vota sui Principis perfecit omnia, ac in præmium laboris, primùm Premisliensem, brevi Cracoviensem accepit Episcopatum.

Sacellum Kurozwanscianum ad Cracoviensem Basilicam restauravit. Vir in egenos liberalis, eruditorum amans, quos mensæ suæ convivas semper esse voluit, ut eorum colloquiis condiret dapes; edidit; in lucem *Elogia virorum, Togâ, Sagoq; illustrium.* Piasecki scribit, multam illum fovisse aulam, magis ad pompam, quam ad commoditatem instructam: ait enim, quod 200. splendido cultu ornatos, cum catenis aureis de collo pendentibus, prodromos adhiberi solitus erat. Obiit 1572. die 12. Aprilis in sua Cathedra sepultus.

XLIX.

FRANCISCUS KRASINSKI

De Stemmate Slepowron.

Solea est in campo cæruleo erecta, cruce insignita, cruci corvus annulum aut cum rostro tenens insistit, alis ad volandum paratis.

JOannis Dapiferi Ciechanoviensis, & Catharinæ de Mniszewo Filius. Studiorum causâ Vittembergam missus, incidit in Magistrum, Philippum Melanchtonem, sed ne virus hæreticum imbibisset, à Nicolao Dzierzgowski, sangvine juncto revocatus, in Academia Cracoviensi ingenium expolivit Archidiaconus Calissiensis, & Loviciensis Canonicus, pro Clero & ejus authori-

thori-

thoritate multa egit. Hæresis, quæ Divina jura contempserat, mandata & prohibitiones Præsulum flocci habuit. In tam deplorando Polonæ Ecclesiæ statu, Franciscus ad Paulum IV. ivit Orator, sed afflictus Pontifex, qui contra hæreticam pravitatem, Sacræ Inquisitionis Tribunal in nonnullis Regnis instituit, etiam in Polonia, ad comprimendas sectas erigendum svasit.

A Sigismundo Augusto ad Maximilianum Cæsarem Legatus, non tantum negotia Patriæ composuit, sed & Stephanum Bathoreum (qui postea Poloniæ imperavit) Joannis Sigismundi Nuncium, in custodiam datum, in libertatem vindicavit. Redeunti Viennâ Vilnam, cista cum litteris Cæsareis perierat: facti hujus causa erat, famæ & optimi muneris invidia eorum, qui hanc Provinciam deposcebant. Casus hic, addictum Francisco Regis animum minime offendit; imò jussu ejusdem Principis redire debuit Legatus Viennam, ut à Cæsare Catharinam Filiam, in Sponsam Augusto impetraret. Rem egit feliciter ad vota Sigismundi. Reduci, cum nihil vacaret, Præposituram Plocensem, & Sigillum minus Regni Augustus detulit. Curâ illius non postremâ, in Comitiis Lublinensibus anno 1569. unio perfecta M. D. Lithvaniæ cum Regno Poloniæ, & eidem restitutio Provinciarum Volhyniæ, Kioviæ, & Podlachiæ subsecuta est.

Obiit interea Philippus Padniewski: Francisci merita ut digne compensaret Augustus, ad Cracoviensem Sedem, eundem promovit, Regiam nominationem Gregorius XIII. approbavit. Amans Patriæ Præsul, contra Scythas 100. equites cum Stanislao Krasicki Castrorum metatore, ad comprimendam verò Gedanensium rebellionem 200. pedites, & 50. equites expedivit. Nobilitatem Severiensem cum consensu Capituli multis adornavit privilegiis. Krasnæ in bonis suis hæreditariis, Templum de solido muro erexit, sa-

cro

cro apparatu ditavit, Præpositum & aliquot Sacerdotes, qui Officium Divinum die quavis canerent, instituit, dote, illis assignata. Nosocomium ibidem & scholam de cocto latere exstruxit: ærarium exiguum reliquit, contentus opibûs, quas inter membra Christi distribuit, pauperum & Religiosorum Pater. Neminem, quod gloriosum est, ex suis ditiorem fecit. Annis quinque Diæcesim rexit, 1577. obiit, Bozęcini sepulturam nactus.

Tanti, & tantorum meritorum Viri fama apud authores ex eo vapulat, quod primam *Confœderationem*. Varsaviensem pro libertate Religionis dissidentium in fide, unicus ille ex Præsulibus subscripsit. Fecit id non ex favore erga hæresim, sed ex persvasione Procerum, optime de fide Catholica meritorum, sub tempus illius interregni bono Patriæ consulentium: & magis (ut ipse in sua Apologia fatetur) coactus. Facti hujus semper eundem pænituit, ejusq; ultimum effatum erat: *Utinam, aut nunquam fuissem Episcopus, aut nunquam subscripsissem confœderationem hæreticorum.* Vide Niesiecki Tom II.

L.

PETRUS V. MYSZKOWSKI

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 79.

JOannis, & Dorotheæ Pieczychoska Filius. Canonicus Cracoviensis, diu Regiæ vixit incognitus, Eruditio & facundia Petri erat perspecta Joanni Przerębski Pro Cancellario Regni; quare tantum virum latere non permisit, virtutes illius commendavit Regi, à quo Regni Secretarius, postea Pro Cancellarius Poloniæ inaugurarus est. Utramq; dignitatem ita administravit, ut opinionem de se longe superaverit. Ab Andrea Noskowski Episcopo Plocensi, adjutor Episcopatûs cum jure succesionis, Roma probante factus, post ejus fata, octo

octo annis prædictam Diæcesim rexit. Postea defuncto Krasinscio in Cracov: successit. Nepotibus suis, & aliis plurimis author fuit, ut hæresim ejuraverint. Cæterum, eundem, quem suus Prædecessor commisit errorem, dum post obitum Stephani Regis 1586. *Confœderationem* Cracoviæ factam, Dissidentibus in fide faventem subscripsit.

Templum S. Mathiæ Apostoli Cracoviæ, ad usum Patrum Societatis JESU dedit (*d*) Reipublicæ variis bellis exhaustæ 25000. fl. numeravit, quam summam Constitutio Regni 1593. ejus Successoribus approbavit & ad solvendum injunxit. In Ecclesia SS. Trinitatis, Cracoviæ sepulchrum sibi posuit, cui 1591. illatus est. De illo Hosius Epistol: Tom II. scribit: *Sive generis claritatem spectes, sive prudentiam, & magnarum rerum usum, sive lenitatem & affabilitatem, sive in rebus tractandis dexteritatem, sive lingvæ donum, dicendiq; facultatem, virum fuisse in paucis testamur.*

Illius Neptis Constantia Beata, Petri Brzenski Præfecti Brzeznicensis, & Dobczycensis Consors, post fata Conjugis, Virgines Deo dicatas S. Theresiæ, prima in Poloniam introduxit, Cracoviæ locavit, quibus facultates suas in dotem dedit, earum institutum professa, sanctimoniæ exemplum omnibus facta. Ad perfectiorem vitam sæpius se adhortabatur illis Bernardi verbis: *Constantia memor sis, quid fueris? quid sis? & quid eris?* Nemo illâ in obediendo promptior, nemo humilior, se omnium judicabat famulam; quare vilissima quæquæ obsequia, licet ætas gravior impedimento erat, magna cum alacritate obibat. Quoties alloqui Superiorem contigit, id flexis genibûs absolvit, & nisi imperiô adacta, surrexit. Ad consilium vocata, respondebat: judiciô Superioris, res melius processuras. Octo annis, & mensibûs sex in Religione expletis, omni genere virtutum exculta, annô Christi 1627. die 14. Maji æta-

(*d*) *Niesiecki Tom III.*

ætatis suæ 64. vixit, in Ecclesia S: Martini sepulta quiescit hucusq; incorrupta, plurimis gratiis post obitum clara, in vita, & post mortem vere Beata.

Familiam hanc Sigismundus Supremus Regni Mareschalcus, temporibus Sigismundi III. Marchionum Gonzagarum titulô adornavit. Cùm enim hic Legatum in Italiam ageret, à Principe Mantuæ, Gonzaga, suæ familiæ, & stemmati cooptatus, à Clemente verò VIII. Marchio proclamatus est. Domus hæc Marchionum inclyta in Josepho Castellano Sandomiriensi, hoc sæculo decessit. Post cujus fata Marchionum in Mirow & Pinczow dignitas ad Domum Wielopolsciana m transiit. Primusq; de Wielopolsciis Myszkowski Franciscus Palatinus Cracoviensis Wielopolscianæ Prosapiæ, titulum Gonzagarum, Marchionum in Mirow & Pinczow, intulit.

Eodem fatorum hujus Præsulis anno, videlicet 1591. die 3. Octobris, ætatis suæ 54. Religionis 24, obiit Stanislaus Warszewicki, Joannis, Castellani Varsaviensis Filius, primum Scholasticus Gnesnensis Cancellarius Posnaniensis, Cancellariæ Regni Regens, Regniq; Secretarius, ad Turcas, & varios Europæ Principes, obitis legationibûs clarus, dum pararetur ad Infulas, Romæ annuente Pio V. anno 1567. Societatem JESU ingressus S. Stanislai Kostka contubernalis, maturam ætatem ad perfectam vitæ sanctitatem composuit. Sigismundi, Regii Sveciæ Principis, postea sub hoc nomine III. Poloniarum Regis, adolescentiam in fide Catholica, & pietate instituit. Plures Poloniæ, & Lithvaniæ Proceres Romanæ Ecclesiæ lucratus. Ipse, charitatis victima, dum inserviret peste infectis, cecidit Cracoviæ, ad S. Mathiam sepultus.

LI.

LI.

GEORGIUS I. RADZIWIŁ

S. R. J. Princeps,

Pro Stemmate, aquilâ in cujus pectore tres tubæ cernuntur, insignitus.

DOmus primis Lithvaniæ Ducibus agnata, in Nicolao III. Palatino Vilnensi, Cancellario Lithvaniæ (cui Maximilianus Cæsar, Principatum S. R. J. anno 1518. contulit, Ducemq; in Goniądz & Medele creavit, (e) Respublica in Comitiis Brestianensibus approbavit, Celsissimâ; in Barbara Sigismundi Augusti Consorte, Regina Poloniæ, Serenissima: cum Principibus Brandeburgiæ, Holsatiæ, primis in Polonia & Lithvania Familiis sangvine connexa, opibûs potens, primis honoribûs insignis, in Sago & Toga emerita, victoriis de Turcia, Scythia, Moschovia, Crucigeris in Prussia & Livonia, gloriosa, (f) hunc Georgium Orbi dedit, Patre Nicolao Nigro, Palatino Vilnensi, supremo Mareschalco, & Cancellario Lithvaniæ, Duce in Olyka & Nieswiesz (quem titulum Carolus V. Cæsar, & Principatum Sacri Romani Imperii post decessum Nicolai Ducis in Goniądz & Medele, ejusq; Successorum, huic Mareschalco detulit, & Respublica anno 1549. confirmavit) & Elisabetha Szydłowiecka Castellani Cracoviensis Filia, genitum.

Quantarum gratiarum futurus esset Præsul hic? omen fuit, examen apum, quod in cunis infantis quievit. Annô ætatis suæ duodecimô, utroq; Parente privatus, Lipsiam ad erudiendum ingenium, cum Fratribus Stanislao & Adalberto missus, in erroribus Paternis firmiorem progressum fecit. Hos tamen cum Fratribus

(e) *Niesiecki Tom III.* (f) *Załuski Tom II. Epist. Famil: de hac Familia scripsit:* Quidquid in Republica Polona magnum, idem Radzivilium fuit.

tribus suis redux in Patriam, operâ, P. Petri Skarga S. J. deseruit, Fidei Catholicæ postmodum defensor strenuus.

Valerianus Protaszewicz Episcopus Vilnensis, ætate & meritis provectus, cùm intellexisset Principis hujus mentem ad Sacros Ordines, probante Rege, & Gregorio XIII, Georgium Successorem Episcopatûs adscivit. Brevi ab eodem Pontifice, Romam evocatûs, cum Fratre Stanislao, pro dignitate Principis accepṫus, aliquot annos tam sub institutione Achillis Galliardi S. J. quàm in aula Pontificia, cum Nominis sui gloria transegit.

Post fata Valeriani Protaszewicz, anno ætatis suæ 24. Româ redux Diæcesim Vilnensem moderari cæpit. Prima ejus cura fuit, ut grassantem hæresim comprimeret. Quare libros Lutheri, & Calvini, aliorumq; de fide suspectos ad rogum damnavit. Bibliothecas lustrari, severeq; animadverti jussit, ne in illis locum pestis hæc haberet, insuper edixit, ne quispiam auderet venenum hoc venale proponere. Quantum esset onus, Pontificia dignitas, considerabat sæpius; ab illa ut liber esset, & Societati JESU nomen daret, supplex erat Summo Pontifici; sed illius imperio, à Bolognetto Nuncio in Polonia Apostolico in Præsulem consecratus est.

Ad Præsuleam dignitatem, Livoniam regendam superaddidit Rex Stephanus. Provinciæ hujus urbes aliquot, Regem Daniæ, volebant Dominum. Georgius, ut illas in officio contineret, nonnullas arces occupavit. Ventum ad arma: Curâ & virtute Pękosławii, Præfecti suæ militiæ rebelles coërcuit, arces Karkus, Ermes, Helmet, Ruyen expugnavit, totq; Provinciæ, fidelitatem Regi Poloniæ jure jurando firmandam injunxit, quam affabilitate, & prudentiâ magnâ per triennium rexit, pluresq; incolas Ecclesiæ Catholicæ restituit.

Gregorius XIII, merita Georgii compensans, eminen-

Eminentissimum declaravit: Rex verò Stephanus in Basilica Vilnensi, insignia Romanæ Eminentiæ, minime ambienti detulit. Sigismundus vero III. post fata Myszkowscii invitum ad Cracoviensem Sedem promovit. Romæ electioni Innocentii IX, & Clementis VIII. interfuit, pluriumq; Cardinalium votô ad Petri Sedem elevabatur. Cardinalis hujus in agendo dexteritatem, quanti æstimabat Clemens, ex eo patet; dum quamvis absentem, ad componendam pacem inter Rudolphum Cæsarem, & Sigismundum III, suum Legatum designavit. Respondit Clementis intentioni, & insuper Annam Rudolphi Filiam, in Sponsam Sigismundo impetravit; quam solenni pompa deduxit Cracoviam. Mariam Annam Sigismundi Filiam, & Ladislaum postea Poloniæ Regem, sacrô tinxit lavacrô.

Primum lapidem pro Ecclesia SS. Petri & Pauli Apostolorum Cracoviæ posuit, cum hac inscriptione *Sigismundus Tertius*, (ejus impensis Ecclesia hæc erecta) *Rex Poloniæ, & Sveciæ potentissimus, suæ erga Deum Religionis, erga Principem Apostolorum venerationis, erga Societatem JESU liberalitatis, me firmum & constantem voluit esse testem: & nunc, dum terrâ obruor, testabor id inferis, & veniente Christo, testabor id Superis. Credent utriq; quia saxum dicit. Annô, à partu Virginis Deiparæ 1597, mense Junio, die 23. Regnorum ejusdem Sigismundi, Poloniæ decimô, Sveciæ quartô.* Huic lapidi additum est & numisma, parte ab una, effigiem Sigismundi cum nomine ejus in circulo, ab altera parte præferens hanc inscriptionem: *Deus Regi tribuit, Regnum, Rex Deo statuit templum. Sic Deus in cælis honorat Regem, sic Rex in terris honorat Deum:* in circulo *Ad majorem Dei gloriam Societati JESU, anno Domini 1597.* Kwiatkiewicz in Annal: Eccl: 1597.

Solenni apparatu in concursu Procerum Poloniæ & Lithvaniæ. hoc Regiæ liberalitatis, in Deum & Societa-

cietatem beneficentiæ opus absolvit Georgius. Ipse in Superos, Ecclesias, Religiosos, præcipue Societatem, egenos munificus. Beneficiorum illius monumenta: sunt: Seminaria Clericorum Vilnæ, Cracoviæ, quæ instituit. Villa Jeżewo, quam Collegio Lublinensi S. J. donavit. Academia Vilnensis, quam liberali manu ampliavit. Varia Religiosorum, & Virginum cænobia, quorum inopiam sublevavit. Virgines elocatæ, quibus ex proprio ærario dotem numeravit. Plurimi eruditione celebres, quos suis impensis fovit. Nosocomia erecta, in quibus egenos pavit. Deficiebat jam ærarium continuâ hujus Principis liberalitate exhaustum, sed ejus in membra Christi munificentiam Deus abunde remuneratus est; dum Kielcensis (bona sunt Episcopatûs Cracoviensis) venæ argenteæ, & æreæ repertæ sunt. Cum arx Regia Cracoviensis conflagrasset, ad illam contegendam, laminam ex ære providit.

Nec satis habuit, munificentia suâ prodesse Patriæ, Ecclesiis, Diæcesi; vitæ exemplo & cura Pastorali, Cardinalis hic eminere voluit. Diæcesim singulis obibat annis affabilitate, quam semper præsetulit, paternis monitis, emendans nævos, si qui irrepserant. Morum compositionem, vultûs modestiam, vitæ innocentiam, etiam dissidentes à fide mirabantur, illaq; ad saniora movebantur. Divina mysteria celebrare, in praxi habuit, ab illis absolvendis sola infirmitate impeditus.

Imminebat sacer sæcularis Annus 1600. ad illum absolvendum Romam perrexit; & dum Clementi VIII portam Jubilei aperienti assisteret, infirmitate correptus, ætatis suæ anno 44. sanctiorem vitam inchoavit. Die obitum præcedente, Clemens ægrum invisit, & in viam æternitatis eunti, indulgentiam plenariam concessit. Cùm verò mortuum rescivisset, super jactura tanti Præsulis illachrymatus est: in quod Poeta.

Nemo levem credat mortem, sub qua caput orbis
Sudavit subitò, debuit esse gravis.

Cor-

Corpus, ultima voluntate Illius in Templo Nominis JESU PP. S. J. depositum; Quod propter majorem pompam Clemens VIII. per Pontificium Palatium deferri jussit. Ejus laudes brevi calamo Stanislaus Łubienski in monitis de gerendo Episcopatu complexus est; *Non ille Ducum, è quibus genus duxit, famosis tumebat imaginibus, sed veluti, quoddam eximiæ humanitatis speculum, sui semper similis, & cunctis amabilis vixit: nulla unquam labe notatus, singularis vitæ, ad numeros optimi Episcopi compositæ, laude sanctitatis conspicuus.*

Illo Diæcesim Cracoviensem moderante, Jacobus Wuiecus S. J. Polonus, litteris, Græcis Hebraicis apprime excultus, obiit Cracoviæ, 1597. die 27. Julii. Volente Stephano Rege, Sigismundi Bathorei, Transylvaniæ Principis in doctrina & pietate Magister, Collegii Posnaniensis primus Rector, Domus Professæ Cracoviensis, & plurium Collegiorum, ac totius Provinciæ Præses, tot & tantis muniis distractus, ab officio tamen præconis divini verbi, hæreticos insectandi dictis & scriptis compluribus nunquam cessavit. Biblia universa, juxta vulgarem editionem, mandante Gregorio XIII Clemente VIII probante, in Polonicum idioma primus transtulit, laboribus pro Religione immortuus. Dextra illius manus, in præmium scriptorum pro fide Catholica, aliquot à morte annis, consumptô reliquô corpore, incorrupta, inventa est. *Fasti S. J.*

LII.

BERNARDUS MACIEIOWSKI

RExit simul Gnesnensem Metropolim vide p. 141.

LIII.

LIII.

PETRUS VI. TYLICKI

De Stemmate Lubicz

Solea eſt in campo cæruleo erecta, cruce deſuper, & in medio inſignita.

ANdreæ & Hedvigis Bielſka Filius. Fortunam, &
honores, non opibus, quas exiguas in ſucceſſione
accepit, ſed ſuis dotibus debuit. Indolem ſolis huma-
nioribûs litteris in Academia Cracovienſi excoluit, in
illum tamen virum propriô ſtudiô crevit, ut primis par
eſſet. De illo Łubienſk: in Vitis Epiſc: Plocen: *Id pri-
vatô ſtudiô fuerat conſecutus, ut elegantiâ, tam Polonici,
quam Latini ſtyli polleret: ac in Senatu molli quodam & tem-
perato ſermone, citra cujuſquam offenſam, ſenſum animi ſui
explicare ſciret.*

Ex Scholis ad aulam Cancellariorum Regni, Pe-
tri Wolſki & Joannis Zamoyſki divertit: & in hac Re-
gni officina, ſtyli elegantiâ, comptâ loquendi facundiâ,
ingenii præſtantiâ; in aula verò Regia, animi demiſſio-
ne, & morum compoſitione adeò profecit, ut ad Cano-
nicatum Poſnanienſem, acceperit Gneſnenſem Præ-
poſituram, Cracovienſem, Varmienſem Canonicatus,
Secretarii, poſtea Referendarii munus. Brevi Culmen-
ſis Antiſtes, & Regni Pro Cancellarius, Sigiſmundi III
juſſu, cum eodem ivit in Sveciam: ubi conſiliô tueba-
tur majeſtatem Sigiſmundi. Hunc ejus addictum ſibi
animum remunerans Sigiſmundus, poſt fata Andreæ
Bathorei, Varmienſem Sedem Petro contulit, in qua,
ut ſimul Regni ſigillum adminiſtraret, apud Rempu-
blicam Rex effecit. Ultra tres annos huic Cathedræ
præfuit, cum minime ſperantem, ad Vladiſlavienſem
favor Regius tranſtulit, & inſuper Præpoſitum Mie-
chovienſem creavit. Ac demum poſt fata Macieiovii,
probante Roma, Cracovienſi Sedi præeſſe fecit. Inten-
debat

debat Sigiſmundus, ut exemplo Macieiovii, Cracovi-
enſem & Gneſnenſem Diæceſim ſimul regeret; & faci-
le Paulus V. vota Regia confirmaſſet, niſi ipſe Petrus ob-
ſtitiſſet. Ut quamlibet, ſic & Cracovienſem Eccleſiam
adminiſtravit optime. Tandem 1616, die 13. Julii, an-
no ætatis 73. obiit Cracoviæ, in ſacello à ſe reſtaurato
conditus.

Omnium judiciô Præſul magnus, de Eccleſia, fi-
de, Patria emeritus. Meruit non tantum Polonorum,
ſed etiam Summorum Pontificum elogia. Clemens VIII
Regi Sigiſmundo ſcribens, laudat Petrum: *Semper ita
exiſtimavimus, & fidelem illum, Tuæ Majeſtatis adminiſtrum
& dignum Antiſtitem, qui in utroq; munere, integre & pru-
denter, & multo cum fidei Catholicæ Zelo obeundo, cum
Dei gloria & Reipublicæ præclarè inſerviat.*

Ut ab omni ambitione, dignitates enim Eccleſia-
ſticæ, quandoq; ignoranti offerebantur; ita ab opibus
corrogandis erat alienus. Bona quædam jure caduco
ad ſe devoluta, Rex Petro tribuerat, donum hoc libera-
litatis Regiæ, gratô ſuſcepit animô, ſed brevi eisdem
bonis, nullô acceptô pretiô, ceſſit. Sigiſmundum III,
in Sveciam, comes itineris cùm ſequeretur, omnem
ſupellectilem amiſit. Navarchus inſuper, juſtam pecu-
niæ ſummam eidem furtô abſtulit; æquô animô tulit
damnum Præſul, ſed hoc illius factum Deus compenſa-
vit. Navarchus ille, cùm alii varios portus tenuiſſent,
vi ventorum cum ſua navi Gedanum appulit; ubi de-
tentus, injuriato Præſuli omnia reſtituere debuit. Pe-
trus verò integram ſummam receptam inter pauperes
diſtribuit. FF. Inſtituti S. Joannis de Deo Cracoviæ
in ſubſidium ægrotorum, decem millia fl. aſſignavit, à
quibus Capitulum Cracovienſe, ut annuum cenſum præ-
dictis Religioſis penderet, diſpoſuit. Ibidem fabricam
Templi Patrum Carmelitarum Strictioris Obſervantiæ
liberali juvit eleemoſynâ. Cathedralem quoq; Craco-
vienſem Eccleſiam adornavit, & in ſuffragium animæ
ſuæ

suæ, ultima voluntate 14000. fl. Capitulo numeravit. Kovali (civitas est Palatinatûs Brestensis Cujaviæ) ubi de sacro fonte levatus est, Ecclesiam de solido muro erexit, & dotavit. AcademiæCracoviensi, ad alendum, humaniorum litterarum Magistrum 10000. fl. contubernio pauperum, ubi prima eruditionis fundamenta posuit, 2000. largitus est. Nosocomiis, cænobiis, variis Ecclesiis, ultima voluntate liberalem porrexit manum, in vita & in morte egenorum Pater.

Quanti verò pro fide Catholica Zeli fuerit; plura supersunt documenta; nempe Ecclesiæ frustra obsistentibûs hæreticis, de manibus illorum vindicatæ. Vel maxime autem zelum suum probavit Torunii. Hac in civitate à primordiis suis semper Catholica, tandem per Lutheri asseclas perversa, eò audaciæ prædominans devenit hæresis, ut præter alias Ecclesias, quas juris sui fecerat, etiam Principem S. Joannis Basilicam cum Catholicis diviserit; parte media, à cornu Epistolæ, Catholicis relicta, altera parte à cornu Evangelii sibi reservatâ. Devotionem quoq; ita distribuit, ut Catholici eandem manè, & circa horam septimam, suum de rebus divinis sermonem lingvâ Germanicâ haberent, reliquum cederet exercitio dissidentium, & eorum concioni lingvâ Polonicâ per suum Ministrum absolvendæ. Doluit Præsul (cùm adhuc Culmensis esset) in uno eodemq; loco, Dagonem cum Arca Dei stare. Torunium superveniens, tempus sacrificii celebrandi ad horam nonam protraxit. Illud jam inchoaturus erat, cùm falsæ doctrinæ seminator, horam ad populum dicendi consvetam observans suggestum ingressus, nullâ reverentiâ Præsulis habitâ, sermonem attentare ausus est. Sed ab Antistite tacere jussus, & ab aula Præsulea, sacrò pulpitô dejectus, mandato Petri, & obsequio aulicorum parere debuit. Ad factum hoc Episcopi, infremuit Magistratus, & civitas hæretica, per vim suum ministrum Ecclesiæ admovebat, cæterum ab aulicis & milite Ty-

liccii prohibiti, non tam Episcopalem, quàm Pro Cancellarii authoritatem metuentes, ab ulteriori tumultu, minis in Antistitem contenti, abstinuerunt. Seditione hac compositâ, & Sacro finitô, unum è Societate JESU, à sacris exedris, verba ad congregatum populum facere imperterritus Præsul demandavit; ac ad confirmandos in fide Catholicos, convellendos dissidentium errores, eisdem Patribus locum fixum, quem Petrus Kostka, suus in Sede Culmensi Antecessor providerat, ad eandem Ecclesiam dedit.

In officio Pro Cancellarii, strenuus & diligens, nullum privilegium, nullam scripturam extradidit, nisi prius lectam, & à se bene examinatam. Pro indemnitate cujusvis, ne à potentioribus opprimeretur, murum se opponebat, & licet acrius quandoq; ageret, injurias alienas vindicans, tamen à Lubienscio. *In monitis de gerendo Episcopatu* sequens elogium meruit. *Spectata ejus pietas, candor animi, virtutum omnium studium, ita illum exornant, ut quamvis asperior moribus videatur, sæpeq; irâ, nemini tamen noxia commoveatur, vix tamen quisquam est, qui illum non amet.*

Hujus Præsulis neptis erat, Sophia, Georgii Tomicki Consors, fæmina assiduæ corporis afflictationi immortua, dotibûs cælestibûs, & familiaritate cum Superis clara. Osmanus Turcarum Imperator, bellum indixerat Polonis, eoq; fine, ad Chotimum (arx est ad Tyram fluvium, de qua & vicino Cameneco, Petrus Valachiæ Palatinus (a) dicere solebat, *aut Camenecum, Chotimum nostrum, aut Chotimum Camenecum consumet*) totius Orientis vires collegit. Contra hunc Christiani, & Poloni nominis hostem ivit robur, & Nobilitas Poloniæ, perrexit & Sophiæ conjux. De ejus vita & Patria solicita Sophia, fortunatum Polonorum successum sæpius Deo & Sanctis Patronis commendabat. Vice quadam, dum intensiùs oraret; Divus Kostka eidem appa-

(a) *Sarnicki in Descript: Polon.*

apparuit omnemq; metum excuſſit, *Ne turberis filia, nec tuo conjugi, nec ejus commilitonibus, quidpiam adverſi eveniet; poſt Turcarum cædem, pax inita eſt.* (*b*) Fama de Polonorum victoria ſuperveniens, fidem fecit viſioni, & dictis. Chriſti Crucifixi effigiem in deliiciis habuit. Ante illam cùm ſolitas preces abſolveret, vocem Crucifixi Numinis ſe alloquentis audivit. *Intuere paſſionem meam, conſidera, quàm cruentè pro peccatis tuis, in cruce mórtuus ſim; exemplum habes mei morientis; ex illo diſce humilitatem, manſvetudinem, patientiam, & imitare; merces tua ero in cælo.* Mirum dictu; quantam ex hac allocutióne lætitiam habuerit Sophia. Vice altera, cum poſt fuſas orationes, in teneri affectus ſui teſſéram, ori Chriſti Crucifixi pararet oſculum; Chriſtus eam admonuit, ut advolveretur pedibus. Paruit monito, plantas Salvatoris, cum ſumma animi ſui dulcedine exoſculata eſt, ſatis læta, quod ad oſculum ejusmodi, cum Magdalena, juſſu ipſius Chriſti, admiſſa fuerit. Multa alia cæli beneficia, mulier hæc experta eſt. Obiit octava Novembris 1633. Poſt ejus fata, quinto die ſupra ædem, in qua defuncta eſt, ſertum miræ pulchritudinis, claritatis & coloris apparuit, ſignum coronatæ illius, in vita patientiæ. Effigies Chriſti Crucifixi ceſſit Gaſparo Działyńſki Epiſcopo Culmenſi, cui de ulteriori vita deliberanti, ſtatum Eccleſiaſticum ſvaſerat. Hanc ille, ultima voluntate ſua, Eccleſiæ Societatis JESU Bidgoſtienſi deſignavit. (*c*) Fratris ſui diſpoſitioni ſatisfaciens Petrus Działyńſki Caſtellanus Dobrinenſis, eandem cum magnifico apparatu, prædictæ Eccleſiæ intulit. In qua hucuſq; conſervatur miraculis clara, magnoq; populi concurſu colitur. Sub tempus incurſionis Sveticæ, cùm nec ſacris parceretur, Bartholomæus Waſowſki S. J. metuens, ne pignus hoc ſanctum in manus hæreticas incideret, in locum ſecuriorem, ſicco pede per fluvium Brda tranſtulit. *Menologium S. J.*

Et

(*b*) *Nieſiecki Tom IV.* (*c*) *Nieſiecki Tom II.*

Et hujus Antiſtitis tempora, Operarii pro fide, e Societate JESU, morte ſua condecorârunt. Juſtus Rabus, & Martinus Łaſko, uterq; Polonus. Primus à parentibus hæreticis, adoleſcens, ad varias Academias, Vittembergenſem, Argentoratenſem, Lipſienſem expeditus, ut ſuo tempore, magnum errorum foret columen. Sed Pariſios delatus, dum P. Maldonati S. J. lectionibus de Fidei controverſiis adeſſet, Deo favente convictus, Catholicam fidem amplexus eſt. Et ut hæreticos magis perſequeretur, Societati JESU nomen dedit, ſæpiùs ex variis ſectariis triumphator. Lublini Arianorum miniſtrum ita exagitavit, ut hic plane obmutuerit. Ad aulam Sigiſmundi III. evocatus, rara facilitate, prout occaſio ferebat, Polonice, Germanice, Italice, Latine, Gallice, ſacros ſermones habuit, magno audientium fructu. Obiit Cracoviæ 1612. die 1. Aprilis. (*d*) Alter in convertendis hæreticis verbis, & exemplô, induſtrius & felix. Ut plures alias urbes, ſic Poloniæ Minoris Metropolim, Cracoviam infecit hæreſis, eamq; plures hujus Civitatis incolæ, etiam ex Magiſtratu ſecuti ſunt. Omnem Martinus curam adhibuit, ut urbis Proceres ad Eccleſiam reduceret, facilius reliquos in lucro habiturus. Ut intentis, ſic laboribus favit cælum, dum integer Magiſtratus fidem Romanam Catholicam profeſſus, legem tulit, quâ ab ea dignitate omnes in poſterum arcerentur hæretici. Sub tempus bacchanaliorum, ut effrenem coërceret licentiam, quadraginta horarum devotionem, primus in Poloniam introduxit. Adverterat, puellarum, præcipuè pauperum, virtutem ſæpe periclitari; quare ciſtam S. Nicolai inſtituit, ad ſubſidium colligendum per Sodales Congregationis miſericordiæ, pro numeranda illis dote. Vitam ferè integram lucro animarum immolavit, dum ultimum etiam diem, earum obſequio impendit. Occubuit charitatis victima Cracoviæ 1615. die 23.

Maji

(*d*) *Faſti S. J.*

Majì, dum urbi pestilentiâ infectæ inserviret. *Fasti S. J.*

LIV.

MARTINUS SZYSZKOWSKI

De Stemmate Ostoia

Duæ sunt lunæ crescentes coloris aurei, in rubro campo tergo ad se conversæ, & gladius in earum medio.

TEneram ætatem in Scholis S. J. Calissii per annos 12. excoluit, in Academia Cracoviensi annum in- tegrum commoratus, Romam excurrit, ubi sub Mureto & | encio in humanioribus litteris & Philosophia, in Theologia vero sub Bellarmino Magistris. adeo profe- cit, ut sua ætate inter eruditos non postremam lauream ol tinuerit. Peritiâ juris Canonici, civilis & Theolo- giæ moralis, vel maxime eminuit. Româ redux Ca- nonicus Cracoviensis, & Cancellarius inauguratus est.

A Stanislao Gomolinski Luceoriensi Episcopo, dispensante Sigismundo III. Clemente VIII. probante laboris Socius, ac Successor, & post ejus fata, Luceori- ensis Præsul, optimi Antistitis curavit munus. Ut er- rores, qui irrepserant, emendaret, Synodum congre- gavit, in qua Diœcesim sacerrimis circumscripsit legi- bûs, & ut omnibus præsto essent, easdem imprimi cu- ravit. Schismati Photiano deditos, ut ad Unionem cum Romana Ecclesia adduceret, omne studium adhi- buit, laboribus, & intentionibus optimis Deus bene- dixit; multos enim etiam ex Proceribus Volhyniæ & Lithvaniæ lucratus est. Cremenecum (urbs est Vol- hyniæ montibus aspera, arce, a Bona Regina, erectâ e- minens.) PP. Ord: Min: Conventualium, Brestam, (civitas est Ducatûs Lithvaniæ, Palatinatus caput in Diæcesi Luceoriensi) PP. Ord: Min: de Observantia, introduxit. Luceoriæ, PP. S. J. Collegium parabat, jamq; in eum finem, obtinuerat consensum Canonico- rum, ut bona Episcopalia: Błoty Stryiow, Żysiec in do- tem

tem prædictorum Patrum cederent; sed quia brevi ad Plocensem Sedem translatus est, Paulus Wołucki hanc ejus intentionem ad effectum deduxit. Societatis JE- SU erat defensor acerrimus, quam contra fictam equi- tis Poloni actionem, oratione gravi vindicavit, eamq; typo impressit.

Cum Sigismundo Myszkowski, Regni Mareschal- co, pro Constantia Austriaca Annæ defunctæ Sorore ger- mana, quam sibi Sigismundus III. Roma dispensante desponderat, ivit legatus, eamq; legationem cum glo- ria gentis & nominis sui ad vota Regis absolvit. Sigis- mundus merita Viri remunerans, ex Episcopatu Lu- ceoriensi, ad Plocensem, dein ad Cracoviensem Se- pem, Martinum transtulit. In utraq; zeli & munificen- tiæ amplum campum nactus est: Primam, quam de- cenniô rexit, verbô, cum negotia permitterent, à sacris exedris, & vitæ exemplô ad optima quæquæ instruxit. Plociæ Collegium Societatis JESU condidit, villa Lu- tobork & decimis Præfecturæ Łomzeńsis, eidem attri- butis. Ædes nonnullas pro Collegio emit, quod illius beneficium Constitutio 1616. approbavit. Ibidem pa- latium Episcopale à Baranovio inchoatum perfecit, alterum Pułtusci restauravit.

Cracoviensem Cathedram, post obitum Tyliccii, ubi adiit, totum se impendit, tum erigendis, tum repa- randis, tum de manibus hæreticorum vindicandis Ec- clesiis, quas ultra 40, frustra fremente hæresi recepit. Templum in honorem S. Caroli Borromæi, non ita pri- dem Sanctorum fastis adscripti erexit, exuviis hujus Sancti adornavit, & cœnobium PP. Ord: Min: de Ob- servantia Kielciis ad radicem montis Karczowka dicti, condidit. Ilzæ Ecclesiam de cocto latere, & sacellum de secto lapide exstruxit, in quo ossa Parentum suorum deposuit. Ibidem arcem restauravit, civitatem verò turri forensi adornavit. Cracoviæ, ad Ecclesiam PP. Ord: Min: Conventualium, sacellum ex fundamentis ere-

erexit, in illud introduxit cætum condolentium Christo
patienti, eidemq; leges & officia præſcripſit: Ipſis ve-
ro Patribus, pro docenda Theologia impenſas providit.
Ad ſeptem Eccleſias Cracovienſes, indulgentias ſtatio-
num Urbis Romæ impetravit, ad eas viſitandas infor-
mationem conſcripſit, & typis edidit. Synodum ad u-
tilitatem Cracovienſis Cleri abſolvit.

Anno 1624. gravi & periculoſa ægritudine de-
cumbens, votum fecit, poſt reſtitutam valetudinem,
comptius ſe adornaturum, ſepulchrum S. Stanislai Ep:
M. perfectæ ſanitati redditus, in decorem SepulchriDi-
vi Martyris 150000. fl. expendit, inſuper tumbam ar-
genteam pro ſacris illius exuviis comparavit. Anno
1629. dum nocte profunda quieti conceſſiſſet, vocem
inſolitam audit, ſurgit lecto, & flammas in palatio dif-
fuſas creſcere advertit, quare familiam excitat, & ulte-
riori damno obviat. Hujus beneficii memor, pro de-
cem Sacerdotibus, ſummam in cenſum elocavit, qui
quavis feria 2da, de Sanctis Angelis, quavis feria 4ta
de S. Stanislao M. ſingulis feriis 6tis, pro defunctis
miſſas celebrarent.

Nec Poloniæ defuit ſuis beneficiîs; ſub tempus
belli Chotimenſis Rex Sigiſmundus, & Reſpublica, e-
jus curæ commendavit Cracoviam. Amans Patriæ
Præſul, ad ejus præſidium pedites 400, equites 100.
proprio conſcripſit ære. Poſt fata Gembicci, Rex Pri-
matialem dignitatem eidem conferebat; ſed Martinus
fatis illam mereri habuit. Tandem ætatis ſuæ 76. à
Chriſto nato 1630, totius Diæceſis luctu obiit.

Vir Patriæ, & omnibus charus, in conſilio pro-
fundus, in agendo prudens, & ſtrenuus, in pietate, &
ærumnis corporis conſtans; ultra enim conſveta jeju-
nia, quâlibet feriâ quartâ, abſtinentiâ etiam debile cor-
pus affligebat. Sibi & aulæ indixit quotidianas de O-
mnibus Sanctis Litanias, ad quas ſignô campanæ con-
vocabatur tota familia. Sic illam, devotam habere vo-
luit.

luit. Et hæc ut patrocinio Divorum gauderet, ſortitio-
nem Sanctorum Patronorum, exemplô aliquarum Re-
ligioſarum familiarum, quolibet menſe ſibi & illi
conſvetam habuit, nulliſq; negotiis, nec debilitate, ab
hoc pietatis officio impediri potuit.

Ut illum, ſic plures, ſtante ejus regimine, Diæce-
ſis Cracovienſis, mors glorioſa obita cælo inſeruit. Ex
multis nonnullos annoto. Stanislaus Rozrazewſki' Sta-
nislai Caſtellani Rogozienſis, & Suſannæ Myſzkowſka
Filius, Hieronymi, Vladislavienſis Epiſcopi Frater,
avitam fortunam, dignitates, quibus parabatur, heroi-
cô contempſit animô, & primus ex Polonis adoleſcen-
tibus, Anno 1560. Viennæ Societatem JESU ingreſ-
ſus eſt. Romæ Sacris Ordinibûs initiatus, rediit in Po-
loniam: præter multos, quos ſuô exemplô, ad idem In-
ſtitutum vitæ traxit, plures in Lithvania, Livonia, Po-
lonia hæreſi infectos, indefeſſus in vinea Chriſti opera-
rius, excoluit, & Deo, ac ejus Eccleſiæ adjunxit. Poſt
variorum Collegiorum regimen, annorum 81. anno
Chriſti 1619. fractam laboribûs ætatem depoſuit Cra-
coviæ, ad S. Barbaram ſepultus. *Nieſiecki Tom III.*

Georgius Tyſzkiewicz Patre Palatino Breſtianen-
ſi ortus, ut non tantum virtutem, ſed & gloriam Nata-
lium adderet Societati JESU, Deo intentiones ejus di-
ſponente, illam amplexus eſt. Romæ, quo ad excolen-
dam indolem perrexerat, in gravem morbum incidit.
In dies creſcens malum, peritiam & manum medico-
rum ſuperabat. In eo infirmitatis ſtatu morti fere vici-
nus Georgius, votum nuncupat: ſi convaleſceret, il-
lum ſe Religioſum ordinem ingreſſurum, cujus homi-
nem, domo prodiens, primum haberet obvium. Brevi
& viribus, & perfectæ incolumitati redditus, in Muti-
um Vitelleſcum Societatis JESU Generalem Præpo-
ſitum incidit. Voti reus, Societatem exambiit, & im-
petravit, in qua ita profecit, ut in eximium Socium JE-
SU creverit. Poſt lauream Theologicam, editos con-
tia

tra hæreticos illius temporis libros, varia Collegia laudabiliter gubernata, cùm Polonæ Provinciæ præesset, obiit Cracoviæ 1629. die 14. Augusti. *Soutovellus in Bibliotheca Societatis.*

Neq; solos viros, probitate maturos, sed etiam debiliorem sexum, singulari virtute insignem, mors sancta præmisit Szyszkowscio. Barbara Langa, Cracoviæ Parentibûs, civili dignitate eminentibûs genita, septennis, ut consveta sexui suo exercitia addisceret, cuidam matronæ ad instruendum data. Juvenilis ætas facile errori obnoxia, in labore deliquisse puellam fecit: ut elueret culpam, dum ab incauta, & severiori ut magistra puniretur, læsam tibiam cum pæna retulit. Adhibebantur malo varia medicamenta, sed Virgo Parentibus supplex, ut remediis abstinerent, supra ætatem asserebat: eam esse Divinam voluntatem, ut soli Deo per totam vitam, in ea infirmitate famularetur. Pedes dolori, illo non contenta, addebat varias teneri corporis afflictationes, ut dolere & pati libenter citius assvesceret. Annum ætatis 14. prætergressa, à Matre ad pompam illius sæculi ornata in Templum venerat. Et ubi, coram Christi e Cruce pendentis effigie substitisset, lacera illius membra, corpus omni decore spoliatum, caput spinis laniatum advertens, & recogitans, mente confusa, domum rediit, ornatu deposito, vanitati & pompæ valedixit, seq; totam, emissô castitatis votô, Deo reddidit. Vixit post hæc pauperrima, opum sua rum designatis hæredibûs, egenis, templis, & Religiosis familiis. Christi cruciatibus, ejusq; mysteriis addicta, illis condiebat ærumnas, & qualvis calamitates quæ sibi accidebant. Ad annum 54. vitam protraxit. Tandem meritorum plena, 1621. die 16. Septembris obiit, & in Ecclesia S. Barbaræ S. J. sepulta, tota Cracoviensi Urbe, funus Sanctæ Virginis adornante. Christi Crucifixi effigiem, vitæ suæ solatium, in propriis & aliis necessitatibus asylum, ultima voluntate, eidem Eccle-

lesiæ donavit quæ magna devotione hucusq; colitur. *Pruszcz pag: 210.*

LV.

ANDREAS II. LIPSKI

De Familia Grabitarum.

JOannis & Reginæ Siemikowska Filius. Hæresim Lutheranam, quam abutroq; Parente didicerat, ejus erroribûs cognitis, rejecit. Romæ & in celeberrimis Europæ Academiis ingenium expolivit ac in jure Canonico, & civili, adeò excelluit, ut inter Juris utriusque Doctores, sua ætate celeberrimos numerari posset. Ejus ingenii in diversis materiis monumenta sunt, quæ adhuc Cracoviensis & Plocensis Scholasticus edidit. *Observationum publicarum centuria*, cui, posteriori tempore, alteram partem superaddidit. *Decas quæstionum publicarum Regni Poloniæ. Historia de rebus gestis Sigismundi III. Poloniarum Regis.* Hac eruditione, ad maximas in Patria dignitates viam apertam nactus est. Ejus famæ & forti (ut sæpe evenit) invidebant multi, sed malevolorum contemptor Andreas, in muniis obitis, prudenti dexteritate, in Judiciis Tribunalis Regni administrata justitia, clarior eminebat. Apud Tarnovium, Tyliccium, Pro Cancellarios, Sigismundum Regem, obtrectatoribûs frustra agentibûs, meruit favores. Et in quo pretio Virum hunc habuerit Sigismundus? patuit, dum suum Legatum pro Comitiis Ratisbonam designavit. Omnium Principum Imperii, admirationi erat, illius facundia, sermonis pondus, & majestas. Plenus gloriæ rediit, & in laboris præmium, Luceoriensem Sedem accepit, ad cujus Cathedram Suffraganeum instituit.

Cum Ladislao Principe Regio à Republica designatus, ivit in Moschoviam. Sed res hujus Principis, post electionem Federovicii in Magnum Ducem, erant affli-

afflictæ, animiq; Moschorum à Ladislao jam alieni, ferrô flectendi erant *vide L. II.* Post aliquot prælia, & urbes expugnatas, Ladislaus in Poloniam redire debuit; rediit & Lipski, ut itineris, sic incommodorum comes. Brevi ProCancellarius, & Cancellarius factus. In ea dignitate, quantum meruerit! Zoravius metrô descripsit.

Antistes, Lipsci, ac ut Cancellarius esses,
Hoc Tibi doctrina, & nobile stemma dedit.
Antistes dignè, ac ut Cancellarius esses.
Munera doctrinæ hoc, sola dedere Tibi.

Anno 1623. post fata Wołuccii, Vladislaviensis Antistes, hujus, & Luceoriensis Episcopatus proventus, permittente Roma percepit. Post obitum Henrici Firlei, offerebatur eidem Primatialis dignitas, sed illam cessit Joanni Węzyk Episcopatum: tamen Cracoviensem 1631. suscepit, in quo eodem anno vivere desiit. Præsensit mortem vicinam, nam dum Regis Palatio egrederetur, ad suos conversus, *Jam* inquit *tetigi portum, spes & fortuna valete.*

Cracoviam ubi adiit, totum se impendit ordinandæ urbi; nocturnas insolentias prohibuit, personasq; suspectas excesse jussit. Meditabatur plurima in bonum suæ Ecclesiæ, sed optimas intentiones mors impedivit. Multas opes collegerat, quas in dotes, & ornamenta Ecclesiarum expendit. Vladislaviæ Cathedralem Ecclesiam, historia vitæ Deiparæ Virginis, eleganti penicillô adornavit, calice & patena aureis, pretiosoq; apparatu, & statuâ S. Andreæ argenteâ, ditavit, pro ara majori 5000 fl. reliquit. Ibidem PP. Ord: Min: de strictiori Observantia, Ecclesiam sub titulo Sanctorum Omnium, ac Choczi eorundem Patrum sub titulo S. Michaëlis Archangeli fundavit. Itidem Choczi Ecclesiam augusta & eleganti arte erexit, titulô Collegiatæ decoravit, sex Canonicos, totidemq; Prælatos instituit: sanxit, ut ad obtinendam loci hujus Præposituram sem-

semper propior esset Lipski, de gente Grabitarum. Hanc ejus mentem & dotem (in quam ultra 300000 fl. expendit) Urbanus VIII. approbavit. Ad eandem Ecclesiam contubernium erexit, in quo duodecem è Nobilitate juvenes, in litteris, musica, arithmetica excolerentur, statuit. Duo Templa Parochialia, unum, Sławsci, alterum Zvirnæ extruxit. Ad Cracoviensem Cathedram erexit sacellum S. Mathiæ, in quo sepeliri voluit. Olboriæ ligneis ædificiis dejectis, arcem e solido muro, Smarzeviciis Palatium commodo Episcoporum Vladislaviensium fieri curavit.

Vicinus morti, animæ, & domui suæ disponens, Mitram Episcopalem, 30000 fl. apparatum Pontificium, pedum Pastorale, ultra 12000 fl. valoris, calicem aureum, ampullas & pelvim de auro, sponsæ suæ, Ecclesiæ Cracoviensi dedit, cum ea obligatione, ut Præsul in eo ornatu celebraturus, unam salutationem Angelicam absolveret. Pro die obitûs sui anniversaria, eidem Cathedræ 10000 fl. totidem in redimendos captivos designavit. In erectionem Templi Cracoviæ 6000 fl. Xenodochio 3000. disposuit. Nec Regem Sigismundum, ejusq; familiam prætermisit. Ultra 300000 fl. eidem obtulit. Fratri suo germano 17000, alteri 7000, disposuit. Nondum erat exhaustum ærarium, id fideles ministri, cum eidem detulissent, respondit: se jam æterna cogitantem desinerent, opes vero, quæ superessent, in pia opera expenderent. *Niesiecki Tom. II.*

Naturæ erat fervidioris, & ad iram proclivis; hunc tamen animi fervorem optime moderari noverat. Præsente Sigismundo Rege, die Nativitati Christi Sacra, Matutinum dum celebraret, accidit, ut loco *Domine labia mea aperies* cecinerit: *Converte nos Deus*, (inchoatur sic Completorium) Chorus, quid responderet, hæsit; ea musicorum mora, movit iram Præsulis, sed, cum Cielecki, Referendarius Regni tacite eidem respon-

Vit: Præs: Tom: I.

ſpondiſſet, *Et averte iram tuam à nobis* errorem advertit, & emendavit. Hunc iræ impetum, ut cohiberet, ſæpe ad remotius abibat conclave, ibiq; tamdiu corpus cædebat, donec motus hos componeret. Vitæ erat intaminatæ, Officium Divinum, flexis genibûs abſolvere, ſacrificium miſſæ, fere quotidie celebrare conſueverat. Adhuc Vladislavienſis Præſul, tædiô & amore vitæ ſolitariæ, Epiſcopatum dimittere ſtatuit, plurimiſq; egit Romæ præſens, ut id ſibi permitteretur, & ad cænobium Suleiovienſe ab omnibus curis alienus degeret. Menſe integro hoc negotium tractatum, ſed bonum Eccleſiæ publicum, ejus deſideria ſuperavit, & ne id faceret, imperiô ſummi Pontificis adſtrictus eſt. Diæceſim ut cultam haberet, omne ſtudium adhibuit, in graſſantem hæreſim, & ejus errores, opere & calamo ſeverior. Carpitur quidem à Braunio, ſed carpi ab hæreticis, laudis eſt, non opprobrii. Acrior hic Authorũ judex, quib9 pro rerũ notitia gratus eſſe debuit, cum ipſe meliora non poſſet, cenſuram, ut iniquus, ſcripſit.

Societatem JESU, ut fovebat, ſic eam defendit ſtrenue. Illam Romæ, in Comitiis Regni, in Synodo Petricovienſi vindicavit à calumnis; Breſtæ, Luceoriæ, & aliis in locis, nutrivit beneficiis. In Synodo Petricovienſi 1628, author fuit præcipuus, ut nomine omnium Præſulum, totiuſq; Poloniæ, Supremæ Sedi ſupplicaretur, pro B. Stanislao Koſtka Sanctorum faſtis adſcribendo. Obiit meritorum plenus 1631.

LVI.

JOANNES XII. ALBERTUS PRINCEPS REGIUS.

Sigiſmundi III. & Conſtantiæ Auſtriacæ Filius, Ladislai IV, Joannis Caſimiri, Regum Poloniæ Frater. Annorum adhuc 13. poſt obitum Rudniccii ad Varmienſem Cathedram promotus, intermiſſa etiam Canonici proviſione, quæ, ne à Capitulo urgeretur, Gregorii XV. mandatum intervenit, tantiq; Regis Filium, ab hac lege abſolvit. Electio nihilominus manſit, Regiæq; commendationi, ſuffragia Capitulum detulit. Adminiſtratio Epiſcopatus, (cum per ætatem muneri huic adhuc eſſet impar Joannes) ſummo Pontifice probante, Michaëli Działyński, Hipponenſi Epiſcopo, Suffraganeo Varmienſi demandata eſt. Vix Joannes Albertus per ſuum Adminiſtratorem Epiſcopatûs poſſeſſionem adiit, atrox belli tempeſtas eundem invaſit.

Guſtavus Adolphus, Caroli Sudermaniæ Principis Filius, qui Sigiſmundum Regno Sveciæ excluſerat, illudq; ad ſe, ſuamq; ſtirpem traxerat, vanô titulô, Sigiſmundo relictô, Parenti vita functo ſucceſſerat. Cum Sigiſmundi arcana conſilia de Regno Sveciæ vindicando vulgata eſſent, bello Sigiſmundum prævenire, quàm præveniri maluit. Ac primum, temporis opportunitate uſus, quo de ſumma rerum, Poloni cum Oſmanno Turcarum Imperatore decertabant; Livoniam juris Polonici, Provinciam Stephani Regis fortitudine à Moſchis vindicatam, nullâ præmiſsâ de bello inferendo notitiâ, armatus occupavit. Hac illata injuria non contentus, in Pruſſiam arma vertit, ac Brunsbergam, primariam Epiſcopatus Varmienſis Civitatem, aggreſſus, omni munitione vacuam, Magiſtratu, & civibus inſperatô hoſte conſternatis, ad deditionem coëgit. Fravenburgum, ubi Eccleſia Cathedralis Varmienſis, uno lapide à Brunsberga diſtat, vehementer exterruit. In tantis anguſtiis, nullum aderat auxilium, nullum conſilium. Ad deportandam Eccleſiæ ſupellectilem, metu hoſtium confuſi ſubditi, recuſabant officium. Modicum quid ex illa Allenſteinium ægrè avectum. Canonici exanimati, ad tutiora receſſerant: nonnulli in Poloniam abierunt, alii in Epiſcopatu circa finis illius morabantur.

Henricus Hindenbergius Varmienſis Primicerius man-

mansit circa templi custodiam cum 200 peditibus, ad militaria obsequia juxta morem Provinciæ obligatis. Sed robur hoc nullum erat ad reprimendum Svecum. Gustavum Brunsbergæ hærentem excurrit, deditionem castri, (ubi Ecclesia extat) spontaneam offerens, modò templum a vi militum edictô Regis conservari posset. Hanc immunitatem Gustavus spopondit, promisitq; At ubi venit ad portam castri, Hindenbergius frustra fidem datam implorabat: portâ clausâ Regem intromittere, nisi de promissa caveret securitate, recusans. Sed irruentes Sveci, rejectô Henricô, Basilicam Cathedralem occupârunt, & quidquid Sacræ supellectilis remanserat, abstulerunt. Nec mortuis permissum. Simonis Rudnicki Episcopi expilârunt tumulum. Sacrum Eucharisticum panem super pavimentum templi dispersum Gustavus spectavit, vocatôq; Henricô, irrisit, & illusit. Supellex omnis Ecclesiastica, organorum elegantior structura, tabulæ altarium, ipsæq; aræ & æra campana ad naves Sveticas deportata, sed ne Orbis, qui rapinam exhorruit, spolium cerneret, cum navibus absorpta. Ipse insuper Hindenbergius in captivitatem raptus, ex ea non levi redemptus pretiô, ærumnis confectus, non diu supervixit. Fravenburgum ab hoste incensum, in favillas & cineres abiit. Civitates aliæ, brevi eandem sortem expertæ. Paræciæ, villæ insolitis pressæ oneribûs, ingentem pecuniæ summam componere coactæ sunt. Serpebat in dies magis hæc hostilis rabies, donec Martinus Kazanowski Castellanus Haliciensis, cum Polonis cohortibus, a Stanislao Koniecpolski Duce exercituum (qui Dersaviam obsidebat) in Varmiam missus, hostem in nonnullis locis domuit, ejusq; ferociam aliquantum cohibuit.

Tam atrox hostium impetus Prussiam Episcopalem ab anno 1626. ad annum 1629. tenuit; quo tandem induciæ ad pagum Altermak, Christiburgensis Præfecturæ ad annum 1635. inter Polonos & Svecos conclusæ, tot adversis afflictæ & laceræ Prussiæ aliquid respirii concesserunt. Eo tamen tempore, licet tam iniquô, anno videlicet 1627. Gudstadii in Ecclesia Collegiata, Synodum Diæcesanam congregavit Michaël Działyński pro Joanne Alberto, quæ ab eodem approbata, extat impressa. A Stanislao Hosio Cardinale, Societas JESU Brunsbergam introducta, stante hac Svetica irruptione; fortunæ cessit, aliudq; domicilium in hac Provincia quærere coacta est: Et liberalitate domus Regiæ, Resselium introducta, templum & cænobium ab Eremitis S. Augustini, olim ad Provinciam Saxoniæ spectans, tum desertum, accedente consensu Joannis Alberti nacta est.

Pace Provinciæ redditâ, eandem Michaël Działyński gubernabat. Joannes enim satis habuit, e longinquo, integritati & ornamento sponsæ suæ providere. Transmisit albi & rubri coloris apparatum Sacrum, Regiæ liberalitatis munus, aliaq; plura, quæ hucusq; gratam tanti Principis referunt memoriam. Dedit eidem Ecclesiæ statuam S. Andreæ Apostoli ex auro solido, librarum aliquot decades continentem. Sed hæc, cum alia supellectili argentea, summo Pontifice permittente, in prosequendum cum Svecis bellum, publicæ necessitati cessit, regnante Joanne Casimiro, Ecclesiam Varmiensem Venceslao Leszczyński gubernante.

Demum post decessum è vita Andreæ Lipski, eidem in Cracoviensi Cathedra Joannes successit, & cum Principe Purpura, Romanam 1633. induit S.R.E. Cardinalis. Romam dum pergeret, Patavii anno Christi 1634. die 24. Decemb: omniũ dolore obiit. Corpus ab Andrea Szołdrski, Episcopo Posnaniensi, in Poloniam delatum, Cracoviæ sepultum est.

Vitâ functus est illius temporibûs Bonifacius. Instituti S. Joannis à Deo Religiosus, Olomuciô oriundus

dus. Hic cum more artificum, majoris exercitii causâ, ex una ad aliam Civitatem pergeret, obviam habuit egenam fæminam, cum prole parvula, ſtipem, ſaltem pro infante poſtulantem, aurem precibus, manum egeſtati porrexit, peculium omne (ſex groſſos habuit) maxima dare paratus, pauperi elargitus eſt. Nocte ſequenti, eadem mulier in ſomnis Bonifacio apparuit, & ſertum viride capiti impoſuit, dicens: *hoc ſignum accipe caſtitatis tuæ, & vitæ in Religione ſanctè obeundæ.* Somnum excuſſit Bonifacius, & in vertice ſertum reperit. Brevi inſtitutum S. Joannis de Deo amplexus, in Polonia prope Cracoviam, vitæ Sanctitate, devotione ad Deiparam Virginem, Reginæ cæli ſingulares meruit favores. Die Pentecoſtes 1631. apparuit illa dormienti, eumq; nomine proprio, dum ſurgendum erat, de ſomno excitavit. 1632. Dominica in Albis, cùm non haberet Sacerdotis Germani copiam, coram quo noxas animæ deponeret, à ſacro convivio abſtinuit. Flevit uberrime, & de hoc ſpirituali infortunio, coram Imagine Beatiſſimæ querulabatur devote & familiariter. Querelas & teneram devotionem protraxit in profundam noctem. Famuli ſui ſanctam ſolicitudinem ſolatura cælorum Regina, eundem Angelico refecit pane. Continuavit gratias, dum poſt brevem patientiam, & acerbæ infirmitatis tolerantiam, amplam mercedem morienti viſibilis appromiſit. Eam 1632. conſecutus eſt. *Pruſzcz. pag: 223.*

Etjam deſideria Martyrii, quantum Deus remuneratur, exemplum habes in Stanislao Caſimiro Urowiecki S. J. virtutis conſummatæ Theologo 1633. die 8. Martii Cracoviæ ad S. Petrum defuncto Hic nomen Societati, nec non operam Philoſophiæ Viennæ in Auſtria, ſe verò totum ſaluti animarum (iturus erat in Japoniam cum V. P. Męcinſki) quærendæ obtulit, vitam quoq; pro Chriſto daturus, ni eam ſibi eriperent immatura fata. Digna cælô vota in terris coronârunt

runt Superi, deſideriô Martyrem purpureâ adornârunt togâ, in qua ſæpius à pia matrona, ad Euchariſticam menſam, a Societatis verò Religioſis, in mortali viſus eſt urna. *Hiſt: Coll: Crac: S. J.*

LVII.

JACOBUS ZADZIK

De Stemmate Argo.

JOannis, & Hedvigis Borſowna Filius. Quanto Patriæ & Eccleſiæ decori futurus eſſet? Matris ſomnium, fuit præſagitio. Proxima partui, viſa eſt illa ſibi ſolem peperiſſe. (a) Habent id quandoq; ſomnia Parentum uterum ferentium, quod futuræ prolis ſuæ inſignem portendant ſtatum. Sic, ut Olympiadem Alexandri Matrem prætermittam, Divi Dominici genitrix, canem, facem accenſam, præferentem, & orbem inflammantem, alvo geſtare; Sancti Andreæ Corſini ex Ordine Carmeli Epiſcopi Feſſulani Parens, per quietem vidit, lupum ſe genuiſſe, ſed ante ædes Sacras Carmelitarum in agnum mutatum. *Breviarium Romanum.*

Parentum expectationi optima indole reſpondit Jacobus, ætatem variis ſcientiis in Polonia excultam ut perfectius expoliviſſet, ivit ad exteros: & litteris, notitiâ Regnorum eorum ſtatûs abunde eruditus, utriuſq; Juris Doctor rediit in Patriam. A Sigiſmundo III. ad Regiam evocatus, ejus favores meruit. Ex Regni Secretario, Præpoſito Cracovienſi, Decano Poſnanienſi, Cuſtode Varſavienſi, Culmenſis Antiſtes, à Ladislao IV, 1633. Regni Cancellarius, & poſt fata Joannis Alberti Cardinalis Cracovienſis Præſul factus, ubivis locorum, in Deum, Religioſos, & egenos liberalis, Eccleſiam S. Michaëlis in arce Cracovienſi reſtauravit. Pro erigendo ſacello B. Joannis Cantii 30000 fl. expendit, ejuſq; oſſa Anno 1637. die 4. Julii levavit. Capel-

(a) *Buydecki in vita Lubienſcii C. XXV.*

pellam S. Joannis Baptistæ nigro adornavit marmore, in quo sepeliri voluit. Cracoviæ in Ecclesia Cathedrali, Sacerdoti, qui assiduus esset commodo pænitentium, annuum censum assignavit. Romam ad augendam dotem nosocomii ad ædes Divi Stanislai E. M. 2000. aureorum transmisit. Druzbini in Palatinatu Siradiensi (illius erat hæreditas) Ecclesiam de cocto latere erexit, & impensas pro Sacerdotibus ex ipsis bonis constituit. Canonicum ex titulo Doctoratûs Culmensi Capitulo superaddidit. Hebdomade quavis transmittebat justam eleemosynam ad cænobia mendicantium, quotidie vero, per suum famulum, ut ejus beneficentia occulta esset, egenis distribuebat subsidium. Xenodochiis Radłoviæ, Bozecini, Kielciis proventus auxit. Tempore famis, egenos & subditos omni solicitudine fovit, pavit, verus illorum Pater. Contubernium, Hierusalem dictum, adhuc à Sbigneo Cardinale conditum, à Joanne Długosio auctum, vetustate temporis ruinæ proximum, restauravit, & pro 10. alumnis impensas superaddidit. Juvenes nobiles, persæpe & plebejos, quos institutionis capaces advertit, ad excolendam scientiis indolem, ad exteros transmittebat, suisq; fovit beneficiis. Moriens omnia debita subditis dimisit, collectas opes in cænobia, Ecclesias dispôsuit: ex eo apud Potoccium laudem promeritus: *Affectibus major humanis, exuta omnium necessitudinum innata charitate, rem sacram & litterariam, ingentium, sed laudabiliter quæsitarum opum hæredes testamentô scripsit.*

Quanti verò, pro fide Catholica Zeli fuerit! collige: Culmensis Episcopus, contra dissidentes, solennem coram Actis Regni fecit querelam, illorum temeritatem incusans. Cracoviensis verò Præsul, Scholas Arrianas Racoviæ solô æquavit, & ut loci, Filio Dei injuriosi memoria oblitteraretur, in eodem Ecclesiam Catholicam erexit. Ministros errorum, ut ad veram Religionem alliceret, eoq; ipso, amoris pastoribus infideli-

lium gregem diminueret, in eorum honestum subsistendi modum 100000 fl. numeravit. Hujus beneficii Jacobi, meminit Synodus Provincialis Varsaviæ 1643 celebrata, quæ hanc illius liberalitem plurimi æstimans, eundem appellat Virum Divini honoris propagandi studiosissimum. Sectatores Calvini, ut Vilnâ pellerentur, evicit decretum Regium. Torunii quoq; plurima fecit ad incrementum Religionis Catholicæ. Ex re Oeconomica, optime gesta, multas collegit opes, eas in bonum publicum Patriæ & Diæcesis distribuit. Militi Polono exsolvenda erant stipendia, ad illa numeranda ærarium Reipublicæ, bellis erat exhaustum, publicam Regni inopiam supplevit Jacobus. Hanc ejus munificentiam, annotavit Respublica in Comitiis 1631. Acta Terrestria *vide p. 8.* Siradiensia & Szadkoviensia, ne vetustate, & injuriâ temporum corrumperentur, permittente lege Regni 1633. anni, sumptu numerato curavit describenda. Mortis memor, ne suffragia animæ suæ, eorumq; dispositionem aliis relinqueret, vivens designavit; & in variis Ecclesiis fieri curavit: præcipue in iis, quas ut Præsul moderabatur, vel earum erat Canonicus: ut Culmseæ, Cracoviæ, Sandomiriæ, Kielciis, Luceoriæ, Varsaviæ, Lanciciæ, Plociæ, Vladislaviæ Posnaniæ, Gnesnæ, Druzbini.

Plenus meritorum Anno 1642 vivere desiit, Cracoviæ sepultus. Nullis adversis in vita frangi videbatur, Injurias sibi illatas, licet vindicare potuisset, rarô exemplô, æquô tulit animô, inimicorum suorum etiam defensor & patronus. Justitiæ vindex strenuus, à qua administranda, nec debilitate, nec publicis negotiis impedir potuit. Patriæ semper, & ubiq; amans, quam annis 36. in aula Regia transactis, consiliô dexteritate juvit. Comitiis congressibus publicis semper adfuit; in illis ut Minister, Præsul, Senator bono Reipublicæ providebat. Adhuc Cancellarius, *à Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi in Parænesi ad Thomam Zamoyscium* laudari

dari meruit: *Jacobus Zadzik, Episcopus Culmensis, nuper supremus Regni Cancellarius, renunciatus, Vir clarissimus, eam, omnium consensu, existimationem sibi peperit; ut nemo, illo, conciliandarum amicitiarum peritior esse censeatur, quibus, quam multos in toto hoc Regno complectantur, & vicissim, quantopere ipse ambiatur, nemo non videt.*

Illo Cracoviensi Præsule, 1638. obiit Cracoviæ. Fabianus Birkowski, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, Regum Concionator, operibûs in lucem editis clarus, extremum decumbens, Hymnum *Ave Maris stella* intonuit, illum & vitam finivit septuagenarius. Funus tanti Viri adornavit Cracovia, à sacris verò exedris laudes dixit P. Adamus Makowski Societatis JESU.

LXVIII.

PETRUS VII. GEMBICKI

Fasciâ insignitus.

JOannis Pocillatoris Posnaniensis, & Catharinæ Ciecka Filius, Laurentii Archiepiscopi Gnesnensis nepos. Hunc, cum cæteris quinque Filiis adhuc teneræ ætatis, Stephano Regi, ad comprimendos Gedanensium motus eunti dum insinuaret Pater, pro sua prole supplex, Rex optimam juvenû advertens indolem: *Nobili è vite, inquit, gloriosû vinum sperandum.* Vox Regia, fuit prædictio. Præter unum, qui immaturô fatô obiit, reliqui Senatorias curules occuparunt.

Petrus juventutem in Scholis Societatis JESU expolitam, ut cultiorem redderet, ivit in Italiam, ubi in variis Academiis adolevit in Virum eruditum. Redux Cracoviensis Decanus, Custos Gnesnensis, & Abbas S. Crucis ad montem calvum, inauguratus, brevi à Laurentio Patruo suo, Romam, ad Paulum V. expeditus est, ut summum Pontificem informaret de statu Vladislaviensis Episcopatûs. Paternô corde suscepit Paulus Petrum; Et cum Laurentius, post fata Baranovii, ad Primatialem dignitatem nominatus esset, per eundem Archiepiscopale pallium, novo Archi Præsuli transmisit, quod ille sub tempus Comitiorum, solitis cerimoniis Varsaviæ reddidit, ab eodem Patruo Primatialis Cancellarius institutus, à Sigismundo, verò Rege Cancellariæ Regni Regens. In utroq; officio, parem se cuivis dignitati probavit, præcipue cùm ad Smolenscum, ad latus esset Sigismundo III, postea in Prussia, in absentia Sigilli Regni Præfectorum, ejus prudentia, & virtus enituit, ubi maxima Poloniæ negotia, rara facilitate, ad vota Patriæ, & Principis feliciter composuit.

Ladislao adhuc Principi, perspecta erat optime Petri indoles, eum ut magis utilem Patriæ haberet, ubi solium Polonum ab obitu Sigismundi Patris ascendisset, Regni Secretarium fecit, & Legatum ad Ferdinandum Cæsarem expedivit. Principum in Europa dissidentium per suos Nuncios congressus fuerat, nonnulli, præsertim ex Imperio, ipsi aderant præsentes, Ducatuum suorum negotia promoturi. In eo conventu, apparuit Petri in agendo dexteritas; egit multa cum Cæsaris Oratoribus, ut Tractatus coalesceret; sed eo res jam processerant, ut conscribi pacti non potuerint. Id saltem lucrum laboris nactus est Petrus, quod nominis sui, ac gentis Polonæ memoriam, apud aulam Viennensem & Principes reliquerit, gloriam in Patriam tulerit. Reduci Vienna ProCancellarii, brevi, munus Supremi in Regno Cancellarii, & vacantem Premisliensem Sedem Ladislaus contulit.

Præsul consecratus, Synodum convocavit, in qua totam diæcesim legibûs ad omnem modestiam circumscripsit, & typo impressit, eidem primus Suffraganeum, & laboris Socium instituit. Ab eodem Rege post obitum Zadzicii, ad Cracoviensem Cathedram evectus summo in Patriam amore eminuit. Sub tempus belli Cosatici Duce Chmielniccio (ac si non satis haberet malo-

malorum Polonia, undiq; pressa) quidam Napierski, sub nomine ficto Kostka, ut rebus suis à Familiæ magnitudine pondus adderet, in limitibus Hungariæ plurimam plebem collegerat, in turbato Regno, si non lucraturus aliquid, saltem impune grassaturus: Jamq; arcem Czorstynensem occupaverat, Hoc successu ferox imminebat Cracoviæ. Petrus urbi & Patriæ metuens, lectam peditum, & equitum cohortem, quam proprio ære fovebat in subsidium Poloniæ, ad coercendam insolentiam expedivit. Felici eventu res successit; plurimi e plebe cæsi, alii dispersi, alii cum ipso Napierski, licentiæ antesignano capti, meritas pænas eluerunt. Pro hoc in Patriam obsequio, nomine statuum, in Comitiis Regni Fredro publicas egit gratias Gembiccio. (b) In suppressionem quoq; Chmielniccii & plebis rusticæ, armavit militem. Semel ducentos pedites, & cataphractorum agmen ad castra expedivit: Vice altera, quadringentos, toto biennio propriis impensis aluit. Alia vice 800. pedites, & 200. equites, duas loricatorum, & duas levioris armaturæ cohortes in subsidium afflictæ Patriæ submisit.

Ut in Poloniam beneficus, sic in Diœcesim providus, & liberalis, eam compositam curavit, per leges Synodi sancitas. Cracoviæ Palatium Episcopale, elegantiore forma, penicillô elaboratô, marmoribûs, augustius fecit & comptius. Cathedrali Ecclesiæ laminam æream providit, altare majus deauravit, Sanctorum exuviis argenteis thecis inclusis ac statuis adornavit, & ditavit. Crucem Episcopalem 40000 fl. valoris eidem obtulit. In reparationem Ecclesiarum à Svecis vastatarum, justam pecuniæ summam exposuit. Sacellum B. V. M. MARIÆ miraculis claræ, ad ædes Patrum Carmelitarum antiquæ observantiæ restauravit & dotavit. Laurentio Patruo suo, Gnesnæ, sibi Cracoviæ, ubi quiescit, honorem sepulchri posuit. Præsul in Patriam

(b) *Niesiecki Tom: II.*

beneficus, in Deum & Ecclesias liberalis, in egenos profusus, anno ætatis suæ 72, à partu Virginis 1657 Raciboriæ, juxta alios Brunæ mortalitatem exuit. Ultima voluntate in pia opera 200000. disposuit, ex quibus, dotes Virginibus, studiosis pauperibus honesta educatio, ægris Presbyteris subsidium, mortuis congrua sepultura provideretur.

Eodem mortis, hujus Præsulis annô 1657. die 25. Julii, obiit Częstochoviæ. P. Vilhelmus Rose S. J. Ludovicæ Poloniarum Reginæ Confessarius ut svavis erga alios, sic in se severior; lectus illi, nudi asseres, cervical, liber unus & alter, humile scamnum, Sedes & mensa toto anno, diebûs Dominicis exceptis, continuum erat jejunium. Cum catenam ferream, supremum æger in lateribus, morbô & Superiorum imperiô prohibitus, gestare non posset, ferebat illam in collo, tanquam captivum (ut ajebat) mancipium. In ægritudine apparuit illi D. Nicolaus Episcopus, & ut opem suam imploraret, imperavit. Vice alia, idem Sanctus Vilhelmo varias schedas exhibuit, his vocibûs inscriptas: *Polonia vastabitur, at orandum* in ultima legebatur: *Polonia restituetur in integrum, at orandum.* Divinum fuisse oraculum, eventus docuit. *Fasti S. J.*

LIX.

ANDREAS III. TRZEBICKI

Cygno pro Stemmate insignis.

MArtini Castellani Vielunensis Filius, excultam à teneris ætatem Calissii in Scholis Karnkovianis, severioribus scientiis applicuit Cracoviæ in Collegio PP. S. J. ibiq; Philosophicas theses, in præsentia Nuncii Apostolici, Honorati Vice Comitis, cum summa ingenii laude defendit. Et ne soli Poloniæ notus esset, Romam perrexit, ubi in Collegio Romano, sub Joanne de Lugo S. J. postea S. R. E. Cardinale, Theologiæ

logiæ operam dedit. Præter Scientias, Purpuratorum Patrum curavit gratias, & meruit, præcipue Francisci Barberini, & Gvidonis Bentivoli, qui etiam absenti Andreæ loquebantur plenô amoris stylô. Redux in Patriam, virtutem Viri Mathia Łubienski promovente, Scholasticus, tum Præpositus Plocensis, Primicerius Gnesnensis, Cracoviensis Canonicus, Regens Cancellariæ Regni, brevi Regni Pro Cancellarius, Premisliensis Episcopus, & Abbas Czervinensis fieri meruit.

A Joanne Casimiro, & tota Republica, ad Principes Imperii Ratisbonam Legatus, perfecit omnia, quæ Rex & Patria ab optimo Cive sperare potuit. Offerebatur eidem Episcopatus Vladislaviensis, egit gratias pro favore Regi, sua Premisliensi contentus Sede. Cum Svecis Varsaviæ obsidione cinctis, feliciter composuit, persvasitq; Vittembergo copiarum Præfecto, urbis & Arcis deditionem. Factum hoc Andreæ, majores Casimiri gratias meruit, quare licet invitum, ad Cracoviensem promovit Cathedram.

Hanc ubi adiit, totum se impendit fidei & Patriæ commodo. apud congregatos Poloniæ Ordines, legê evicit, qua Arriana pestis tandem Regnô exesset. Post cladem Pharsalicam ad Mątwy inter Regem Casimirum Victorem, & Lubomirscium Regni Mareschalcum, victum, Regis offensum animum flexit, ut hic injuriam suam Lubomirscio condonaverit. Joannes Casimirus abdicatô Regno 1668. in Gallias abierat, ubi in cænobio S. Germani ultimum diem obiit. Hujus Regis beneficiorum, & amoris memor Andreas, sacellum magnifico opere exstruxit & adornavit, in quo exuvias Casimiri, ex Gallia impensis propriis devectas, deposuit.

Electioni post fata Regis Michaelis præfuit, effecitq; quod optatum finem nacta sit; Joannem Sobieski, exercituum Ducem supremum Regni Mareschalcum, insignem de Turcis ad Chotimum victoriâ gloriosum, in Regem Poloniæ electum nominavit. Ut consilio, prudentiâ in rebus agendis juvit Patriam, sic nec opibûs pepercit in ejus subsidium. Sub tempus belli Svetici aliquot loricatorum, & peditum cohortes proprio conscripsit ære: grata Civi suo Polonia lege 1676. summam 50000 fl. (cum longe majorem Reipublicæ cessisset) restituendam sanxit. *Volum: Legum V.*

Nec suæ Diæcesi, & Ecclesiæ defuit. Cathedrale Cracoviense Templum, turri, & horologio affabre elaborato, comptius eminere fecit. Ad conservandas S. Stanislai E.M. exuvias, urnam argenteam, ut magnitudinis, sic artis non postremæ comparavit. Seminaria Clericorum justis juvit eleemosynis, in Sandomiriense 12000 fl. totidem in Lublinense numeratis. Missiones, submontanas, quoad vixit, propriis fovit impensis. Claromontanæ Cząstochoviensi Deiparæ, aureum calicem, & alia plura ad Ecclesiæ ornamentum dono misit. Nosocomium, in quo alerentur mente capti, Cracoviæ erexit. Ibidem cum pestifera sæviret lues, universis se Patrem probavit. Xenodochia & cænobia, ejus penu & ærario subsistebant. Extra portam in suburbio propter egentes locum providit, in quo domum amplam, Lazareth, dictam, erexit, & ad vitam necessaria ne deessent, præcipue ne in spirituali subsidio deficerent, curavit Præsul providus. Sæpius visitabat Diæcesim, Templa plurima consecravit, ex quibus multa ruinæ proxima, liberali manu sublevavit, septem verò à fundamentis erexit.

Societatem JESU præ cæteris amavit, Collegium illius SS. Petri & Pauli Cracoviæ, majori ex parte à fundamentis evexit. Et ne mortuus ab illa separaretur, in Templo ejusdem Collegii Corporis exuvias deponi elegit. Adhuc superstes, ibidem sepulchrum sibi curavit, quod, cum sæpiùs inviseret, genibûs flexis illud deosculans ingeminabat: *Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam.*

Vitam Stanislai Łubienscii Episcopi Plocensis e-

legan

leganti concinnavit stylo. Edidit & alia plura. Ejus zelum & vitæ probitatem, Alexander VII, Urbanus VIII. in datis ad eundem litteris sæpius laudarunt. Sic de Patria & Ecclesia meritus, ipso die Nativitatis Christi 1679. post finita tria sacrificia, febri correptus, die SS. Innocentum, anno ætatis 72, Sacramentis omnibûs munitus, innocentem animam Deo Conditori reddidit. In Sepulchro Templi SS. Petri & Pauli Apostolorum Societatis JESU magno totius Diæcesis & Patriæ dolore conditus, Collegio huic ultima voluntate Bibliothecam, in suffragium verò animæ suæ variis Ecclesiis, cænobiis ultra 300000 fl. disposuit.

Illo Diæcesim Cracoviensem moderante, Annô videlicet 1669. die 26. Martii obiit Cracoviæ, Nicolaus Cichovius S. J. Hic ex humilitate ultimum hujus Instituti gradum, ut scilicet, à solis obsequiis esset, impetravit, cæterum à Superioribus, scientiis severioribus applicatus, in eum virum evasit, ut eruditione sua, Theologicas, zelo Exedras Concionatorias adornaverit, Hæreticorum, præcipue Arrianorum hostis, author fuit multis Præsulibus, & potissimum Trzebiccio, ut Reipublica proscriptionis, & exilii leges in eosdem Filii Dei inimicos, sanxerit. *Soutovellus in Bibliotheca Societ.* Nicolaum aliquot annis præcessit Laurentius Chodórowicz S. J. Coadjutor temporalis: orationis studio, patientiâ, & charitate excelluit; nemo illum iratum, nemo aliquid laboris detrectantem advertit. Invertit aliquando lebetem fervente aqua plenum, eâq; dextram tibiam, & pedem misere ambussit. Sustinuit omnem dolorem toto triduo, nec vulnus aspexit; sed, cùm videret rem amplius celari non posse, casum aperuit Superiori. Horrori, ac stupori fuit ipsis medicis hominis patientia, quando tibialia cum cute & carne detrahenda erant. Hanc virtutem ut perfectiorem in se faceret, omnibus incommodis & obsequio pestiferorum se immolavit. Omnes peste defuncti, quibus inservi-

inservierat, proximo morti apparuerunt, interrogantes: utrum JESUM diligeret, respondit pleno cordis affectu, *Ah amo, amo, & intensè amo* & in his verbis obiit Cracoviæ 1662. ~~die 3.~~ Octobris. Post mortem visus est in magno Electorum Dei numero. *Fasti S. J.*

LX.

JOANNES XIII. MAŁACHOWSKI

Fasciâ pro Stemmate insignis.

EX Familia honoribûs, variis Magistratibûs in Polonia insigni, ac hucusq; dignitatibûs eminente oriundus. Alexandri Theodori, bini Nominis, Vexilliferi Siradiensis, & Mariannæ Jabłonowska Filius, ætatem scientiis excultam, in aula Ferdinandi Cæsaris expolivit, maturiorem Marti consecravit, sub disciplina Stanislai Potocki, Revera dicti, supremi exercituum Ducis. Duxerat in vitæ sociam Pauli Szembek Filiam post cujus obitũ sacris adjecit animũ, à Joanne Tarnovio Archiepiscopo Leopoliensi Ordinibûs initiatus, Czestochoviæ in æde Sanctæ Virginis Claromontanæ, primã Deo litavit hostiam. Brevi Leopoliensis Scholasticus, Posnaniensis, & Varsaviensis Canonicus, in Regia verò Regni Referendarius, & Abbas claræ tumbæ fieri meruit: maximis negotiis à Joanne Casimiro, & aliis Regibus semper adhibitus. In Gallias, in Prussiam, ad Electorem Brandeburgum, ad determinandos fines bonorum Regalium Legatum, in Districtu verò Grodnensi Judicem egit. Ubiq; commissam sibi Provinciam, ut virum probatum & strenuum decuit, ad vota Principis & Reipublicæ absolvit.

Sub tempus belli Svetici, plurimi Procerum Poloniæ, partim felicibûs armis, partim vi hostium adacti, ad Regem Sveciæ desciverant, adeò, ut Rex & Regina, extra limites Regni, securitatem quærere debuerint

rint. Joannes cum nonnullis utriusq; fortunæ Regiæ individuus comes, & fidelis semper exstitit. Ea Viri fidelitas tot probata obsequiis placuit Regi & Reginæ, quæ moriens, sua ultimæ voluntatis mandata & desideria exequi, eidem commisit.

Post abdicatum à Joanne Casimiro Regnum, nomine Michaëlis, postea nomine Joannis III. Regum Poloniæ, à Prussiæ civitatibus juramentum fidelitatis recepit. In vim tantorum meritorum à Joanne III. Regni Pro Cancellarius, & Culmensis Antistes declaratus; Gedani & Torunii, super ausus hæreticorum delegatus, munus hoc memorabili zelô absolvit, & in subsidium conversorum ex Lutherana ac Calviniana hæresi ad fidem Catholicam census stabiles inscripsit. Ordinationem Judiciorum Postcurialium *vide pag: 7.* cum Joanne Wielopolski Regni Cancellario stabilivit, quam Joannes III. 1680, & Respublica in publico Ordinum Conventu 1683. approbavit, & perpetuam esse voluit. *Volum Leg: V.*

Post fata Andreæ Trzebicki, favor Joannis III. eundem ad Cracoviensem Episcopatum promovit. Regimen illius à liberalitate in Deum inchoavit. Virgines Deo dicatas, à Visitatione B. Virginis MARIÆ (Sanctus Franciscus Salesius, regulam & institutum his præscripsit) Cracoviam introduxit, & Clepardiæ in suburbio fundavit. Hanc ejus munificentiam Constitutio 1685. approbavit. Patres S. Vincentii à Paulo Culmæ, & Stradomiæ ad Cracoviam constituit, quibus curam & eruditionem Cleri commendavit. Varsaviæ quoq; eosdem à Ludovica Regina introductos, suô juvit ærario. Pro Ecclesia Divæ Annæ ad Academiam Cracoviensem, die 22. Maji 1689. primum lapidem posuit. Collegio Cracoviensi PP. S. J. 10000 fl. in subsidium numeravit. Capitulo Cracoviensi, in diem anniversariam obitus sui 100000 fl. ultima voluntate dispofuit. Pro subditis in vim tributi hyberni, eorum egestati

stati subveniens 80000 fl. militiæ Polonæ exsolvit.

Munificentiam illius experta est & Patria. Joanni III. Viennam, contra Turcam properanti, cataphractorum agmen, & equitum cohortem ære proprio conscripsit, pro præsidio verò Cracoviæ lectam militum manum providit. Sub tempus interregni post obitum ejusdem Joannis III. 1696. ad defendendam prædictam Metropolim 500. armavit. Ipse Anno 1697. die 21. Augusti post electionem Augusti II. Electoris Saxoniæ in Regem Poloniæ, pro corona meritorum suorum abiit: Cracoviæ in Ecclesia Cathedrali conditus.

A Sacris confessionibus habuit Præsul hic Thomam Młodzianowski S. J. Virum & scientiis, & libris in lucem editis, peregrinationibûs Orientalibûs, visitatione Terræ Sanctæ celebrem, qui Olbromi dies vitæ suæ finivit 1686. die 9. Octobris. Ad ægrum invisendum citissimis passibûs supervenerat Antistes, & quia adhuc superstitem reperit, monitum aliquod spirituale ab illo postulabat. Cui in compendio normam optimæ vitæ Pater proposuit. *Statutum hominibus semel mori, & post hoc judicium.* Corpus defuncti Thomæ Cracoviam deportatum, & in sepulchro Patrum Templi Cracoviensis S. Petri sepultum; per annos 22. præter faciem, integrum jacuit, nunc primum in anno 1708. in cineres solutum est. *Niesiecki Tom III.*

Annô 1697. quo Joannes Præsul obiit, defunctus est & P. Petrus Abrahamowicz S. J. ad S. Mathiam Cracoviæ per Majorem Poloniam, Silesiam, Brandeburgiam laboribûs Apostolicis clarus. Hic vice quadam in Silesia, sole jam cadente, ad aulam hæreticam diverterat, acceptus humaniter à loci dominis. Post moram longiorem in seram noctem, in arcem vicinam, a spectris nocturnis cuivis formidabilem, pro ludibrio quieti suæ destinatam, inscius descendit. Dum solitas adhuc persolvit preces, arcem tremere, & ab ipsis ferme fundamentis concuti, advertit. Exhor-

tuit

ruit ad facti novitatem, sed signô crucis munitus, rei eventum præstolabatur. Et ecce, vir ætate gravis, catenâ per medium cinctus, manus contorquens, uberrimîs lachrymîs perfusus, in pectore, flammis exustus, parvô æthiope prodromô, in suum venit conspectum. Auxit metum insolita visio. Cæterum resumptô animô, quærit Pater: *quis esset & quid vellet?* altùm ingemuit spectrum, & *se esse, respondit horum bonorum olim hæredem, superstitum trium filiorum Patrem, ante annos aliquot defunctum, in æternum damnatum, quòd erroribus hæreticis pertinaciter ad vitæ exitum adhæsisset. Hoc suô infelici statu, filios charissimos docere velle, ut saluti suæ meliùs providerent.* Deplorandæ conditionis, præsertim superstitum misertus Pater, miserum illum in eodem situ si iis monstrandum, in vicino ædibus loco, sese continere, nomine Divino jubet, ipse verò noctem reliquam in oratione consumit. Illuxit dies: domini, quid factum cum Sacerdote Romano, curiosi, sagaciores pro notitia expedivère. Interea & ipse Petrus prodit, & brevi salutatione facta, quærit: Utrum Patrem in vita sua nossent? Non tantum filii, sed famuli, subditorum plurimi, defuncti speciem notam sibi affirmârunt. Omnes itaq; ad arcem deducit Petrus. & Patrem filiis, subditis herum, ut ipse vidit, spectandum præbet. Non tam verbîs, quam lachrymîs, & gemitibûs peroravit defunctus: errores hæreticos, suamq; in illis pertinaciam damnabat, explicabat tormenta, suumq; in æternum, interitum: per amorem olim suum, amorem animarum, & salutis, obsecrabat; ut à via perditionis deflecterent, & hæresim ejurarent. Nullus erat, qui non responderet lachrymis; spoponderunt omnes, præcipue Filii, veram fidem. Proh dolor nullus promissis stetit, & infallibilitatem dictorum Christi probàrunt omnes: *Neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Lucæ 16.* Niesiecki Tomo I. Huic forte fidem negabunt à Religione dissidentes, nec mirum; cæcutiunt

unt illi ad ejusmodi visiones, nec eas merentur, Scriptores, qui hæc ad confirmationem dogmatum Ecclesiæ Catholicæ narrant, falsitatis arguunt; profanis verò, quamvis fabulas afferant, sensum & mentem accommodant.

LXI.

STANISLAUS II. DĄBSKI

De Stemmate Godziemba.

Pinus est in campo rubro cum radicibus evulsâ, tripli-ci vertice eminens.

ADami, Słonensis Castellani, & Elisabethæ Jemielska Filius, ad summa quævis natus. Adhuc Archidiaconus Plocensis per Constitutionem Regni Anni 1667. designatus est Torunium ad recipiendum Templum S. Jacobi ab hæreticis, & Deo dicatis Virginibus S. Benedicti restituendum. A Michaële I. ad Chełmensem promotus Sedem, à Joanne III. post fata Lezenscii, ad Luceoriensem evectus, Cathedralem Ecclesiam, quæ igne à fulmine concepto, in ruinam abierat, pristino decori restituit. Diæcesim hanc diu regere non permissus, majoribûs dignitatibûs Virum ambientibûs. Post ascensum ad Vladislaviensem Cathedram Bonaventuræ Madalinski, Stanislaus ad Plocensem translatus, Plocensem & Pułtoviensem Ecclesiam restauravit. Unius anni Præsul Madalinscio in Vladislaviensi successit. Hunc Episcopatum pridem meruerat, quem laboribûs suîs, post Czartoryscium, Gembiccium, Sarnowscium, Administrator excoluit. Pleno jure Præsul, Diæcesim plurimîs beneficiis insignem fecit.

Patriæ amans Joannis III. ad defendendam Vienam exercitum loricata cohorte auxit. Post ejus fata cum Cardinalis Radzieiowski, Regni Primas, in electione Regis, Principi de Conte cum nonnullis Præsulibus

libus adhæsisset; Stanislaus, cum majore Senatûs & Nobilitatis parte Augustum II. Ducem & Electorem Saxoniæ, in Regem Poloniæ nominavit, & Cracoviæ eidem solenni apparatu Regni insignia detulit. Ab eodem Rege, ad Cracoviensem Ecclesiam promotus, eam ne adiret, mors impedivit. Quæ optimum Antistitem, bono Poloniæ invida, anno 1700. die 15 Decembris e vivis sustulit. Corpus ejus Cracoviam deductum, & ejus voluntate, in Templo SS. Petri & Pauli Apostolorum, Collegii S. J. conditum est. Cui vivens Collegium Torunii, in eam, qua nunc cernitur, formam, redegit, illius Restaurator, & Patronus beneficus. Gedani Templum ejusdem Societatis à hæretica plebe vastatum restauravit, & consecravit. Ipsos Patres, quos Taurica incursio ex Russia abire fecerat, in bonis suis Paterno favore fovit, & aluit.

LXII.

GEORGIUS II. DONHOFF.

Apri capite, pro Stemmate insignis.

EX Illustrissima Familia, in Livonia, & Polonia, emerita, cum primis in Polonia Nominibus sangvine conjuncta, Palatinis & aliis Curulibus evecta, Belli & pacis administra, in Joanne Casimiro, Sancti Joannis ante portam Latinam Cardinale, ad Romanas Purpuras elevata, oriundus: Sigismundi, Bidgostiensis, Sokaliensis Præfecti, & Theresiæ, Filiæ Georgii Ossolinski Regni Cancellarii Filius. Anno 1640. die 7. Aprilis natus. Optimam indolem in Patria, demum Romæ in Collegio S. J. sub Professore Martinez ævi sui insigni Theologo, Theologicis scientiis expolivit, easq; cum magna ingenii laude conclusit. Româ redux, Canonicus Culmensis, Custos Posnaniensis, Abbas Vitoviensis, Præpositus Petricoviensis, in partem laboris, PP. S. J. Anno 1677. Petricoviam primus evocavit, illisq;

illisq; in Parochiali Ecclesia Sacras commisit exedras. Ad judicia Regni Tribunalitia sæpius Judex Deputatus, pro æquo & justo decidebat. Ab Andrea Olszowski Archiepiscopo Gnesnensi, Primatialis Referendarius, spem hujus Præsulis dexteritate in agendo superavit.

A Joanne III. ad Camenecenses Infulas, brevi ad Premislienses promotus, facundiâ, & sermonis elegantiâ, supremus Regni Cancellarius, fieri meruit. Jacobus Cantelmi Archiepiscopus Cæsareæ, Innocentii XI. a latere in Polonia Nuncius, in absentia hujus Cancellarii, suæ legationis munus ad Joannem III. obibat. Georgius ut Oratori Pontificio responderet, advocatus, ea styli elegantia, & sermonis gravitate à Majestate respondit, ut Cantelmi, & universi, aliquot dierum dictionem putaverint. Contra Łyszczynscium (Athei errores homo perversæ conscientiæ secutus erat *vide Lib. II.*) in Comitiis Regni, pari libertate & lingvæ facundiâ, peroravit, evicitq; dignas pænas sceleri. Innocentio Winnicki Premisliensi Ritûs Græci Episcopo, author fuit, ut unionem cum Romana Ecclesia professus fuerit, & suô exemplô plures ad obedientiam traxerit summo Pontifici.

Post obitum Stanislai Dąbski Cracoviensis Antistes, Diæcesis regimen 1701, auspicatus, anno 1702. communî omnibus fatô ereptus est ætatis suæ 62.

LXIII.

CASIMIRUS ŁUBIENSKI

De Stemmate Pomian vide p. 62.

SIgismundi Vexilliferi Siradiensis, & Ceciliæ Opacka Filiæ Palatini Derpatensis, Filius. Romæ altioribus scientiis in Collegio Romano S. J. operam dedit, ubi Doctoris lauream assecutus est. Redux in Patriam, Cracoviensis Canonicus, in Episcopum Hera-

 clien-

cliensem, & Suffraganeum Cracoviensem à Georgio Donhoff consecratus est; Quo demortuo, Cracoviensis Diæcesis Administrator octo annis eandem moderatus est. Sedes hæc offerebatur ab Augusto II. Joanni Bokum, sed Roma ejus confirmationem differebat.

Obiit interea Nicolaus Wyzycki Chełmensis Episcopus, ei ut succederet Casimirus hic, Augusto II, & Romæ dignus visus est. Cathedralem Crasnostaviæ Ecclesiam, à vario hoste reperit spoliatam, sponsæ suæ damno indoluit, illudq; quam primùm resarcire curavit. In honorem 12. Apostolorum (sub quorum titulo Cathedram Chełmensem Ladislaus Jagello post victoriam Grunvaldensem erexit) duodecem calices deauratos, sacram supellectilem, & apparatum elargitus, organa, & pavimentum ipsi Ecclesiæ providit. Capitulo quoq; ut illius augeret proventus, paræciam Rubiesżoviensem, probante Augusto II. attribuit. Tandem ad vacantem pluribûs annis Cracoviensem Sedem, ab eodem Rege in anno 1711. promotus eandem Dominica Lætare ingressus est. Exhaustæ stativis, tributis militaribûs Diæcesi, ut esset solatiô, eam visitavit, & Synodum indixit, quam Cracoviæ, in Ecclesia B. M. V. præsente Spinola Nuncio Apostolico absolvit. (a) Egenorum Pater, 30. pauperes quotidie ad mensam aluit. 12. Nobiles juvenes, ut erudirentur in Academia Cracoviensi, suis impensis fovit.

Dignitatem Ecclesiæ Cracoviensis majorem intendebat, Clementi XI. supplex, ut sibi, suisq; Successoribus usum pallii permitteret. Facilem pro se Pontificem expertus est; sed pro Successoribus ingens difficultas rem longiûs trahebat; Casimirus, ne solus eum honorem ambire videretur, pro favore sibi præstito Romanæ Curiæ ex innata humilitate egit gratias. (b) B. Joannis Cantii ossa levavit. Festivitatem coronatæ Virginis Claromontanæ Częstochoviensis, & Indulgenti-

(a) *Buydecki in Vita Math: Lubieński.* (b) *Idem ibidem.*

gentias cætui huic per Romanam Sedem concessas promulgavit, & congregationem hanc introduxit. Ad aram ejusdem Deiparæ laminam auream ex voto appendit cum hac inscriptione: *Sit scabellum pedum Magnæ Matris Dei, persona, totaq; Domus mea.* Turrim ad Ecclesiam Cathedralem vi ventorum eversam, erexit, & adornavit. Obiit plenus meritorum, ætatis suæ 67. à Christo nato 1719. anno, die 2. Maji.

LXIV.

CONSTANTINUS FELICIANUS SZANIAWSKI

De Stemmate Junosza vide p. 136.

VIr nominis sui: favoribûs Augusti II. crevit, adolevit, & immortuus est. Inter tot adversa Patriæ, & plurimos variorum contra se insultus, constantem fortunam expertus est; ut merito Provincia Polona S. J. panegyri, quam illi in ingressu Cracoviensis Cathedræ dedicaverat, præfixerit titulum; *Constans felicitas.* Canonicus Vilnensis, Referendarius M. D. Lithvaniæ, Augusto II. inter tot mala Poloniæ, cùm Regnum, & Rex premeretur armîs exoticîs, ab intimis fuit consiliis; Illius potissimum sensu regebatur Princeps hic, & quòd victor de hostibus evaserit, solium abdicatum recuperaverit, favori & armis Procerum Polonorum, consiliis debuit Constantini.

Post ascensum Stanislai Szembek ad Gnesnensem Ecclesiam, Vladislaviensis Episcopus, Gedani (civitas est Diæcesis hujus) ad Collegium PP. SS. Theologiam fundavit, ut ad manum haberentur arma, contra prædominantem, hac in urbe, hæresim. Ad componendum Tractatum 1716. (quem 1717. Respublica confirmavit) inter Rempublicam Polonam, & exercitum Saxonicum Orator Augusti II, magnô studio & labore rem perfecit. In eo munere eluxit zelus hujus Præ-

Præsulis pro religione Catholica; dum illo cooperante, Articulo IV. dissidentibus erectio fanorum novorum prohibita, & si quæ, post annum 1674. erecta sunt, demoliri jussa: tum contra temeritatem Gedanensium lex lata, ac antiqua sancita, annorum 1638. & 1659. tam contra eandem, quam alias Civitates Prussiæ renovata sunt.

Sic emeritum Patriæ, & Ecclesiæ, idem Augustus post fata Lubienscii ad Cracoviensem promovit Sedem. Nec hic bono Patriæ defuit; à congregata Republica Grodnæ 1726. ad Constitutiones ex Senatu designatus, laboravit, ut optimis legibus provideretur integritati Poloniæ. Contubernium nobilium pauperum Lucoviæ 100000. impensis condidit. In subsidium Seminariorum Diæcesis Cracoviensis, singulis annis, quo ad vixit, certam numerabat summam. Domui Probationis Cracoviensi S. J. paræciam Więcławicensem cum ejus proventibus, Roma approbante attribuit, mortalitem exuit 1732, relicta immortali recte factorum memoriâ.

LXV.

JOANNES XIV. ALEXANDER LIPSKI
De Familia Grabitarum.

VEnceslai, & Barbaræ Miaskowska Filius. Juventutem Calissii, sub cura PP. S. J. altiorem ætatem in Collegio Romano eorundem Patrum, scientiis excoluit. Romæ relictâ sui memoriâ, apud Purpuratos Patres amore, visitatis aliis nationibûs, plenus gloriæ rediit in Patriam, honorum & dignitatum meta. Gnesnensis & Cracoviensis primum Canonicus, brevi Præpositus Posnaniensis, & Primicerius Gnesnensis, Judiciis Tribunalis Regni præfuit, & ex justitia meritis suis majora deberi probavit. Lingvarum notitia, mores compositi, indoles ad summa nata, Augusto II. adeò fecit amabilem, ut eum mentis suæ interpretem voluerit.

Pro Cancellarius, Abbas claræ tumbæ, Præpositus Miechoviensis & post fata Rupniewscii Luceoriensis Episcopus, brevi eodem Augusto promovente Cracoviensis Antistes. Sedem hanc in anno 1734. sub tempus coronationis Augusti III. adiit; cui & Serenissimæ Consorti ejus, Mariæ, Josephæ Austriacæ, Josephi I. Romanorum Imperatoris Filiæ, Regni insignia Cracoviæ 17. Januarii detulit. Pro-Cancellarii munus, quod per annos aliquot vacante supremo Regni Cancellariatu cum laude obivit, in Comitiis Regni 1736. in manus Augusti Regis deposuit.

Non satis erat Præsulis hujus merita Patriis coronare honoribûs; Clemens XII. anno 1737. promovente Augusto III, eminentem Viri virtutem Romanâ adornavit purpurâ. Anno verò sequenti in Comitiis Varsaviensibus, Idem Augustus in facie totius Reipublicæ, in præsentia Legatorum, variorum Europæ Principum, Cardinalitiæ dignitatis insignia eidem reddidit. Et quia brevi Theodorus Potocki Archiepiscopus Gnesnensis decesserat, Alexander ut in Polonia maximus Præsulum esset, Regni Primatem Augustus nominabat, sed Regio favori publicas egit gratias.

Justitiam in Tribunali Radomiensi supremus Judex administravit; & quia virtus hæc inter Cardinales non postrema est, illo in loco ut emineret, Joannes Cardinalis effecit. In reparationem Scholarum Karnkovianarum Calissii, in quibus teneram ætatem expolivit, justam pecuniæ summam contribuit. In Religiosas Familias, & Ecclesias munificus. Societatis JESU, quam à prima ætate semper corde fovit, Tutor, & contra malevolos ubiq; defensor singularis: In negotiis componendis fortunatus, in reconciliandis animis, per æmulationem in diversa euntibus, plusquam felix. Anno 1746. die 20. Februarii, Patriæ dolore, plurimorum luctu,

luctu, Vir sæculis dignus, Kielciis obiit. Lachrymis populi Cracoviam deductus, in Cathedrali Ecclesia sepultus, à sacris exedris per Josephum Andream Załuski Regni Referendarium, hoc tempore Kioviensem Episcopum, Virum de omni litteratura optime meritum laudatus est.

LXVI.

ANDREAS IV. STANISLAUS KOSTKA ZAŁUSKI

De Stemmate Junosza vide p. 136.

EX Familia, virtutibûs heroicis, Martis gloriâ, variis curulibûs & dignitatibûs insigni, oriundus. Andreæ Chrysostomi, non tantum nomine, sed re ipsa aurei, Varmiensis Episcopi, eruditione, & styli elegantiâ, legationibûs ad varios Principes celebris, & clarinepos. Alexandri, Josephi, Palatini Ravensis, & Theresiæ Podkanska, Filiæ Præfecti Inovlodensis, Filius. Ab exteris nationibus redux, in quibus indolem ad maxima natam expolivit, Cracoviensis Canonicus, Decanus Pułtoviensis Plocensis Præpositus, & Dux Sielunensis, salutatus est.

Et quia virtute ætatem superabat, annô ætatis suæ 28, Christi 1722. post fata Ludovici Patrui sui, in annis Roma dispensante, Augusto II. promovente Plocensis Episcopus consecratus, Seminarium Diæcesanum pro ego. Clericis Pułtusci, ibidem domum amplam pro educandis Virginibus, quarum sors esset deterior, sub cura Puellarum de charitate erexit. Synodum Diæcesanam magnô Ecclesiæ suæ bonô celebravit, in qua legibûs subditum gregem circumscripsit: eamq; ut præsto cuivis esset, typo impressit. Tribunali Radomiensi sæpius præfuit. Brestam in Lithvania ad bona Regalia designatus, controversias pro justitia decidit: Toruniensis in causa violati honoris Divini Judex, scelus sacrilegum, & rebelle Deo, ejusq; Sanctis, ad secures & supplicia damnavit. In Comitiis Grodnensibus 1726. ex Senatu ad correctionem Judiciorum generalium assignatus, Tribunalia Regni, ne limites justitiæ transcenderent, in meliorem ordinem, & sacratiorem legum & æquitatis reverentiam, & observantiam redegit.

Ab Augusto III, supremus Regni Cancellarius, legum tutor, Plocensem Episcopatum dimisit Luceoriensi contentus, postea Culmensis Antistes, Toruniúm pro die cænæ Domini, cerimoniis Ecclesiæ consvetis obeundo, descendit. Regni Senator, supremus Cancellarius, pedes pauperum, devota animi humilitate, tota fere civitate ad hoc spectaculum effusa, lavit, ac egenos justa eleemosyna providit. Eodem Rege promovente post obitum Joannis Lipski Cardinalis Cracoviensis Antistes, sigillum Regni majus, Regio favore disponente, Joanni Comiti in Małachovice Małachowski Regni Pro-Cancellario consignavit. Adamum Komorowski 1749. Archiepiscopum Gnesnensem Cracoviæ consecravit. Bibliothecam Varsaviensem decori Patriæ cum Illustrissima Familia sua condidit. *Vide L. II. C. II.*

Apud Sacram Sedem 1754. die 13. Julii impetravit Festum S. Stanislai E. M, si occurrat die Ascensionis Domini, etiam cum integra octava transferendum, in diem immediate sequentem, non obstante occursu alterius festi etiam duplicis. Majores pro sua Ecclesia conatus, pro Polonia labores & studia mors impedivit. Obiit 1758. die 16. Decembris. Præsulis hujus laudes in Polonia Litterata, Janozki, Bibliothecæ Załuscianæ Secretarius, Kioviensis Canonicus, Vir eruditi judicii, de Republica litterata optime meritus, complexus est: eumq; *non Poloniæ tantum, sed universæ; qua litteris exculta est, Europæ amorem, & delicium* nominavit.

LXVII.

LXVII.

CAJETANUS SOŁTYK

De Stemmate Sołtyk

Aquila est coloris nigri, vertice coronato, alis elevatis, sinistro pedi innixa, dextrô gladium complexa.

AMplissimum Sołtykorum Nomen, uno duntaxat Regnô unâ Provinciâ contineri non potuit; Vastis Moschoviæ, Prussiæ, Poloniæ, Ducatuum Curlandiæ, Meclemburgensis, Brunsvicensis, limitibûs comprehensum est. In Moschovia, per lectissimas fæminas, aliquot Magnorum Ducum Conjuges, & in defuncta non ita pridem Anna, Imperatrice Rossiæ, ad Imperia, evectum. In Prussia, heroicis factis, cohortium regimine, aliisq; rebûs gestis, præclarum. In Polonia, cum primis Familiis sangvine junctum, in dignitatibus crevit & adolevit. Per Annam Friderici, Curlandiæ & Semigalliæ, Catharinam, Caroli Leopoldi Meclemburgi, Ducum, Sołtykowna Matre genitas, Conjuges, Elisabethem Catharinam, Catharinæ Meclemburgensis Filiam, Antonii Ulrici Brunsvicensis Principis Consortem, ultra Poloniam extensum, & plurimis Imperii Romani Principibus affine.

Tantis Majoribûs, ea generis Nobilitate, Patre Josepho, Castellano Lublinensi, Matre Constantia Drzewicka, Alexandri Lublinensis Palatini, Filia genitus Cajetanus, die 12. Novembris 1715. primam nativitatis suæ diem insignem habuit; cum enim nasceretur, aquila quasi dignitatum, quibus parabatur Infans, præsaga, in palatio comparuit, & aliquo tempore quievit. Litterariis artibûs in Patria instructus, ivit Romam, ut in illo urbis Seminario Principe, in Virum Patriæ & Ecclesiæ studiosum formaretur. Consummata eruditio, insignis prudentia, morum modestia, multis amabilem, omnibus fecit commendatum. Purpurati

rati Ecclesiæ Patres, quotquot familiarius indolem Cajetani spectârunt, magnum Consilii Virum, Antistitem Religioni utilem futurum, non vanô oraculô declarârunt.

Judicio & expectationi tantorum Virorum respondit affatim Cajetanus. Lanciciensis Scholasticus, Cracoviensis Canonicus, Præpositus Gnesnensis, à Samuele Ozga, Episcopo Kioviæ & Czerniechoviæ, Augusto III. ac Roma probante, in societatem laboris Præsulei adscitus, Torunii die 9. Novembris 1749. ab Alberto Leski, Episcopo Culmensi, in Episcopum Emausinum, Coadjutorem Kioviensem consecratus est. Lætus tantô sociô & Successore Ozga, ætate gravis, commisit Cajetano integram Diæcesis curam. Illam, & disjectas non modico tractu paræcias lustravit, contemptô viarum periculô, in illis oris, rapina, cæde sæpius infestis. Kioviam, olim Episcopatus caput, adiit, & in palatio, quod humanitas hospiti contulerat, aram erigi, fecit, æris sonitu accito populo, rem Divinam operatus sacro chrismate animos incolarum confirmavit, Moschis cerimonias mirantibûs, & stupentibûs. Multi, etiam Nobiliorum Parentum Filii, ut Kiovia, quo litterarum causa commeabant, evocarentur, & in scholis orthodoxis sacra & civili instruerentur eruditione, imperiis Præsuleis, flexit Genitorum animos, & ni flecti vellent, severiores censuras comminatus est. Perfida gens Judaica cruento ausu infantem necaverat, (hoc illorum facinus frequens est) sangvinis innocentis vindex Cajetanus, effecit, ut sangvinarii in foro civili patrati sceleris meritas pœnas eluerent. Reliquos minus noxios, sed criminis conscios, ultra quadragenos, sacrâ ablutos undâ provida sollicitudine disposuit, alios inter subditos Ecclesiæ locavit, alios ad obsequia suæ aulæ esse jussit. Zytomiriæ Cathedralem Ecclesiam à Samuele Ozga structam consecravit, & in ea Verbi Divini præconem, Virum e Societate JESU instituit, Collegii eorum-

eorundem Patrum loci illius ſingularis Patronus. Seminarii pro erudiendo Clero conditor: Berdiczoviæ (oppidum eſt Palatinatus Kiovienſis) in æde ſacra PP. Carmelitarum ſtrictioris Obſervantiæ, Imaginem MARIANAM, illis in terris miraculis inſignem coronavit.

Hæc Officii Præſulei ſtudia, Paſtoralis circa gregem ſolicitudo, nota erat Poloniæ, perſpecta Auguſto III. feliciter regnanti; quare, ne virtus tanta abſq; præmio eſſet, ad Cracovienſem Sedem, morte Andreæ Załuſki vacantem, Cajetanum promovit, probavit nominationem Clemens XIII. Pridem ille parabatur huic Eccleſiæ, cùm enim Ioannes Lipſki Cardinalis, quem nulla ſilebit ætas, Canonicum promulgaret, Succeſſorem ſuum olim in Cathedra, & Senatu prædixit.

Quo animo, ſuum Caput Canonicorum Collegium, Cracovia, Antiſtitem, Diæceſis tota, qua late patet, Paſtorem, Severia Ducem, Cracovienſis Academia Cancellarium, Religioſi cætus Patronum, ſuſceperint? facile intelligis Lector benevole;

Quem votîs expetebant, corde fovent, & amant ut Patrem colunt ut Præſulem.

INDEX

INDEX RERUM
Libro hoc contentarum.

Bruns-

tur

* *

ERRATA CORRIGE.

Pag: 7. versu 24. novissime lege novissimè.
10. ver: 24. Doctaratu lege Doctoratu.
14. ver: 8. Antisttes lege Antistes.
ver: 21. snnt lege sunt.
15. ver: 4. Episcopatunm lege Episcopatuum
ver: 19. post *Posnaniensem* adde *Vilnensem* prætermissum.
16. ver: 22. 1623. lege 1621.
29. ver: 10. Ecclesia lege Ecclesiæ.
31. ver: 22. descendcre lege descendere.
62. ver: 22. pluribns lege pluribus.
63. ver: 7. Niestecki lege Niesiecki.
77. ver: 7. mulctato lege mulctato.
77. ver: 7. Jagelloue lege Jagellone.
79. ver: 34. Infulsas lege Infulas.
86. ver: 14. Lithaniæ lege Lithvaniæ.
ver: 30. clectionem lege electionem.
88. ver: 5. Dlugasf: lege Dlugosf.
98. ver; 9. testantur lege testatur.
ver; 20. vel ipsa lege vel in ipsa.
102. ver: 6. afflictionem lege afflictione.
106. ver: 18. qnæris lege quæris
109. ver: 13. assignata lege assignata.
113. ver: 31. eqnestri lege equestri.
120. ver: 22. energuumeni lege energumeni.

ERRATA CORRIGE

122 ver: 13. juridiciis lege. juridicis.
124 ver: 14. confederationem lege confæderationem
125 ver: 9. Ferra lege Feriâ
ver: 10. Quiuquagesimæ lege Quinquagesimæ.
ver: 25. nou - - ccendi lege non - - concedi
137 ver: 7. ur lege ut
162 ver; 12. vincandum lege vindicandum.
183 ver: 31. æteruæ lege æternæ.
192 ver: 10. hujns lege hujus
199 ver: 34. heretica lege hæretica.
205 ver: 1. Polouia lege Polonia.
207 ver: 9. tertitius lege tertius
220 ver: XIV. lege XV.
224 ver: 1. latiaudinem lege latitudinem.
253 ver: 6. Religiosiorum lege Religiosorum.
ver: 14. designara lege designata.
265 ver: 27. Antiftis lege Antiftitis.
270 ver: 31. Antiftis lege Antiftitis.
281 ver: 1. Satibus-ordinibusm obvia lege Statibus-ordinibus obviam.
287 ver: 24. omi lege omni.
288 ver: 15. Er lege Et.
296 ver: 34. matrinonium lege matrimonium
310 ver: 35. commeudavit legc commendavit
347 ver: 14. Sepem lege Sedem.
350 ver: 17. Pedes lege Pedis.
362 ver: 5. complectantur lege complectatur.
ver: 15. LXVIII. lege LVIII.

FINIS

Hist. Polon

6, sparu